R-432

ALFONSO MALPARTIDENSI, Francisco

Disputationes in octo libros physicorum Aristotelis / authore R.P Francisco Alphonso Malpartidens. ... — * Complut. : Apud Antonium Vazquez ..., 1640



DISPVTATIONES
IN
OCTO LIBROS
PHYSICORVM
ARISTOTELIS.

AVTHORE R. P. FRANCISCO ALPHONSO
Malpartidensi è Societate IESV Sacræ Theologiæ
professore in suo Collegio Complutensi.



Anno 1640.

CVM PRIVILEGIO.

COMPLVTI. APVD ANTONIVM
Vazquez Typographum Vniuersitatis.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIene Priuilegio el Padre Francisco Alonso de la Compañia de Iesvs, por tiempo de diez años, para imprimir vn libro intitulado, *Disputationes in octo libros Physicorum Aristotelis*. Y para que ningun otro le pueda imprimir · como parece por el testimonio, que dello dio Francisco Gomez de Lasprilla Escriuano de Camara. *En* Madrid á 9. de Setiembre de 1638. años.

Aprobacion de los Superiores.

COn licencias de sus Superiores, del Ordinario, y supremo Consejo de Castilla, y aprobaciones del Padre Fr. Alonso de Herrera de la sagrada orden de los Minimos, y del Padre Fr. Luis de Moya de la sagrada Orden de la Santissima Trinidad.

Suma de la Tassa.

LOs señores del Consejo tassaron este libro intitulado *Disputationes in octo libros Physicorum Aristotelis*. A quatro marauedis y medio cada pliego, como parece por el testimonio de Martin de Segura Escriuano de Camara. En Madrid à 10. de Iulio de 1640.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg.29.col.2.lin.18.aqua,lege à quâ. Pag.53.col.1.lin.6.argam, leg.agam. lin.32.der,leg.per. Pag.54.col.2.lin.27.quio,leg.quãdo. Pag.121.col.1.lin.7. comnemdum,leg.componendum. Pag 173. col.1.lin.15. ſubſiſtantijs,leg.ſubſtantijs, Pag.219.col.2.lin.28. ordinatur ad illud,leg.comparatur cum illo. Et lin.30.ad ipſum ordinatur,leg cum ipſo comparatur.Pag.305.col.2.lin.12.mihi deficet,leg. me deficet. Pag.315.col.1.lin.34.ad ceſſatione modij, leg. ad ceſſationem odij.Pag.318.col.1.lin.39.potentis, leg.petentis. Pag.346. col.1.lin.37.ſura,leg.ſupra.Pag.372.col.2.lin.3.actui,leg.actiui.Pag. 377.col.2.lin.35.lib.Phyſ.leg. lib.5.Phyſ. Pag.379 col.1.lin.1.minos,leg. terminos. Pag.384.col.2.lin.2. diſpoſitione, leg diſputatione. Pag.385.col.1.lin.29. ſe ipſo,leg.ſe ipſa. Pag. 402. col. 1. lin.4. ratione,leg.ratione.col.2.lin.25.quãuis, leg.quauis. Pag.403.col.2. lin.1.quarto,leg.tertiò.Pag.413.col.2.lin.5.exiſtit,leg.exiſtunt.Pag. 418.col.1.lin.1. virtute, leg.virtutem. Pag.426.col.2.lin.21. producere, leg.producat. Pag.431.col.1.lin.33.permittat,leg.permittãt. Pag.432 col.2.lin.14.illo,leg.illa. Pag. 433.col.1. lin.36.eum, leg. eã.Pag.435.col.2.lin.26.duobus,leg.duabus.Pag.441.col.2.lin.18. affirmatur,leg.dicitur.Pag 442. col.1.lin.5. conſtituantur, leg.conſtituatur. Pag.464.col.1.lin.32.præcedentis,leg.præcedenti.Pag.451. col.2. lin. 19. Ponderimus,leg.Ponderibus. Pag. 468.col.1. lin.24. aſsignati,leg.aſsignari. Pag. 476.col.2.lin.33. fuditur,leg. fundetur. Pag.502.col.1.lin.1.pomus,*termum*.leg.ponamus,*terminum*.Pag.503 col.2.lin.26.nd,leg.non.

¶ His erratis demptis, vel correctis, ſuo cætera reſpondent exemplari. Compluti 26. Iunij, anno 1640.

Doctor D. Franciſcus Ignatius de Porres.

SAN-

SANCTISSIMAE


VIRGINI DEIPARAE MARIÆ.

DIVINI AMORIS
PROTOMARTYRI.

HVMANAE VIRGINITATIS.
PROTOTYPO:

VTRIVSQVE SAPIENTIÆ
PROTOMAGISTRÆ.
D. C. Q.

PRODIT iám (ó MATER Augustissima) sicut elaboratum auxilio tuo, sic auspice te perfectum opus. Prodit in lucem, etsi spiendidum iam ipso matris cognomine. Prodit ad maiestatem gratulabundum tuá. Prodit ad gloriam iam inde tali patrocinio modestè arrogans, officiosè superbum, & quasi de alieno, dum licet, ambitiosum. Prodit. Sed ecquid modo grauidanda mens? Ecquid laudum e umpar iactabundus animus? Sileant, sileant, dispareant, obscu ētur, quotquot Patronos aut elegit ambitio, aut mentita est adulatio. Habes Patronã fœ icissimè liber, in qua nec adulatio qui l fingat, nec habet, quo excedatur veritas Age ergo securus, gaude, exulta, lude, lauda Matrem tuam, & laxa laudes extra timores, aut time paucitatem; non excessum. Quidquid dicas, aut verum erit, aut citra, non vltra veritatẽ Non peccabis audacia; sed timore: non errabis excessu, sed defectu nam, si cæteris licentia est adulatio, licentia tibi veritas est. Euoluat ergo generosas progenies, qua stirpe fatum prædicent, quibus atauis, qui semine conditum, quo nomine, quo stemmate c arum· Euoluant. At inspiciant Dauidem Mariæ atauum, Iosephum virum, Christum prolem. Obseruent modó gesta, quas de bello coronas, quas de victo. ia lau. os, quas



dispoſt'is exuuias, quæ meruerunt inſignia quæ ſtemmata? Obſeruent Ethiopes coram Virgine, cuius pedibus calcatur ſerpens; ad cuius nomen barbaria friget, barbaria corruit, inſolentia tepet, ſolumque augetur inferni rabies. Aſt modò quænam ſtemmata, quænam inſignia? De ſerpente ſcabellum, de Luna calcei, de Sole amictus, de ſtellis corona? De tartareis ſpolia, quaſnam reportauit exuuias? De perfidia fidem, de fide affectum, de cordibus amorem, de elementis ignem de diebus auroram, de cœlis maieſtatem, de creaturis regnum, de omnibus Mariam? Iam ergo beneficia enumerent, & Mecœnates ſuos mutæ largitionis laude commendent. Quid omnibus Maria? Solatium mæſtis, tenebroſis lumen, laborantibus requies, & omnibus omnia. Cedant ergo his omnibus, vel, ſi me audias, cedant ſoli Mariæ, ſoli eius nomini. Verum nec ſtet in his potiſsima conſecrationis meæ ratio. Nam (præteremitte hæc omnia) ad quem ſchola confugiet, niſi ad matrem ſapientiæ, à qua docemur, illuminamur, erudimur? *Ad matrem Philoſophiæ a naturæ, cauſarumque aſsiſtricem ſapientiam?* Quod ſi liber hic iuuentutis informationi decurrit, atque ideo librum integrum in libellos digeſsi, placuit iuuenum Matrem acclamare, vt quos ipſa materniter fouet, ſelectiſsima doctrina erudiat; vt, qua illi adiutricem venerantur, magiſtram venerentur, & colant; vt quotics recognoſcunt paginam, recognoſcant & in fronte Mariam explicatricem Philoſophiæ noſtræ, diſpenſatricemque profectus ſui. Age ergo diuinæ ſapientiæ Mater, humanæ ſapientiæ fons. Accipe librum iuuentuti tuæ, ſuſcipe iuuentutem libro meo. Vt adfuiſti ſcribentis calamo, ſic ades per legentium ſtudio. Sic horum mentes aperi, ſic inſtrue, vt noſtram caſtigaſti pennam, vellicaſti aurem. O bene! Patrocinari tuum gubernare eſt magnum. Menti obumbras, & illuminas mentem. Suſcipis opus, & retribuis ſcientiam, & ſoluis in doctrinæ nummis, in luminis argento, *in ſapientiæ auro.* Ipſam liber vltra laudes exorna, tibi liber vltra gaudium exulta, vltra ſpem confide, vltra fiduciam ſpera, vltra magnum argue, vltra maximum doce, & tanto patrocinio in omnibus tranſcende vſque ad plus vltra.

INDEX

INDEX

DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

LIBER PRIMVS Physicorum.

DISPVTATIO PRIMA. De Principijs entis naturalis. Pagina 1.

SECT. 1. *Definiuntur prima principia entis naturalis. pag. 1.*

SECT. 2. *Stabilitur numerus primorum principiorum entis naturalis. pag. 10.*

SEC. 3. *Concluditur doctrina precedentis pag. 14.*

DISPVTATIO II. De Materia prima. pag. 18.

SECT. 1. *Sententia recentiorũ proponitur, & refutatur. pag. 18.*

SECT. 2. *Statuitur materia prima que sit entitas incompleta, & definitur. pag. 33.*

SECT. 3. *Premittuntur aliqua pro assignanda essentia materiæ prime. pag. 35.*

SECT. 4. *Varie sententiæ proponuntur. pag. 39.*

SECT. 5. *Vera sententia ponitur, & probatur pag. 43.*

SECT. 6. *De existentia materiæ prime. pag. 48.*

SECT. 7. *De appetitu materiæ prime circa formas. pag. 54.*

SECT. 8. *An materia dependeat à forma substantiali, quam actu habet? pag. 58.*

SECT. 9. *De unitate, & distinctione specifica materiæ prime. p. 65*

SECT. 10. *De Proprietatibus materiæ prime. pag. 67.*

DISPVTATIO III. De Forma substantiali. pag. 71.

SEC. 1. *Statuitur existentia formæ substantialis. pag. 71.*

SEC. 2. *Quid sit forma substantialis? pag. 74.*

SEC. 3. *An forma materiales educantur ex potentia materiæ p. 80.*

SEC. 4. *An plures formæ substantiales subordinatæ possint naturaliter esse simul in eadem materia? pag. 83.*

SEC. 5. *Vtrùm plures formæ substantiales nõ subordinatæ possint esse simul in eadẽ materia? p. 91.*

DISPVTATIO IIII. De Priuatione. pag. 95.

SEC. 1. *Quid sit priuatio? pag. 96.*

SEC. 2. *Quotuplex priuatio? p. 99.*

SEC. 3. *An forma, & eius priuatio opponantur immediatè? pag. 102*

DISPVTATIO. V. De Vnione inter materiam, & formam substantialem. pag 104.

SEC. 1. *An Vnio distinguatur realiter à materia, & forma? p. 105*

INDEX.

SEC. 2. *An vnio, qua est inter materiã, & formã materiali distinguatur realiter a passione?* p. 112
SEC. 3. *Quotuplex vnio sit in composito substantiali?* pag. 116.
SEC. 4. *Quod sit subiectum receptivum vnionis?* pag. 123.

DISPVTATIO. VI.
De Compolito substantiali. pag. 125.

SEC. 1. *Vtrùm compositum aliquid aliud includat praeter materiam, formam, & vnionem?* pag. 125.
SEC. 2. *An compositum realiter distinguatur à suis partibus, & vnione?* pag. 130.
SEC. 3. *Expediuntur aliqua de composito.* pag. 134.

DISPVTATIO. VII.
De Essentia, & existentia. p. 136.
SEC. 1. *Aperitur status controversiæ* pag. 137.
SEC. 2. *Opinio Themistarum proponitur.* pag. 138.
SEC. 3. *Contraria sententia eligitur vt vera.* pag. 140.
SEC. 4. *Concluditur doctrina praecedentis.* pag. 147.
SEC. 5. *Soluuntur argumenta Themistarum.* pag. 151.
SEC. 6. *Indagatur mens Angelici Doctoris,* pag. 154.
SEC. 7. *Quomodo essentia ab existentia distinguatur* pag. 159.

DISPVTATIO. VIII.
De Supposito, & subsistentia: pag. 164.
SEC. 1. *Explicatis nominibus definiuntur suppositum, & subsistentia* pag. 164.
SEC. 2. *Vtrùm subsistentia sit aliquid positiuum?* pag. 167.
SEC. 3. *De effectu formalis subsistentiæ.* pag. 171.
SEC. 4. *An dentur partiales subsistentiæ?* pag 177.
SEC. 5. *Vtrùm natura creata simul cum subsistentia propria aliam possit admittere?* pag. 181.
SEC. 6. *Vtrùm suppositum creatum possit terminare alienam naturam?* pag. 185.
SEC. 7. *Aliquæ difficultates expediuntur.* pag. 188.

LIBER SECVNDVS Physicorum.

DISPVTATIO. IX.
De Naturâ, & Naturali. p. 194.
SEC. 1. *Naturæ definitio, & quidditas explanatur.* pag. 194.
SEC. 2. *Vtrùm materia, & quatuor forma substantialis sint naturæ?* pag. 199.
SEC. 3. *De motu naturali, violento, & præternaturali,* pag 205.

DISPVTATIO. X.
De Causa in communi. pag. 209.
SEC. 1. *Quid sit causa?* pag. 210.
SEC. 2. *Prioritas naturæ declaratur.* pag. 213.
SEC. 3. *De respectu causæ ad effectum* pag. 218.
Causa increata non dicit ordinem transcendentalem ad suos effectus. pag. 222.
Causa creata naturalis dicit respectum transcendentalem ad suos effectus. pag. 224.
Quid de potentia obedientiali? pag. 227.
Causæ creatæ dicunt ordinem transcen-

INDEX.

scendentem ad suos effectus in singulari; non vero in communi. pag. 228

SECT. 4. *An effectus creati dicant ordinem transcendentalem ad suas causas? pag 232.*

Quem ordinem habeant creaturæ possibiles etiã omnipotentia Dei? pag. 237.

SECT. 5. *De conditionibus requisitis ad causandum. p. 238.*

De Approximatione agentis, & passi. p. 240.

De ultima conditione. p. 243.

SECT. 6 *Dividitur causa in communi. p. 244.*

DISPVTATIO. XI.

De Causa materiali. p. 246.

SECT. 1. *Quid sit causa materialis, & quæ eius causalitas? pag. 247.*

SECT. 2. *De causa materiali accidentium materialium p. 250.*

SECT. 3. *V. qualitates recipiuntur immediate in quantitate? p. 256.*

SECT. 4. *An dispositiones præsupponantur ex parte materiæ non solum ad introductionem, sed etiam ad conservationem formæ substantialis? p. 257.*

DISPVTATIO. XII.

De Causa formali.

SECT. 1. *Quid sit causa formalis? pag. 261.*

SECT. 2. *De effectibus causæ formalis, p. 264.*

DISPVTATIO. XIII.

De Causa efficiẽte creata, p. 266.

SECT. 1. *Quid sit causa efficiens? pag 267.*

SECT. 2. *An substãtia creata immediatè effit; & aliquos effectus? p 258.*

SECT. 3. *Solvuntur argumenta Thomistarum, p. 272.*

SECT. 4. *Verum accidentia simul cum substantia concurrant ad productionem alterius substantiæ? p. 277.*

SECT 5. *Quæ sint causæ instrumentales, & quæ principales, p. 279.*

SECT. 6. *An qualibet res possit assumi à Deo adquemlibet aliũ immediate producendam, p. 282.*

SECT. 7. *An aliqua entitas possit assumi à Deo ad seipsam physicè efficiendam, p. 285.*

SECT. 8. *An forma materialis, & eius unio cum materia producãtur per eandem actionẽ? p. 286.*

DISPVTATIO. XIIII.

De Causa prima.

SECT. 1. *Statuitur causa prima, à qua omnes secundæ fuere, & conseruantur? 288.*

SECT. 2. *An causa prima concurrat immediatè cum secundis ad omnes ipsarum effectus? p. 291.*

SECT. 3. *Non est ponenda in causis secundis physica prædeterminatio prævitè requisita ad earum esse ius producendos? p. 299.*

SECT. 4. *De mente S. Thomæ & Aristotelis circa physicam prædeterminationem. p. 303.*

SECT. 5. *An causa prima determinet secundam ad individuationẽ effectus? p. 308.*

DISPVTATIO. XV.

De Creatione.

SECT. 1. *Quid sit creatio? p. 307.*

SECT. 2. *An creatio distinguatur*

tur realiter à creãte, & termino creato? pag. 318.
SEC. 3 *Vtrum creatio habeat subiectum, in quo recipiatur p. 323.*
SEC. 4 *De bis, quæ creari possunt, & educi p. 323. alias 325.*
SEC. 5. *An eadem res de potentia Dei absoluta possit simul creari, & educi? pag. 328.*
SEC. 6. *Vtrum creatura aliqua possit operari per creationem? pag. 330.*

DISPVTATIO. XVI.
De Causa finali.

SEC. 1. *Quid, & quotuplex sit causa finalis? pag. 321 alias 328.*
Diuiditur causa finalis pag. 331.
De Bonitate mediorum pag. 333.
SEC. 2. *Vtrum finis moueat voluntatem vt cognitus? pag. 335.*
SECT 3 *De effectibus causæ finalis. pag 337.*
SEC. 4. *Quenam dicantur operari propter finem? pag. 339.*
SEC. 5. *An finis sit vera causa realis, & quæ eius causalitas? pag. 343.*
SEC. 6. *Vtrùm distinguantur intentio finis, & electio mediorum circa illum? pag. 346.*

DISPVTATIO XVII.
De Causa exemplari.

SEC. vnic. *Quid sit exemplar? Et in quo genere causæ concurrat ad effectum? pag 349.*

DISPVTATIO. XVIII.
De Comparatione causarum.

SEC. 1. *An idem effectus possit diuisim esse a pluribus causis? pag. 355*
SEC. 2. *An idẽ effectus possit simul procedere à duplici causa totali? pag. 360.*
SEC. 3. *An duæ causæ possint mutuo sibi inuicem esse causa? pag. 360.*
SEC. 4. *An admittenda sit mutua dependentia causarum de potentia Dei absoluta? pag. 364.*
SEC. 5. *De fato, casu, & fortuna. pag. 366.*

LIBER TERTIVS, ET quintus Physicorum.

DISPVTATIO. XIX.
De Motu laxè, & strictè sumpto.

SEC. 1. *Explicatur definitio motus. pag. 369.*
SEC. 2. *Nonnulla corollaria ex dictis. pag. 372.*
SEC. 3. *De terminis à quo, & ad quem motus pag. 375.*
SECT. 4. *De motu propriè dicto. pag 377.*
SECT. 5. *Ad quæ prædicamenta detur motus propriè dictus? pag. 380.*

DISPVTATIO. XX.
De Actione, & passione.

SEC. 1. *Quid sint actio, & passio? pag. 384.*
SEC. 2. *An eductio, & passio distinguantur realiter? p. 386.*
SEC. 3. *Qua ratione distinguantur eductio, & passio? pag. 387.*
SECT. 4. *An actiones, & passiones specificentur ab agente, passo, & termino? pag. 392.*
SECT. 5. *Quid dicendum sit, si agentia, subiecta, & termini numero distinguantur? pag. 395.*
SEC. 6. *Expediuntur aliquæ difficultates circa actionem, p. 397.*

DIS-

INDEX.

DISPVTATIO. XXI.
De Infinito.

SEC. 1. *Nonnulla præsupposita* pag. 401.
SEC. 2. *Nonnulla corollaria.* pag. 404.
SEC. 3. *Enodatur difficultas præsens.* pag. 406.
SECT. 4. *Solvuntur argumenta,* pag. 409.

LIBER QVARTVS Physicorum.

DISPVTATIO XXII.
De Loco reali & imaginario.

SECT. 1. *Quid sit locus realis?* pag. 415.
SECT. 2. *Quid sit spatium imaginarium?* pag. 418.
SECT. 3. *An præsentia distinguatur realiter à re præsente?* pag. 421.
SECT. 4. *Explicatur effectus formalis præsentiæ.* pag. 425.
SEC. 5. *Nonnulla corollaria.* p. 426
SECT. 6. *Quotuplex sit præsentia localis?* pag. 430.
SEC. 7. *Vtrùm idem corpus possit esse in duplici loco circumscriptivè?* pag. 434.
An corpus possit miraculosè absque ulla præsentia conservari? pag. 437.
Una præsentia non potest esse præsens per aliam pag. 438.
SECT. 8. *An corpus in duplici loco existens habeat necessario ea de accidentia ubique?* pag. 439.
SECT. 9. *An duplex corpus possit simul esse in eodem loco?* pag. 442

DISPVTATIO. XXIII.
De Vacuo, & centro.

SEC. 1. *Quid sit vacuum?* p. 445.
SEC. 2. *Quanam virtute impeditur vacuum?* pag. 447.
SEC. 3. *De centro elementorum.* pag. 450.
SEC. 4 *De motu corporum in vacuo.* pag. 452.

DISPVTATIO XXIIII.
De Tempore.

SEC. 1. *Quid sit tempus reale, & imaginarium?* pag. 454.
SEC. 2. *An duratio distinguatur realiter à re durante?* pag. 458.
SEC. 3. *Solvuntur argumenta oppositæ sententiæ.* pag. 461.
SEC. 4. *Variæ species durationis.* pag. 463.

LIBER SEXTVS Physicorum.

DISPVTATIO. XXV.
De Compositione continui.

SECT. 1. *Aristotelis sententia proposita, nonnulla suppponuntur pro ejus declaratione.* p. 466.
SEC. 2. *Discutiuntur philosophica argumenta, quæ pro sententia Arist. adducuntur.* pag. 471.
SEC 3. *Examinãtur mathematica argumenta.* pag. 474.
SEC. 4. *Examinatur argumentum de velocitate motus.* p 477.
SEC. *Zenonis sententia ponitur, & probatur.* pag. 480.
SEC. 6 *Probatur eadem sententia in successivis,* pag. 482.
SEC. 7 *Explicatur cõtinui cõpositio in sententia Zenonis.* p. 483.

SEC. 8.

INDEX.

SECT 8. *Explanatur difficultas de velocitate motus iuxta sententiam Zenonis, p. 486.*

SECT. 9 *Nonnulla corollaria p. 492.*

SECT. 10. *Qua ratione tueri debeat Aristotelis sentẽtia? p. 496.*

DISPVTATIO. XXVI.

De terminis magnitudinis, & paruitatis ac de inceptione, & desitione rerum, p. 500.

SECT. 1. *An viuentia habeant terminos magnitudinis, & paruitatis? p. 500.*

SECT. 2. *An nõ viuentia habeant terminos magnitudinis, & paruitatis p. 503.*

SECT. 3. *De inceptione, & desitione rerum p. 505.*

LIBER SEPTIMVS Physicorum.

DISPVTATIO. XXVII.

De Propinquitate agentis, & passi.

SECT. 1. *An naturaliter possit agens agere in distans, quin agat in propinquum? p. 508.*

SECT. 2. *An de potentia Dei absoluta possit agẽs naturale creatũ agere in passum distans, quin agat in propinquum? p. 510.*

LIBER OCTAVVS Physicorum.

DISPVTATIO. XXVIII.

De Inceptione Mundi. p. 512.

SECT. 1. *An creatura aliqua permanens potuerit esse ab aeterno, p. 513.*

SECT. 2. *An motus localis, seu qualibet alia res successiua potuerit esse ab aeterno? p. 518.*

DISPVTATIO VLTIMA.

De Principijs proximis motus localis.

SECT. 1. *De grauitate, & leuitate, p. 522.*

A quo moueantur grauia, & leuia? p. 523.

Quid sint, & à quo immediate fiant grauitas & leuitas? p. 526.

Grauia, & leuia non grauitant in centro, p. 527.

SECT. 2. *Statuitur impulsus, à quo projecta corpora moueãtur immediatè p. 528.*

Impulsus sæpè producitur in mobili à vi natiua ipsius mobilis, pag. 531.

SECT. 3. *De Natura impulsus, pag. 533.*

SECT. 4. *A quo nam corrumpatur impulsus? p. 537.*

SECT. 5 *Qua ratione quiescat mobile in puncto reflexionis, p. 540.*

FINIS.

DISPVTATIONES IN OCTO LIBROS ARISTOTELIS DE PHYSICO AVDITV, SEV DE AVSCVLTATIONE.

PROOEMIVM.

ABSOLVTA iam dialecticâ explicatione, explananda succedit Physica disciplina, quę doctrinę ordine supponit Dialecticam, & anteuertit Metaphysicam. Hæc scię̃tia, si vocabuli proprietatem spectes, non Philosophia, sed Physica nuncupatur. Philosophia enim, vt ostendunt Patres Comm. in proœm. Phys. non solum Physicam, sed Dialecticam etiam, & Metaphysicam comprehendit. Physica vero sorũ eam signi-ficat scientiam, quę entis naturalis proprietates, & species inuestigat; complectiturque in primis octo libros Physicorum, quorum primo entis natura is inuestigantur principia, in secundo causæ, & principia motus: in tertio natura motus aperitur, & an sit finitus, an infinitus, vbi non incongrue de natura infiniti disputatur: in quarto agitatur de loco, vacuo, & tempore: in quinto de natura motus per se, & alijs illi extrinsecùs aduenientibus: in sexto de cõtinui compositione, inceptione, & desitione rerũ: in septimo de proximitate requisitâ ex parte agentis ad agendum: in octauo de initio motus, tum etiam de motu naturali, & violento. Alij etiam libri cõtinentur sub Physica, vt sunt libri de Cœlo, de Substãtia generabili, & corruptibili: de Substantia animata, de Historia, natura, & partibus animalium, quos, Deo volente, in lucẽ suo ordine proferemus.

2 Hinc colligo primò, subiectum adæquatum Physicæ disciplinæ esse ens naturale, eius proprietates, affectiones, & species iuxta dicta in prœmio Logicæ: quia, vt ibi late docuimus, subiectum adæquatum alicuius scientiæ integrant ea omnia, de quibus aliquid probatur in ipsâ scientiâ: sed de omnibus præfatis aliquid probat Physica, vt ex discursu nostrarum disputationum manifestum fiet: ergo ea omnia sunt obiectum adæquatum Physicæ. Colligo secundo, subiectum principale, seu attributionis esse ens naturale, hoc est, compositum substantiale resultans ex materiâ, & formâ substantiali. Hic enim *naturale* non sumitur, prout supernaturali opponitur, sed pro eo, quòd includit naturam, quæ est principium motus, & quietis, &c. vt dicemus secundo libro. Quod autem ens naturale hac ratione sumptum sit subiectum attributionis Physicæ, probatur: quia illud est subiectum attributionis alicuius scientiæ, cuius natura, causæ, & proprietates, affectiones, & species inuestigantur in illâ, & ad cuius perfectam cognitionem ea omnia, quæ sub illius scientiæ considerationem cadunt, diriguntur: sed ita se habet ens naturale respectu Physicæ: ergo, &c. Minor cõstat: quia in octo libris Physicorum agitur de principijs, causis, affectionibus & proprietatibus compositi resultantis ex materiâ, & formâ substantiali vt sic: in libris de Cœlo de substantia incorruptibili, quales sunt cœli: in libris de Generatione de substantia generabili, & corruptibili, qualia sunt corpora sublunaria: in libris de Anima de substantia animata, qualia sunt viuentia & sic in reliquis, quæ quidem sunt species entis naturalis: ergo ens naturale est subiectum attributionis Physicæ.

3 Sed est dissidium inter authores, quo nomine apertiùs significetur hoc subiectum? Alij enim *ens naturale*; alij *ens mobile*; alij *corpus naturale*, alij denique *corpus mobile* auncupandum volunt. Sed est dissidium leue, cum hæc nomina apud hos authores eandem significationem habeant in præsenti. Ego libentius appellarem *substantiam naturalem*, quia nullo alio nomine melius res significatur, quam eo, quod explicat differentiam propriam illius, & genus immediatè contractum per talem differentiam: atquì talis est in præsenti ens *substantia naturalis*, quæ & significat quid constans naturâ, hoc est, materiâ, & formâ substantialibus, quæ est propria differẽtia obiecti Physicæ, & deinde significat, hoc debere esse substantiam, quod est genus, quod immediatè diuiditur in naturalem, seu (quod idem est in præsenti, vt dicemus lib. 2. Physicorum) compositam ex materiâ, & formâ substantialibus, & in non naturalem, seu non compositam ex materiâ, & formâ ergo propriissime explicatur prædictis verbis subiectum Physicæ. Secus accidit in alijs nomi-

nominibus; quia *ens naturale*, & *ens mobile* sunt nomina explicantia id, quod se habet vt genus remotum substantiæ naturalis, vt constat: *corpus* verò *naturale*, seu *mobile*, non significat immediatè substantiam naturâ constantem; sed quandam eius speciem, substantiam videlicet corpoream: ergo non ita congrue significatur obiectum Physicæ per hæc nomina, ac per *Tò substantia naturalis*.

4 Dices: nulla est substantia naturalis, quæ nõ sit corporea: ergo recte explicatur obiectum Physicæ, dum dicitur esse *corpus naturale*. In primis, antecedens non est certum, quia sub dubio est, an sit possibilis substantia spiritualis cõposita ex materia, & forma spiritualibus. Si autem hæc est possibilis, sine dubio pertinet ad obiectum Physicæ, quia est constans naturâ, cum constet materiâ, & formâ, quæ sunt *principium*, & *causa motus, & quietis eius, in quo est primo, & per se, & non secundum accidens*, in quo formaliter consistit ratio naturæ. Secundò, dato, quod omnis substantia naturalis sit corporea, nihilominus non competit illi esse obiectum Physicæ, quia corporea est, sed quia composita ex materiâ, & formâ substantialibus, eo enim ipso quod coalescit ex illis, est naturalis, seu naturâ constans, præscindendo ab hoc, quod est esse corpoream, aut incorpoream ergo aptiùs, & propriùs explicatur obiectũ Physicæ per *Tò substantia naturalis*, quĩ peralia nomina supra adducta.

5 Physicam esse scientiã, nullus est, qui dubitet, & facilè probari potest: quia euidẽter demonstrat, ens naturale esse quid compositũ ex materiâ, & forma: non esse à se; sed indigere efficiẽte extrinseco: & alia, vt ex discursu huius operis cõstabit: ergo, &c. Non tamen potest negari, ad Physicam pertinere aliquos habitus opinatiuos: quia in ea inueniuntur plures conclusiones, probabiles ex probabilibus principijs deductæ.

6 Præterea est scientia absolutè speculatiua: quia scientia absolute speculatiua est illa, cuius finis est speculatio veritatis: tunc autẽ finis scientiæ est speculatio veritatis, quando contemplatio subiecti attributionis non dirigit scientem ad effectionem eiusdem subiecti, sed ita se habet Physica respectu entis naturalis, quod est eius subiectum attributionis. ergo, &c. Minor probatur: quia de ente naturali cognoscit Physica, quod constet materiâ, & formâ vnitis; quod fit substantia actiua, & passiua; quod eius forma requirat dispositiones in materiâ, vt illam informet, &c. sed hæ cognitiones non dirigunt Physicum ad efficiendum ens naturale ergo, &c. Minor probatur: quia duo requirũtur, vt aliqua cognitio dicatur dirigere ad productionẽ effectus, vel subiecti primũ, quod talis cognitio præscribat modũ obiecti efficiendi, ita vt per se iuuet ad eius effectionẽ; secundum, quod tale opus cadat sub imperium voluntatis eius, qui habet

ra eam cognitionem: sed ens naturale vt effectibile non cadit sub imperium voluntatis eius, qui habet cognitionem ipsius entis naturalis, vt constat in productione ignis, & aliorum: ergo ea cognitio non dirigit ad effectionem entis naturalis.

7 Dices applicatio causæ, quæ disponit materiã ad introductionẽ formæ substantialis, & ipsam formam introducit in materia, cadit sub imperium voluntatis hominis instructi Physica: ergo effectio entis naturalis cadit sub imperium voluntatis eiusdem. Distinguo consequens: cadit immediatè sub imperium voluntatis hominis, nego: mediatè, concedo consequentiam. Est dicere: Homo instructus Physica potest pro suo libito applicare causam, quæ producat ens naturale; sed non potest per se, & immediatè ipsum ens naturale producere. Ad hoc autem, vt cognitio entis naturalis esset practica, & dirigeret ad ipsum efficiendum, necessarium esset, quod immediatè ab homine penderet. Et ratio est clara: quia, si mediate tantum ab illo pendeat, per accidens se habet cognitio ipsius entis naturalis ad eius productionem, licèt enim is non nosset naturam ignis, posset illum producere, dummodo sciret, quomodo applicandus esset alius ignis ad illius productionem: ergo cognitio applicationis dirigit ad productionem entis naturalis, & non cognitio ipsius entis naturalis.

8 Obijcies: sanitas hominis non est immediate, & per se subdita voluntati medici, sed mediâ applicatione medicamentorum, & nihilominus medicina, quæ agit de corpore sanando, est practica: ergo, licèt ens naturale per se, & immediatè non cadat sub imperium voluntatis, quia tamen mediâ applicatione causæ potest dependere à voluntate, poterit cognitio physica dici practica. Respondeo, obiectum medicinæ non esse corpus sanum secũdum se, sed corpus vt sanabile per effectionẽ, & applicationem medicamentorum, & ideo esse practicam absolutè, quia tendit in effectionem sanitatis per applicationem medicamentorum; at verò Physica disciplina habet pro obiecto attributionis ens naturale, non prout causabile per applicationem, sed secundum se sumptum: cum autem cognitio tendens in ipsum secũdum se sumptum, non dirigat ad illum efficiendum, vt iam diximus, non erit practica.

9 Dices: cognitio, qua Physica cognoscit causam entis naturalis applicandam esse passo, vt ipsum ens naturale producat, est practica: ergo Physica est scientia practica. Distingno consequens: est scientia practica secundùm quid, admitto. absolutè, & simpliciter, nego: quia ad hoc, vt scientia sit absolutè practica, est necessarium, quod cognitio immediatè tendens in obiectum attributionis, quod est finis ipsius scientiæ, dirigat ad

ipsum

ipsum efficiendum; quia, vt docuit Aristoteles, scientiam esse absolute practicam, vel speculatiuam ex eo sumitur, quod finis eius sit opus, vel contemplatio tantum veritatis. Denique asserto, Physicam disciplinã non esse vnum habitum; sed physicè esse plures inter se aliquo modo ordinatos, quod ex dictis in Logicâ facile constat.

LIBER PRIMVS PHYSICORVM.

DISPVTATIO. I.

De Principijs entis naturalis.

VT perfectius innotescat natura entis naturalis, quod diximus, esse attributionis subiectum in Physica, oportet eius principia inuestigare. In præsenti ergo disputatione sermonem non instituimus de quibuscumque entis naturalis principijs, sed tantum de illis, quæ prima esse dicuntur, acturi postea de reliquis.

SECTIO. I.

Definiuntur prima principia entis naturalis.

1 OBserno primó, principium in tota sua latitudine significare id, à quo aliquo quoque modo incipit, aut ducit, originem. Vnde ad rationem principij duo necessariò requiruntur, & quod sit prius re illa, cuius est principium, cum vnumquodque debeat esse posterius eo, a quo incipit, aut ducit originem; & quod principium sit aliquo modo connexum cum re, cuius est principium. Ex defectu huius connexionis homo, qui natus est hodie, non est principium hominis crastino die nascituri.

2 Obseruo secundo, principium sumptum, aliud esse principium secundum aliquam originem, aut causalitatem, quales sunt omnes causæ; aliud tanquam terminum à quo, vt dicemus, esse priuationẽ respectu entis naturalis, vt generati, aliud secundum aliquem ordinem, seu positionem, vt est punctũ respectu lineæ. Rursũs, principiũ secundum originem, aliud est intrinsecũ principiãto, quales sunt materia, & forma respectu eius

naturalis, aliud extrinsecum, quale sunt causa efficiens, finalis, & exemplar; hæc enim ex conceptu proprio non petunt esse intrinseca effectui.

3 Obseruo tertio, principium posse sumi laxe, & stricte. Stricte sumitur pro principio primo, quod quidem ita est principium alterius rei, vt ipsum non habeat aliud principium, à quo sit, talis est Deus respectu creaturarum: late vero sumitur pro eo, quod licet sit principium alterius; habet tamen principium, à quo ipsum sit; tales sunt causæ secundæ, quæ ita producunt aliquos effectus, vt ipsæ ab alijs causis producantur. In præsenti ergo quæstio est de primis principijs entis naturalis, quę stricte, & in rigore apud Philosophum dicuntur principia.

4 Ea sic definiuit Arist. in hoc primo lib. text. 42. *Quæ neque ex alterutris sunt, neque ex alijs; sed omnia ex ipsis* Quę definitio, vt iacet, conuenit non solum primis principijs entis naturalis; sed primis etiam principijs cuiuslibet compositi accidentalis: ex Angelo enim vt subiecto, & ex intellectione vt forma resultat hoc compositum *intelligens*, tanquã ex primis principijs, quare vt definitio adaptetur solis principijs entis naturalis, sic accipe definitionem: *Principia sunt, quæ neque ex alterutris, neque ex alijs sed omnia entia naturalia ex ipsis sunt.*

5 Cæterùm magnum est dissidium inter authores in explicandâ hâc definitione, & præcipua difficultas adest circa particulam *ex*, in quo sensu fuerit ab Arist. prolata? Triplex enim (quod ad præsens attinet) est acceptio huius vocis: primo enim significat officiũ partis componẽtis, vt, cùm dicimus, calidum constat ex igne, & extalore. Secundo significat munus termini, *à quo* subiectum mutatur in terminum *ad quem*, vt, cùm dicimus, calidum fit ex non calido, aut ex frigido. Tertio significat munus efficiẽtis causæ, vt, cùm dicimus; filius procedit ex Patre, ignis procedit ex igne. Est igitur difficultas, in qua ex istis acceptionibus posita fuerit in definitione particula *ex*, vel an in omnibus, vel saltem in aliquibus?

6 Quidam existimant, in priori parte definitionis, nempè, *quæ neque ex alterutris sunt*, *neque ex alijs*, particulam *ex* significare habitudinem partis, in posteriori verò parte, nempe, *sed omnia entia naturalia ex ipsis sunt*, significare habitudinem tum partis, tum termini *à quo*. Sed, si hoc esset verum, reprehendendus profecto esset Philosophus, eo quod in vna, & eadem definitione vius fuisset bis eodem verbo *ex* in tam diuersis significationibus, quo non tam explicaret, quam confunderet naturam principiorum; atque adeo reijcienda est omnino præfata explicatio.

7 Recentiores aliqui Complutenses existimant, particulam *ex* in vtrâque parte definitionis solũ denotare rationem partis componentis, ita vt sensus sit: *Principia sunt,*

sunt, quæ neque ex alterutris, neque ex alijs componuntur; sed entia naturalia ex ipsis componuntur. Mouentur, quia Aristot. non posuit in definitione, *fiunt*, sed, *sunt*; at res solùm dicitur esse ex partibus, ex quibus componitur: ergo solùm locutus est in definitione de partibus compositionis; non de principijs extrinsecis, qualis est priuatio.

8 Verum, hæc sententia falso nititur fundamento; quia res non solùm dicitur esse ex principijs, ex quibus componitur, sed etiam dicitur esse ex principijs extrinsecis, qualia sunt efficiens, & terminus *à quo* Primũ constat ex Ioan. cap. 8 vbi loquens Christus cum Pharisæis ait: *Vos ex Patre diabolo estis*, ideſt, videmini filij diaboli, vel ab eo procedere: ergo res dicitur esse ex suo efficiente. Deinde dicitur esse ex termino *à quo*, vt constat ex Aristot. hic text. 47. vbi docet, colores medios esse ex contrarijs, nempe ex albo, & nigro: sed colores medij non possunt esse ex contrarijs tanquam ex partibus componentibus: ergo tanquam ex termino *à quo*. Minor probatur, tum quia, sicut ex calore, & frigore permixtis non componitur vna tertia qualitas specie distincta ab vtrâque, ita etiam ex albedine, & nigredine permixtis non potest componi vnus tertius color specie distinctus ab vtraque: tum etiam quia in eodem ex tu docet Arist. omne, quod corrũpitur, corrumpi in contraria & in eorum media, hoc est, colores contrarios non solũ corrumpi in alios contrarios, sed etiam in colores medios: id autẽ dicitur corrumpi in aliud, quod corrũpitur ex vi illius, vnde dum Arist. dicit, quodlibet corrumpi in suum contrarium, & in mediũ, manifeste sentit, colores contrarios, quales sunt albedo & nigredo, non solũ corrumpi quẽlibet ex vi sui contrarij, v. g. albedinẽ ex vi nigredinis; & è contrà; sed etiã corrumpi quemlibet ex vi coloris medij, vt est color rufus, vel ceruleus: sed si colores cõtrarij essent partes cõponentes colorem mediũ, non dicerentur corrũpi illi ex vi huius, quia partes non corrumpuntur ex vi totius ex ipsis resultantis; sed potius permanent in illo: ergo in sententia Arist. colores medij non sunt ex contrarijs tanquã ex partibus cõponentibus; sed tanquam ex termino *à quo*. Sic enim appellatur id, quod corrũpitur ex vi termini *ad quem*, vt infra dicemus.

9 Alij recentiores docent, particulam *ex* in vtrâque parte definitionis significare officium partis cõponentis, vel termini *à quo*: ita vt sensus sit: principia sunt, quæ neque ex alterutris sunt, neque ex alijs tanquam ex partibus componentibus, vel tanquam ex termino *à quo*, sed omnia entia naturalia sunt ex ipsis tanquã ex partibus componentibus, vel tanquã ex termino *a quo*. Probant primo: quia, sic explicatâ definitione, rectè concluditur, tantum esse tria principia entis naturalis, priuationem scilicet, materiam, & formã,

que est ipsissima Aristotelis mens.

Secundo quia particula *ex* tantũ potest adaptari parti intrinsecæ aut termino *à quo*: ergo ea tantum significat in definitione.

10 Hæc sententia etiã est falsa, & manifeste pugnans cum Aristot. quia forma est ex priuatione tanquam ex termino *à quo*: ergo iam vnum principiũ esset ex alio: ergo non recte explicatur prima pars definitionis per hoc, quod est non esse ex alterutris tanquam ex partibus componentibus, vel tanquam ex termino *à quo*. Respondent, formam non fieri ex priuatione sui tanquã ex termino *à quo*, quia in phrasi Arist hic text. 74. Et 7. meta. cap. 8. solum compositum dicitur fieri, non forma, atq; adeò forma non fiet ex priuatione tanquam ex termino *à quo*. Hæc tamen responsio nullius est momenti, quia, licèt in phrasi Arist. solum compositum dicatur fieri; at ipse non posuit in definitione principiorum *fiunt*, sed, *sunt Quæ neque ex alterutris sunt, neque ex alijs*, &c. sed in phrasi Arist. absolute dicitur forma esse ex termino *à quo*, vt constat ex textu 47. supra adducto, vbi docet, colores medios esse ex contrarijs, non tanquam ex partibus componentibus, sed tanquam ex termino, *à quo*, vt docuimus numero 8. ergo in phrasi Arist. recte dici potest, formã esse ex priuatione.

11 Ad argumenta recentiorũ respõdeo & ad primũ dico, quòd, licèt mens Arist. esset, tria tantùm ibi adducta principia esse admittẽ da, tamen definitio, vt ab ipsis explicatur, non conueniret illis tribus principijs, cum vnũ sit ex alio tanquam ex termino *à quo*. Ad 2. nego, particulam *ex*, tantum posse adaptari parti intrinsecæ, aut termino *à quo*, supra enim probauimus, recte dici, rem esse ex suo efficiente. Secundo, dato quod particula *ex* tantum posset adaptari partibus componentibus, aut termino *à quo*, non recta esset exolicatio data, cum vnum principium sit ex alterutro, tanquam ex termino *à quo*.

12 Dico ergo, particulam *ex* sumendam esse in totâ suâ latitudine, prout extenditur ad significandas partes componentes, terminum *à quo*, & efficiens. Probatur; quia per definitionem hanc intendit Arist. definire principia entis naturalis, vt constat ex cap. 1. huius operis: ergo debet extendi ad ea omnia, quæ participant rationem primi principij entis naturalis: sed partes componentes, terminus *à quo*, & causa prima efficiens participant rationem primi principij entis naturalis: ergo definitio extenditur ad ea omnia. Minor est certa quoad partes componentes, & terminum *à quo* probatur vero quoad causam efficientem: quia duo requiruntur, vt vna res dicatur primum principium alterius: primum est, quòd ab illa habeat esse res principiata; secundum, quod ipsa non habeat principium aliud, à quo fit, eo modo quo infra explicabimus: sed ita se habet prima causa respectu entis

entis naturalis: ergo est primum principium illius. Minor patet: quia à primâ causâ habet esse ens naturale, præterea ipsa nullum supponit principium, à quo sit: ergo, &c.

13 Dices: Aristoteles non meminit primi principij efficientis: ergo non intendit comprehendere illud in hac definitione. Fateor hic non memiaisse Aristotelē primi principij efficientis; quia huc usque non probauerat; dari primam causam; illius tamen meminit 8. lib. Physic. vbi oportunam nactus occasionem probauit, esse vnam primam causam, seu vnum primum motorem, cui rectè conuenit ratio primi principij efficientis respectu entis naturalis.

14 Ex hoc inferes; sic esse sumendam definitionem principiorum: principia sunt, ex quibus ens naturale est tanquam ex partibus componentibus essentialiter, termino *à quo*, & causa efficiente, ita vt ipsa non sint ad inuicem ex se ipsis, (hoc significat *Tò ex alterutris*) neque ex alijs rebus tanquam ex partibus essentialiter cõponentibus, termino *à quo*, & causâ efficiente. Hæc tamen intelligenda sunt de principijs collectiuè sumptis, & per distributionem accommodam: neque enim necessarium est, ens naturale esse ex quolibet principio omnibus illis modis, neque quolibet principium, nullo ex illis modis esse ex alijs, aut ex alterutris; sed sufficit ad rationem primi principij, quod ens naturale sit ex illo, vel tanquam ex parte essentialiter componente; vel tanquam ex termino *à quo*, vel tanquam causa efficiente; cum hac tamen conditione, quòd primũ principium efficiens entis naturalis, non possit esse ex alijs, aut ex alterutris tanquam ex efficiente; & terminus *à quo*, non possit esse ex alijs, aut ex alterutris tanquam ex termino *à quo*, &c. atque adeò in definitione solum negatur principia esse ex alijs; aut ex alterutris in eodem genere in quo ens naturale ex illis est. Ita P. Hurtad. in Physic. disp. 1. sect. 2.

15 Probatur, quod hac ratione debeat intelligi definitio: quia vel cum ratione principij pugnat, quod habeat aliud principium diuersi generis, ac ipsum; vel non pugnat? Si non pugnat: ergo per illam partem definitionis solum significatur; quòd principia non sint ex alijs, neque ex alterutris sub ea ratione, qua ens naturale est ex illis. Si pugnat: ergo forma non est principium entis naturalis, quod aperte contradicit Aristoteli. Probo consequentiam: quia forma ita est principium entis naturalis, vt ipsa supponat materiam, & efficiens vt principia illam producentia; imò, vt probauimus suprà, etiam supponit priuationem tanquam terminum, ex quo est ergo non poterit fortiri rationem primi principij. Secundo probatur: quia ad hoc, vt forma (idem ferto de alijs) sit primum principium in ratione partis essentialiter componentis, sufficit,

ficit, quod non supponat alias, ex quibus essentialiter componatur.

16 Objicies, priuatio est ex alio, tanquam ex termino *aquo*. ergo non poterit esse primum principium entis naturalis. Consequētia patet ex doctrinâ traditâ. Antecedens autem probatur: quia, sicut materia de priuatione formæ transit ad formam, quando generatur forma; ita etiam de formâ transit ad priuationem formæ, quãdo hæc corrumpitur: ergo, sicut priuatio est terminus, *aquo* est forma; ita forma est terminus, *aquo* est priuatio: ergo priuatio supponit alium terminum *aquo*, ac per consequens non poterit esse primum principium entis naturalis. Respondeo primo, priuationem non posse dici esse ex aliquo termino *aquo*, quia nullum habet esse, vt infra dicemus; sed quidquid sit de hoc. Respondeo secundo, priuationem ante primam productionem formæ, cuius est priuatio, nullum supponere terminum *aquo*, quia ante primam productionem formæ nulla præcesserat forma, ex quâ esset priuatio. Itaque ergo casu dicimus, priuationem esse primum principium entis naturalis.

17 Ex dictis constat primo, materiæ, & formæ ex præcisâ ratione principiorum non repugnare compositionem metaphysicam ex genere, & differentiâ, neque compositionem physicam ex partibus integrantibus: quia solum eis repugnat id genus compositionis, in quo ipsa componunt ens naturale, cuius sunt principia; sed ipsa solum componunt ens naturale tanquam partes essentiales physicæ, hoc est, tanquam materia, & forma physica: ergo ex ratione principiorum non repugnat illis compositio metaphysica ex genere, & differentia; & physica ex partibus integrantibus. Secundo constat, non omnia prima principia entis naturalis esse cõtraria. quia, licèt forma, & priuatio interse contrarientur; materia tamẽ nullam habet contrarietatem cũ formâ, aut cum priuatione. Propterea Aristoteles quando tradidit definitionem primorum principiorum, non deduxit, omnia prima principia esse contraria interse; sed è contra, prima contraria esse prima principia, ex qua conclusione argumento ducto per conuersionem rectè inferri poterat, aliqua prima principia esse contraria, quod ipse intendebat probare ex illâ definitione.

SECTIO. II.

Stabilitur numerus primorum principiorum entis naturalis.

18 Obserno primo, ens naturale dupliciter considerari posse. primò secundum se, præscindendo à sui productione; secundò prout subest generationi. Tunc sumitur secundum se præcisè, quando secundum ea tantùm consideratur, ex quibus componitur intrinsece. Tunc verò sumitur, prout subest generationi, quando consi-de-

fideratur integra entitas ipsius, prout ab alio pendens per generationem, aut productionem. Ens naturale primo modo vocari solet: ens naturale *in facto esse*, secundo vero modo vocari solet ens naturale *in fieri*, quod non intelligas (vt male aliqui) de solâ generatione entis naturalis; sed de ipso ente naturali, prout subest generationi, generatio enim non tam est ens naturale in fieri, quam fieri entis naturalis.

19 Obseruo secundo, generationem trifariâ considerari posse: primo præcise, prout est actio, qua ens naturale producitur dependenter à materiâ tanquam à subiecto: secũdo potest cõsiderari, prout est actio, per quam materia transit de priuatione formæ ad ipsam formam, quod tunc contingit, quando forma producitur in materiâ, quæ antea erat priuata ipsâ formâ · tertio prout est actio, qua materia transit de vna formâ positiuâ ad aliã formã positiuam oppositam; quod tunc contingit, quando ex vi formæ generatæ destruitur ea forma positiua, quæ antea erat in materiâ. Generatio hoc vltimo modo sumpta vocatur conuersio. An vero sit cõuersio formalis, vel tantùm causatiua? dicam in libris de generatione.

20 Obseruo tertio, terminum *aquo* alicuius actionis illum dici, qui desinit esse in subiecto ex vi termini producti per eandem actionem in eodem subiecto. terminus vero, qui producitur, dicitur terminus *ad quem* ipsius actionis. Ex hoc infero, generationem habere duplicem posse terminum *aquo*: vel enim generatio introducitur in materiâ, quæ antea erat priuata formâ, & tunc habet pro termino *aquo* priuationem, quia hæc desinit esse in subiecto ex vi formæ generatæ · vel introducitur in materiâ, quæ antea habebat formam aliquam positiuam oppositam cum formâ denuo generatâ, & tunc forma positiua erit terminus *aquo*, quia desinit esse ex vi formæ denuo generatæ. His positis.

21 Dico primo: ens naturale præcise secundùm se consideretur, prout præscindit à causis extrinsecis, duo tantùm habet principia, materiam videlicet, & formam. Probatur: quia ens naturale ita sumptum, est tantùm ex materiâ, & formâ tanquam ex partibus physicis essentialiter componentibus, quæ quidem non sunt ex alijs in eodem genere compositionis: ergo ens naturale hâc ratione sumptum, tantùm dicit hæc duo principia, & non aliud.

22 Obijcies primo · ens naturale præter materiam, & formam includit essentialiter vnionẽ vtriusque: ergo vnio etiam est principiũ entis naturalis secundùm se sumptũ. Distinguo antecedens: ens naturale includit essentialiter vnionem tanquam partem, ex quâ componitur, nego: tanquam compositionem, seu rationem cõponendi, cõcedo antecedens. Ex quo sequitur, quod vnio non est principiũ.

sed principiatio, seu ratio principiandi, vt ita dicam. Objicies secundo ens naturale est vera substantia integrè completa in suo esse substantiali: sed completur in suo esse substantiali per subsistentiam, vt dicemus infrà: ergo subsistentia erit principium illius secundùm se sumpti. Respondeo, ens naturale esse substantiam completam per subsistentiam tanquam per complementum illi in suo esse substantiali constituto superadditum, atque adeò non erit principium entis naturalis, sed potius illud consequens.

23 Dico secundò si ens naturale sumatur, prout subest generationi secundùm se sumptæ præcise, tria tantùm habet prima principia, nempe materiam, formam, & causam primam efficientem. De materiâ, & formâ probatur, quia quidquid est compositum, cum fit, vel generatur, generatur quidem à suo efficiente ex illis, ex quibus componitur: sic domus fieri dicitur ab artifice ex lapidibus, lignis, & reliquis, ex quibus constat: sed ens naturale essentialiter componitur ex materia, & formâ: ergo, quando generatur a suo efficiente, necessariò fit ex materiâ, & formâ: ergo sunt prima principia entis naturalis, prout subest generationi secundùm se sumpte. Patet hæc consequentia: quia illa, ex quibus aliquid fit, aut est, dicuntur esse principia illius, & quidem erunt prima, si ipsa non fiunt, aut fiant ex alijs in eodem genere, vt contingit in præsenti. Probatur deinde conclusio de causâ primâ efficiente: quia ens naturale non potest generari nisi dependenter à causâ primâ efficiente, quæ quidem à nullo alio efficiente dependet: ergo causa prima est primum principium entis naturalis, prout subest generationi.

24 Objicies primò: ens naturale non fit ex efficiente per generationem, quia nulla res dicitur fieri *ex*, sed *ab* efficiente: ergo nullum efficiens est principium entis naturalis, adhuc prout subest generationi. Consequentia videtur certa; quia principia sunt, *quæ neque fiunt ex alijs, &c. sed omnia fiunt ex ipsis*, atque adeo si ens naturale non fit ex efficiente, quomodo erit principium illius? Concedo antecedens, & nego consequentiam: quia principia non dicuntur in definitione esse, *quæ neque fiunt ex alijs, &c.* sed, *quæ non sunt ex alijs, &c.* Res autem, quæ generantur, recte dicuntur esse ex suo efficiente, vt suprà probatum est.

25 Objicies secundò: omne principium est prius principiato, sed forma non est prior generatione: ergo non est principium generationis: ergo neque entis naturalis, prout subest generationi. Minor probatur: quia forma fit per generationem: ergo non potest esse prior ipsâ generatione, vt per se patet. Respondeo primò, concedendo, formam non esse principium generationis, nego tamen non esse principium entis naturalis,

tis, prout subest generationi: quia, licèt generatio non fit ex formâ; attamẽ ens naturale est, seu fit per generationem ex materiâ, & formâ, & ideo ex possunt esse principia illius, prout subest generatio ni. Respondeo 2. formam aliquo modo præsupponi ad generationem entis naturalis: quia generatio entis naturalis nõ est actio, per quam producitur forma; sed alia actio, perquam producitur vnio substantialis inter materiã, & formam, cum autèm materia, & forma sint extrema vnienda per vnionem, necessarium est, quod præexistant ante illius productionem tanquam partes vniendæ per ipsam; ac per consequens, quod forma præexistat ante generationẽ, non ita vt sit principium, quòd det esse generationi, sed solum principiũ, ex quo ens naturale fit ex ipsâ, & materiâ per generationem.

25 Ad 2. priuationem, absolutè loquendo, non esse principiũ perse entis naturalis, prout subest generationi præcisè secundùm se sumptæ: quia priuatio non potest esse principiũ entis naturalis, nisi supponatur in materiâ ante generationem ipsius entis naturalis; sed generatio entis naturalis secundùm se sumpta non supponit in materiâ priuationem formæ: ergo priuatio non est perse principium entis naturalis, vt subest generationi. Maior datur ab omnibus, & per se patet. Minorem probo, quia generatio præcisè secũdùm se sumpta est productio formæ, seu vnionis in materiâ tanquàm in subiecto, orta ab efficiẽte: sed talis productio secundùm se non supponit priuationem in materiâ: ergo, &c. Minorem probo: quia, si in eodem instanti, in quo creatur materia, producatur in illâ forma vnita (vt defacto contigit in prima mundi conditione) dabitur talis productio, quin præcesserit in materiâ priuatio: hæc enim non præcedit in materiâ, nisi quando priùs tempore fuit materia sine formâ: ergo generatio secundùm se sumpta nõ supponit perse priuationem, ac per consequens hæc non est perse principium illius neque entis naturalis, prout subest generationi præcisè secundùm se sumptæ.

27 Obiicies: non potest ens naturale produci per generationem in materiã, quin materia sit priùs naturâ generatione, & termino immediatè per generationem producto qui est vnio formæ, seu forma vnita: sed, eo ipso quod materia sit priùs naturâ generatione, & eius termino, debet etiam priuatio esse priùs naturâ, ipsâ generatione, & termino generato: ergo priuatio perse est principium entis naturalis, prout subest generationi secundùm se sumptæ. Maior est certa, quia materia per generationem est causa materialis formæ vnitæ, seu vnionis, & omnis causa est prior naturâ suo effectu. Minorem probo: quia, si materia est prior generatione, & eius termino: ergo in illo priori naturæ, in quo est materia ante generationem, non est ipsa generatio, neque vnio per illam producta.

Con-

Consequentia negari nequit, alioqui non esset materia prior naturâ generatione, & termino; sed sic, vt dicebat. Pergo: ergo in illo priori est priuatio generationis, & formæ vnitæ. Nego minorem primi syllogismi. Ad probationem nego vltimam consequentiam. Ratio est: quia illud tãtùm dicitur esse prius naturâ, seu in priori naturæ respectu alterius, quod est causa illius, vel quid requisitum ex parte causæ ad illud causandum: priuatio autem neque est causa generationis, aut vnionis; neque quid requisitum ex parte materiæ ad illas causandas, (quia non potest conducere ad causandam formam vnitam priuatio, seu non esse ipsius formæ vnitæ), & ideo non est in eo priori naturæ, in quo materia præcedit generationem, & vnionem per illam productam.

28. Dices: hæc est bona consequentia; *in hoc instanti temporis non est forma vnita, ergo in hoc instanti temporis est carentia, seu priuatio formæ vnitæ*: ergo hæc etiam erit bona consequentia, *in eo priori naturæ, in quo materia antecedit generationem, & eius terminum, non est generatio, seu eius terminus, ergo est priuatio illorum*. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio disparitatis est clara: quia rem esse in hoc instanti temporis nihil aliud est, quam coexistere simul cum hoc instanti, existente autem hoc instanti non potest vere negari, quod res non coexistat simul cum illo, nisi quia deficit ipsa res: atqui res non potest deficere, nisi per sui priuationem, aut sui non esse, atque adeo ex eo, quod non sit res in hoc instanti temporis recte deducitur esse priuationem illius: at verò rem esse in priori naturæ respectu alterius nihil aliud est, nisi esse causam illius, aut quid requisitum ex parte causæ ad illud causandum. Potest autem contingere, quod neque res aliqua, neque priuatio illius sint causæ alterius, vel quid riquisitum ex parte causæ ad illud causandum, vt probari potest in homine currenti, in quo neque albedo, neque negatio albedinis est causa cursus. neque quid requisitum ex parte hominis ad causandum cursum. Hinc fit, ex eo, quod res non sit in priori naturæ, non recte deduci, esse in eodem priori naturæ priuationem illius, quia, videlicet, ex eo, quod res aliqua non sit causa alterius, non recte deduditur, quod priuatio illius sit causa eiusdem.

SECTIO. III.

Concluditur doctrina præcedentis.

29. Dico tertio: ex suppositione, quòd materia ante generationem præextiterit sine formâ vniendâ per ipsam generationem, priuatio est principium per se entis naturalis, prout subest generationi, seu ipsius generationis.

nis. Probatur: quia ex suppositione, quod materia prius tempore sit sine formâ, necessarium est, quod priuatio eiusdem formæ desinat in materiâ ex vi formæ vnitæ per generationem; quia talis forma est contradictorium priuationis: ergo necessarium est, quod priuatio sit terminus *à quo* ipsius generationis, consequentia est certa ex dictis suprà num. secundo, vbi docuimus, terminum *à quo* alicuius actionis esse id, quod desinit in subiecto ex vi termini introducti per ipsam actionem. Pergo: sed terminus, *à quo* alicuius actionis est principium actionis ipsius, & termini per illam producti, quia res dicitur esse ex suo termino *à quo*, vt suprâ dicebamus: ergo ex suppositione, quod materia præextiterit sine formâ vnienda per generationem, necessarium est, quod priuatio sit principium generationis, & entis naturalis, prout subest ipsi generationi.

20 In hunc sensum explico Aristotelem, qui in primo libro, præcipue textu 43. docet, priuationem esse per se principium entis naturalis, qui quidem intelligendus est non de principio per se simpliciter, & absolute; sed solùm ex suppositione, quod prius tempore præextiterit materia sine formâ, vt de facto contingit in generationibus, quæ modo fiunt, & quas cognouit Aristoteles. cum enim ipse putauerit, generationes esse ab æterno, nullam agnouit generationem, ante quam non præcesserit materia sine formâ. Ex dicta ista conclusione colligas; priuationem esse principium per se generationis, quæ mutatio est, ac per consequens principium entis naturalis, vt producti per generationem, quæ est mutatio, quia generatio, vt sit mutatio, necessario præsupponit materiam præexistentem cum priuatione formæ vniendæ per ipsam generationem: non enim mutatur, nisi illud, quod transit de illo, quod anteà non habebat, ad illud habendum.

21 Obiicies primo: ex dictis sequitur, non solum priuationem; sed etiam formam præexistentem positiuam dicendam fore principium generationis, & entis naturalis, quod quidem aduersatur Aristoteli, qui nunquam docuit, illam esse principium entis naturalis. Sequela probatur: quia ideo per se, iuxta Philosophum priuatio est principium per se entis naturalis, & generationis, quia, vt modò contingunt res, semper desinit in materiâ priuatio ex vi formæ vnitæ per generationem: sed, vt modò contingunt res, desinit etiam semper in materiâ forma præexistens ex vi eius, quæ denuo generatur: ergo tam per se est principium ea forma, ac priuatio. Respondeo, formam præexistentẽ, vt modò fiunt res, esse quidem principium generationis; sed non primũ iuxta doctrinam Aristot. quia in eius sententiâ; nulla forma præexistens desinit de facto, ad quam non sit præ-

suppo-

suppositus alius terminus *à quo*; quia nulla forma positiua defacto est, quæ non sit producta ex priuatione sui, vel ex aliâ formâ positiuâ tanquam ex termino *à quo*: Cum autem Aristoteles hìc enumerauerit prima principia entis naturalis, vt modo generatur, recensuit priuationem formæ producta per generationem, quæ quidem priuatio, nunquam supponit alium terminum, *à quo*, & non recensuit formam præexistentem: quia hæc semper supponit alium terminum *à quo*, vel saltem frequenter. Quod, si aliqua daretur, quæ non supponeret alium terminum *à quo*, esset quidem primum principium generationis, vt infra dicemus.

32 Obijcies secundò: priuatio non est principium perse generationis, ante quàm sit ipsa generatio, quia tunc nihil fit ex priuatione, neque, quando est generatio, quia tunc iam non est priuatio, cum hæc desinat ex vi formæ generatæ: ergo priuatio non potest esse principium generationis. Respondeo, priuationem esse principium generationis in eo instanti temporis, in quo datur generatio.

33 Instabis, quidquid est principium alicuius rei, debet esse in eo tempore, in quo exercet rationem principij. sed in instanti, in quo datur generatio, non existit priuatio: ergo in eo instanti non potest habere rationem principij. Distinguo maiorem: quidquid est principium alicuius rei debet esse in eo tempore, in quo exercet rationem principij, si sit principium influens in rem principiatam, concedo: si non sit principium influens, sed tantùm terminus *à quo* incipit actio, nego maiorem. Priuatio autem est principium tanquàm terminus *à quo* generationis, quæ in eo instanti, in quo primò datur, dicitur incipere à priuatione immediatè anteà præexistente.

34 Obijcies tertiò etiam si materia ante generationem non præextiterit sine formâ, reuerà præextitit negatio generationis, & entis naturalis producti per generationem: ergo talis negatio est terminus *à quo* entis naturalis, prout subest generationi, ac per consequens erit aliud principium præter illa, quæ assignauimus. Distinguo antecedens: præextitit negatio entis naturalis in aliquo subiecto, nego, extra subiectum, concedo antecedens. Et deindè nego consequentiam. quia, si propriè loquendum sit, terminus *à quo* alicuius actionis dicitur ille, a quo subiectum transit in terminum, *ad quem*; cum enim in casu posito, nullum præcedat subiectum, quod à negatione entis naturalis transeat ad ipsum ens naturale, fit, vt talis negatio nõ possit dici terminus *à quo*, ac per consequens, neque principium propriè loquendo.

35 Dico 4. si generatio sumatur vt cõuersio est, forma positiua, quæ priùs tempore existebat in materiâ ante generationem, est principium

pium ipsius generationis, & entis naturalis vt producti per conuersionem Probatur. quia generatio eatenùs est cõuersio, quatenùs per illã trãsit materia a formâ præexistẽte in eã, quæ producitur per generationẽ ergo ad generatione, vt conuersio est, necessariũ est, quod præexistat in materiâ, aliqua forma positiua, quæ desinat esse in ipsâ ex vi formæ generatæ: ergo necessariũ est, quod præcedat forma positiua, quæ sit terminus *à quo* generationis, vt conuersio est, ac per cõsequens, quæ sit principium illius, vt conuersionis. Animaduertendum tamen est, quòd si forma præexistens præcessisset in materiâ a primâ mundi conditione, tunc esset primum principiũ perse conuersionis; quia tunc nullã supponeret formã positiuam, quæ in illam cõuersa fuisset, atq; adeo nullum aliud supponeret principiũ in eo tẽ genere, in quo ipsa est principium cõuersionis: secus, si præsupposita fuisset alia, quæ in ipsam cõuersa fuisset; tunc enim non posset esse primus terminus *à quo* cõuersionis, cum ipsa alium terminum *à quo* conuersionis supponeret.

36 Dices: ex dictis videtur colligi, assignandũ esse aliud principium entis naturalis præter dicta, quod se habeat vt causa finalis illius quia ideo diximus, Deũ esse primum principium entis naturalis, prout subest generationi, quia ens naturale ex se est ex Deo per generationem; sed etiam ens naturale ex se est ex aliquo fine per generationem: ergo etiam finis erit principium entis naturalis, prout subest generationi. Respondeo, ens naturale esse quidem ex fine, at nõ ex indigentiâ ipsius; sed ex perfectione Dei, qui propter suam perfectionẽ operatur semper propter finẽ, atque adeo causa finalis non est dicenda principiũ perse entis naturalis, quia illa sola dicuntur perse principia illius, quæ requiruntur ex indigentiâ ipsius.

37 Sed contrà: ens naturale non exigit esse ex priuatione; & nihilominus ex suppositione, quod hæc præcedat in subiecto, est perse principiũ illius: ergo similiter, etiamsi ens naturale non exigat fieri propter finẽ, quatenus est ex se; nihilominùs ex suppositione, quod propter finem fiat, ipse finis erit principiũ perse illius. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio disparitatis est, quia ens naturale, eo ipso quod præcedat priuatio in materiâ, per sua prædicata intrinseca petit eã destruere, cũ forma ipsius entis naturalis sit opposita cõtradictorie priuationi, ac per consequens, factâ illâ suppositione, necessarium est, quòd ens naturale ex propriis prædicatis sit ex priuatione tanquàm ex termino *à quo*: at vero in alio casu nihil habet ens naturale, per quod, adhuc ex suppositione, quod fiat ex fine, petat ex illo esse. Hoc inde colliges, quod, si per impossibile Deus non operaretur propter finẽ, eodẽ pacto ens naturale, quatenùs est ex se, esset à Deo. Quod quidem inde confirmatur, quia certum est, Deũ

operari propter finem, quãdo vice alicuius agẽtis naturalis, quod propter finem non operabatur, ens naturale conseruat; vt contingit, quãdo vice vnius ignis conseruat alium ignem; & nihilominus æque bene producebatur ens naturale ab agente naturali, ac à Deo propter finem operante: ergo ens naturale non petit ex se fieri ex aliquo fine, sed id oritur ex perfectione Dei, qui operari non potest nisi propter aliquem finem.

DISPVTATIO II.

De materia prima.

COgnita iam ratione primorũ principiorum, & eorum numero assignato, gradum facimus ad inuestigandam seorsim cuiuslibet naturam. Primo igitur loco se se offert Materia, de qua agendum nobis est in hac disputatione.

SECTIO I.

Sententia Recentiorum proponitur, & refutatur.

1 ANte quã sententias referam cõmuniter adductas ab authoribus circa essentiam materiæ primæ lubet expendere nouã quandam opinionem Doctoris cuiusdam Complutensis, quam ipse à communibus Magistris Aristotele, & S. Thoma olim traditam existimat, licet non satis hucusque perspecta fuerit, & explicata. Erat lib. 1. Physicorum, disp. 3. ibi assignata (est tamẽ ordine 4.) n. 1 quæst 1. § *Nos aliam*, docet, nomen *materia* esse muneris nomen, non alicuius specialis entitatis: putat enim totũ substantiale, non esse vnum quid resultans ex duabus entitatibus, materia videlicet, & forma colligatis per vnionem, sed nouam quandam, & impartibilem entitatem, quam agens generat, non copulando; sed reducendo ad actum per vnicam existentialitatis identitatem id, quod erat in potentia (sic loquitur disput. 2. (si non numerum in fronte, sed in libri corpore positum attendas) quæst. 2. p. 2. quæstionis §. *Secunda, & vera sententia*) taliter vt materia, & forma in toto nullam admittat dualitatem realem; sed vnum, & idem sint in existẽdo. Sic loquitur ibidẽ, quæst. 1. p. 1. quæstionis §. *Habemus ergo.*

2 Hinc explicat conceptum materiæ, & formæ: dicit enim, materiam esse quamlibet rem conuertibilem in aliam, quatenus suam quidditatem ex se conuertibilem exponit actiuitati agentium, vt eam conuertant, seu traducant in actualitatem, hoc est, in eam entitatẽ, quæ denuo generatur, & vocatur forma, quia est actuatio prædictæ potentialitatis. Sic loquitur disp. 3. p. 1. quæst. 1. §. *Nos aliam.*

3 Hoc idem aliter explicat ibidem quæst. 2. §. *Intelligerent.* Dicit enim, materiam nihil aliud esse, quam faciendæ rei essentiam, prout potentialiter, & virtute cõtinetur in illo præsupposito mutabili,

bili, quod virtute agentis vertitur in ipsum. Exemp. gr. quãdo homo generatur ex embrione, ipse embrio ratione essẽtiæ hominis, prout potentialiter contentæ in ipso, tanquã in conuertibili in hominẽ per virtutẽ generantis, est materia hominis; forma verò est anima rationalis, prout est actuatio prædictæ potentialitatis: quia eo ipso quod homo fit ex embrione, per animæ productionem censetur ipsa anima actuare predictam potentialitatem, tanquam terminus, in quem conuertitur; non vero tanquã quid cum illâ colligatũ in vnum hominem per vnionẽ; & ideò ipsa anima sine consortio materiæ alicuius distinctæ intrinsecæ homini, est homo, qui quidem est corporalis simul, & spiritualis naturæ, eò quòd in se habet principiũ actiuum, & passiuum tũ actionum vitalium corporearum, vt visus, auditus, &c. tum etiam spiritualium, vt intellectionis, & volitionis. Hæc habet disput. 12. (alias 1. si frontis titulũ aspicias) q. 1. p. 2. §. *Secundo dicimus*. Hæc est mens huius authoris breuiter explicata. Videamus modo rationum momenta.

Prima probatio desumpta ex Aristotele examinatur.

4 QVod totũ substantiale non coalescat ex materiâ, & formâ colligatis per vnionẽ; probat 1. ex Aristot. lib. 7. Met. text. 56. & 60 vbi assignans discrimen inter totũ per accidens, vt est cumulus, & totum perse, vt est totum substantiale, in hoc distinguit vnũ ab alio, quod cumulus est sua componentia; totũ verò perse est aliud à suis componentibus. Idque declarat exemplo syllabæ, *Ba*, quæ non est sonus litterarum *B*, & *A*, sed vnus quidem ab vtroque diuersus. Verba Arist. iuxta Bessarionis translationẽ sunt: *Cum vero, quod ex aliquo cõpositum, sit aut vniũ totum sit, non est vt cumulus; sed vt syllaba: syllaba verò non est ipsa elementa, nec idẽ quod B, & A. nec caro, ignis, & terra sunt. Dissolutis nãque, hæc quidem amplius non sunt, vt caro, & syllaba; elementa vero ignis, & terra sunt. Est ergo syllaba aliquid, non solũ elementa, vocalis, & muta; sed vtiã aliquid aliud: & caro non solũ ignis, & terra, aut caldũ, & frigidũ; sed etiam aliquid aliud.* Ex quibus verbis colligit iste author, totũ substantiale ex mente Arist. esse vnum quid distinctum à cõpartibus, sicut syllaba, *Ba*, est vnum quid distinctum à litteris, vocali, & mutâ. Et eiusdẽ sententiæ putat esse S. Thom. pluribus in locis, vbi dicit materiam per formã fieri *hoc aliquid*, & sine illâ, neque actũ entitatiuũ habere. Hæc adducit disp. 2. (quæ 1. ponitur in fronte paginæ,) q. 2. p. 2. §. *Substantialem ergo*.

5 Cæteriũ, ni fallor, mens Arist. & S. Thom. longè alia est â mente huius Doctoris, cui non solũ non fauet Arist. prædictis verbis; sed etiã apertè cõtradicit. Arist. ergo in prædicto loco intẽdit probare, quod quando totũ aliquod substãtiale mixtũ cõponitur ex elemen-

tis exigne videlicet, terrâ, aquâ, &c. (hoc est ex materiâ affectâ qualitatibus proprijs elemẽtorũ, calore videlicet, siccitate, frigore, &c.) aliquid aliud involuit præter ipsa elementa, nempe formam substantialẽ, quæ materiã reseruãtem qualitates proprias elementorũ determinat ad esse cõpositi substantialis, quod dicitur mixtũ: idque declarat exẽplo syllabę, quę cõponitur ex litteris mutâ, & vocali, ita vt præter has litteras involuat sonũ quendã determinatũ, qui est quasi forma determinans has litteras ad determinatam syllabam constituendam. Ita explicat ea verba Aristotelis S. Thomas in eum locum.

6 Ex his ergo nullatenus colligitur, totũ substantiale esse tertiã aliquã substantiã excludentẽ à suâ intrinsecâ entitate materiam, ex qua fit; sed solũ quòd aliquid addat supra ipsam: taliter tamen vt ipsâm etiã includat; id quod clarè expressit Arist. in prædicto loco: addit enim: *Est ergo syllaba aliquid non solũ elemẽta, vocalis, & muta* (hoc est prolatio similis prolationi vocalis, & mutę) *sed etiã aliquid aliud & caro non solũ ignis, & terra, aut calidũ, & frigidũ* (hoc est materia affecta calore, & frigore, quæ sunt qualitates propriæ ignis & terræ idẽ enim est apud Arist. in præsenti, *ignis, & terra*, ac materia affecta calore, & frigore, & propterea addidit · *aut calidũ, & frigidũ*) *sed etiã aliquid aliud* Qui autẽ dicit, syllabã non solũ esse litteras; sed aliquid aliud, manifestè declarat, includere ipsas litteras, & aliquid aliud præter illas, & idẽ esto de carne. Idque ex se est manifestum in syllaba *Ba*, quæ quidẽ non includit sonum qualencunq; sed facientem prolationẽ similem prolationibus B. & A. ergo præter sonum, qui est forma illius, includit etiã litteras (hoc est prolationem similẽ prolationi litterarum) quæ se habent vt materia: ergo exemplũ syllabæ non probat, materiam non includi toto substantiali, sed potius oppositum.

7 Denique in fine libri septimi, cum dixisset, formã totius substantialis esse naturã, & substantiã, cõcludit his verbis: *Elementum vero, in quod diuiditur* (cõpositum) *inexistens, vt materiã, puta syllabæ ipsum A, & B.* Quibus verbis iuxta explicationẽ S. Thom. in eũ locum; in eo distinguit elementũ à formâ cõpositi, quod hæc cõstituit cõpositum tanquã principium formale; illud verò est id, in quod diuiditur cõpositum tanquã in aliquid, quod erat illi intrinsecũ, vt materia: ergo iuxta explicationẽ S. Thomæ apertè sentit Arist. materiam esse intrinsecam cõposito, & hoc destructo illam remanere.

Secundum fundamentum ex Sacra pagina deductum expenditur.

8 SEcundò probat suã sententiã præfatus Doctor ex sacrâ paginâ, in quâ sæpe homo vocatur anima. Sic Genes 2. vers. 7. dicitur: *Et factus est homo in animã viuentem.* Hoc est anima viuens. Deinde capit. 14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi*: et sic in alijs pluribus

ribus locis ergo ex sacrâ paginâ idem est *homo*, ac, *anima*: ac per consequens homo non erit duplex entitas, sed vna simplex, siquidẽ anima est simplex entitas, & non cõposita ex duab⁹. Præterea Gẽ. 6 vers. 3. dicitur homo *caro*: *Nõ permanebit spiritus meus in homine: quia caro est*. Et Athanas. in symbolo ait: *Non conuersione Diuinitatis in carnẽ, sed assumptione humanitatis in Deũ* Vbi caro & humanitas pro eodẽ sumuntur in aduersatiua. Ex quibus colligi videtur, carnẽ & animã non esse duas entitates vnione colligatas; sed vnam & eandẽ per vnicã existentialitatis identitatẽ: quia, si caro est idẽ quod homo, & anima est idẽ quod ipse homo, sint idẽ inter se necesse est, iuxta cõmune principiũ: *Quæ sunt eadẽ vni tertio*, &c. Hanc probationẽ adducit disp. 2. (alias 1.) q. 1. p. 2. quæst. §. *Secũdo dicimus*.

9 Hoc argumẽtũ, naturã animæ rationalis, labefactare videtur: quia per te anima rationalis est idẽ realiter quod caro: sed caro secũdũ suã entitatẽ est absolutè corporea, diuisibilis, admittens augmentũ, ac decrementũ, & corruptibilis, vt fatentur omnes, & experientia ipsa manifestat. ergo & anima rationalis secundũ suã entitatẽ erit absolutè corporea, diuisibilis, admittens augmentũ, & decrementũ, & corruptibilis. Patet consequentia quia *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadẽ inter se*: sed per te anima rationalis est idẽ cum carne, quæ est corporea, &c. Ergo ipsa etiã erit corporea, &c. Hoc autem cõponi nequit cum natura animæ rationalis, quæ iuxta Fidẽ, adhuc dũ constituit hominẽ, spiritualis est, indiuisibilis, & incorruptibili. ergo & tua sententia, pugnat cũ naturâ animæ rationalis.

10 Neq, sacra pagina fauet huic Doctori. quia licet sacri scriptores totũ hominẽ nonnunquã *carnem*, nonnunquã *animam* appellent, id faciunt per figurã synecdochen, per quã pars pro toto sumi solet frequẽter apud Hebræos, vt aduertunt P. Maldonat. in Ioan. c. 1. vers. 41. & P. Bõfrin in Genes. c. 14. & passim interpretes sacræ Scripturæ. Idquod apertè colligitur vel ex ipsis locis, quæ profert prædictus Doctor; quia certũ est apud omnes, hominem non solùm continere carnẽ; sed ossa etiã, neruos, venas, &c. Et nihilominus in prædictis locis dicitur esse caro: ergo necessario fatendum est, ibi sumi partẽ pro toto, hoc est, carnem pro toto coalescente ex ipsa carne, ossibus, neruis, &c. ergo idẽ dicendũ erit, etiamsi anima distinguatur à carne.

Tertium fundamentum conuellitur.

11 TErtiò probat suam sententiã disp. illa 2. quæst. 1. part. 1. §. *Sic plurima*, ex crebra substantiarum resolutione: flores enim, & herbæ dum vasa, & instrumẽto stillationi idoneo cõcludun tur, vi ignis suppositi abeunt in tenues vapores, qui quidẽ non sunt partes aliquæ antiquæ substantiæ; neq, enim in aridâ substantiâ (qualis sæpe est illa, quæ resoluitur in

vapores) dantur partes aqueæ, & liquidæ, quales sunt illæ, quæ stillantur. Et ideo dicendum est, liquorem illum esse nouam quandã substantiã denuo genitam, in quã ita conuertitur antiqua, vt nulla pars huius in illâ perseueret actu, sed tota virtus, & efficacitas antiquæ, operationes, & accidentia spiritus tota illius cõtineantur in nouâ. Hùc faciunt plura alia exẽpla, quæ ibidem adducuntur ab hoc authore.

12 Hoc argumentũ multas pãtitur difficultates: quia, si nulla pars antiquæ substantiæ perseuerat in humore illo è floribus stillato; in primis non video, qua ratione possit continere virtutem, & accidentia spiritualiora illius, aut quæ causa illã nouam substantiam generabit? Nam calor ignis suppositi, aut ipse ignis non est sufficiens ad illã generandã, cum ea substantia; vtpotè quæ perfectiores contineat operationes, perfectior sit igne supposito, & perfectior effectus non possit gigni ab entitate imperfectiori tanquã à causâ principali. Neque potest illã gignere antiqua florum substantia. quia, cum hæc in tuâ sentẽtiâ conuertatur in nouam, perire debet ex vi huius in eodẽ instãti, in quo alia gignitur, quandoquidẽ id dicitur cõuerti in aliud, quod desinit ex viribus: nequit autẽ vlla causa effectũ producere in instanti, in quo perit; cum non sit in eo instãti, & id, quod nõ est, non possit aliquid producere.

13 Neque Deus potest illã nouam substantiã producere ad existentiã dispositionũ tunc temporis existentiũ: quia in illo instanti non perseuerant dispositiones productæ in antiquâ substantiâ, cum tota illa tunc pereat, ac per cõsequens eius accidẽtia; quæ quidẽ subiecto pereunte non possunt non perire. Deinde non datur aliquod agens, quod nouas aliquas dispositiones possit introducere in substantiã denuo genitâ, neque enim ignis potest eas producere, cũ nunquã eas alibi producat, neq; substantia antiqua, quæ non est. Præterea, etiã si tales dispositiones producerentur in substantia denuo genita, vel ad illam ex antiquo subiecto denuo transirent, non possent deseruire ad eius generationẽ, cũ supponeretur iam producta. Aquo ergo produceretur ea noua substantia?

14 Secundò experientia cõstat, non omnes partes herbarũ conuerti in substantiã liquidã, sed quasdã conuerti in vapores, & quasdã in cadauer (sic loquiti ipse Author) Cur ergo non omnes cõuertuntur in vapores? Respõdebis, ideo esse, quia non omnes habent eandẽ dispositionẽ, sed quædã habent dispositionẽ aptã, vt adueniente calore cõuertantur in vapores, & quædã in cadauer. Bene: ergo ex diuersis dispositionibus prouenit, quod hæ in vapores, & illæ in cadauera cõuertantur. Cur ergo non poterit idẽ dici in opposita sẽtẽtia? Nempe quòd licèt omnes partes cõstent materiâ, & formâ vnius; quædam tamen conuertuntur in vapores, quia habent dispositionẽ aptã; vt aduenẽte calore introducatur in

earum

earum materiâ dispositio requisita ad formâ vaporis; aliæ verò in cadauer propter dispositionẽ aptam ad formã cadaueris. Ex his soluta manet ratio desumpta ex crebrâ resolutione substantiarũ abeuntiũ in vãpores vi ignis suppositi, dum in vase stillatorij idoneo concluduntur, facilius enim assignatur ratio talis resolutionis, si substantia completa ex materiâ & formâ vnitis coalescat, vt constat ex dictis.

Quarta probatio retorquetur.

QVarto probat suam sententiam: quia, si totum substantiale non esset vna entitas impartibilis, sed coalescens ex materiâ, & formâ vnitis, non esset vnũ perse, & simpliciter vnum: hoc dici nequit: ergo neque illud. Maiorem probat, Primò, quia quæuis vnio realis dualitatẽ conseruat, & ideo vnitum faciet, non vnum, & colligatam; apparentem, & solo datam nomine habebit vnitatem, re enim manipulus quidã, & fascis erit. Secundò, quia, si duæ sunt partes in toto, non possunt facere ens, sed maius ens: maius autẽ non est simpliciter tale; sed quantitatiuum tale, idest, maius tale vnum, vt vlna. Sunt ipsissima verba huius Doctoris disput. illa 2. quæst. 2. part. 2. §. *Est ens naturale.*

16 Hæc ratio, ni fallor, probat, Christum Dominum non esse vnum perse, aut vnum ens simpliciter, sed maius ens: quia per te id, quod coalescit ex partibus distinctis vnione colligatis, vnitum est; non vnum, & colligatam, apparentem, & solo datam nomine vnitatem habet, quia reuerâ est fascis, & manipulus: sed Christus Dominus coalescit ex Verbo Diuino, & humanitate ita colligatis per vnionem, vt post hanc sint duæ entitates realiter distinctæ, vt docet fides tradita in symbolo Athanasij per hæc verba: *Vnus autem non conuersione Diuinitatis in carnem; sed assumptione humanitatis in Deum:* ergo non cõstituunt vnum reuerà; sed apparenter tantũ, & solo nomine: hoc autẽ videtur esse cõtra Fidẽ Catholicã ibidẽ traditã his verbis: *Qui licèt Deus sit, & homo, non duo tamen; sed vnus est Christus*, Et infra: *Vnus omnino, non confusione substantiæ; sed vnitate personæ:* ergo & tua ratio, ex quâ id infertur, contradicere videtur Fidei.

17 Secundò; per te, vbi duæ sunt partes, aut entitates distinctæ, nõ datur ens; sed maius ens, & maius non est simpliciter tale; sed quantitatiuum tale: atqui in Christo Domino sunt duæ entitates distinctæ, humanitas videlicet, & Verbum Diuinum. ergo Christus Dominus non est ens; sed maius ens, ac per consequens non est simpliciter tale; sed quantitatiuum tale: hoc autem quis audeat dicere? Respondet, in Christo Domino dari vnam personam; non vero vnam naturam. Sed contrà persona reuerà est ens: ergo vbi datur reuerâ vna persona, datur reuerà

vnũ ens; atqui in Christo Domino vt reuera detur vna persona, non obstat, quod hæc coalecat ex duabus entitatibus distinctis vnione colligatis: ergo neque ad hoc, vt reuera detur vnum ens obstabit, quod coalescat ex duabus entitatibus vnione colligatis.

18 Hinc soluitur argumentum factum ab eo Doctore: dicimus enim, vnionem constituere quidẽ vnitas partes, quas coniungit; totum vero, quod per illam ex partibus coalescit, non constituit vnitũ, cum illud non vniat alteri; sed vnum; sicut vnio nectens Verbum Diuinum cum humanitate constituit quidem hæc extrema vnita; Christũ vero, qui est totum ex illis coalescens per vnionem, non constituit vnitum; sed vnum. Deinde sicut Christus Dominus est vnum perse, ac ens simpliciter, & non solum apparenter, ac nomine tenus, sic etiam natura coalescens ex materia, & forma vnitis erit reuera vnũ perse, & ens simpliciter; non vero apparenter tantũ, & solo nomine. Idq; cõfirmat Philosophia, quia nullus est, qui neget hominẽ, aut equum esse reuera vnũ perse, & simpliciter ens, & tamen certum est coalescere ex partibus integralibus distinctis *vnione* colligatis: ergo colligatio per vnionẽ nõ tollit apud Philosophos veram vnitatem rei ex tali colligatione resultantis.

19 Ad secundam probationem respondeo, non quamlibet vnionem entitatum facere maius ens; sed eam solum, quæ fit secundum quantitatiuam extensionem, vel illi similem. Vox enim *maius* ex primaria sui institutione assumpta est ad significandum excessum secundum quantitatem, vt fatetur prædictus author in sua obiectione. Inde extensa est ad significandum excessum alioqualiter similem quantitatiuo & ideò dicimus, hominem habere maiorem perfectionem, quã equum. Nihilominus nullatenus absolutè dicitur, *Homo est maior equo*, seu, *maius ens quam equus*. Sic contingit in præsenti: posita enim vnione materiæ, & formæ dici quidem potest, totum ex illis coalescens habere maiorẽ perfectionem, quam materiam; non vero esse maius ens, quam materiam: sicut totum coalescens ex Verbo Diuino, & humanitate nullatenus dicitur esse maius ens; quã humanitatẽ; sed vnũ ens. Confirmatur; quia in sententia aduersariorum totum coalescens ex albedine, & pariete colligatis per vnionem non dicitur maius ens, quam paries; sed vnum ens accidentale: cur ergo totum coalescens ex materia, & forma vnitis dicetur maius ens, & non vnũ ens substãtiale? Vide quã debilesit tuũ argumẽtũ.

Tres aliæ probationes expenduntur.

20 His addit quintam probationẽ: quia totum coalescens ex forma accidentali est accidentale. sed, si substantia corruptibilis coalescat ex materia, & forma vnione colligatis, forma eius erit accidentalis: ergo totum ex eis resultans erit accidentale.

Maior

Maior est certa. Minor probatur: quia forma quæuis adest, & abest materiæ, cui vnitur, præter eius corruptionem: ergo est illi accidentalis. Patet consequentia, tùm quia ea est definitio accidentis traddita à Porphyrio: tum etiam, quia Aristoteles lib. 1. de Gener. cap. 4. text. 23. definens alterationē (quæ quidē productio accidentis est) ait: *Quando subiectum in se permanens in suis mutatur effectibus, tunc alteratio est.* Ergo quando materia mutatur per formā illi aduenientem, datur alteratio, quando quidem materia in se permanet sēper. Hæc habet disp. illa. 2. quæst. 2. p. 2. §. *Vnitati succedat.*

21 Ex hoc argumēto, si aliorius efficacitatis est euidenter colligitur, Christum Dominum esse totum quoddam accidentale, & non substantiale: quia humanitas reuera accedit Verbo Diuino, cum ita illi adsit, vt abesse possit sine verbi corruptione; & præterea vnio ad Verbum accidit humanitati propter eandē rationem: ergo totū ex illis coalescens erit accidentale, si standum sit tuæ ratiocinationi. Hoc autem quis admittet? Respondeo ergo ad argumentū, duplex dari accidens: vnum physicū, & entitatiuum; alterum logicum, quod dicitur prædicabile. Vide quæ dixi in logica disputat. 14. sect. 1. Totum autem, quod coalescit ex forma, quæ sit accidēs physicum, & entitatiuum, est accidentale; non verò totum, quod coalescit ex forma, quæ sit accidens logicum. Alioqui Christus Dominus esset totum quoddam accidentale, cum coalescat ex humanitate, quæ est accidens logicum, seu prædicabile respectu Verbi Diuini, cum quo vnitur ad constituēdum Christum. Hinc est, quod totum coalescens ex materia, & forma equi v. g. non sit totum accidētale: quia, licet hæc forma accidat materiæ, accidit tamen vt accidens logicum, aut prædicabile, sicut humanitas Verbo Diuino; non verò vt accidens entitatiuum, quia forma entitatiuè est substantia, & ideo constituit totum substantiale. Videantur, quæ circa conceptum substantiæ, vt distinguitur contra accidens, dicta sunt in logica disp. 16. sect. 1. Arist. verodum dicit, dari alterationem, quando subiectum in se permanens mutatur, loquitur non de quocumque subiecto, sed de subiecto, quod sit substantia completa, vt constabit ex dicendis infra disputatione decimanona, sectione 4.

22 Sextò sic argumentatur, ibidem, §. *Corruptibilitas.* Homo habet vitam corruptibilem. sed, si coalesceret ex materia, & forma vnitis, nō haberet vitam corruptibilem, quia vita eius esset sola anima, quæ quidem non est corruptibilis: ergo non coalescit ex materia, & forma vnitis; Si autem dicatur homo esse anima per vnicam existendi identitatem cum materia resolubilem in animam solam, & cadauer, rectè intelligitur, qua ratione homo habeat vitam

tam corruptibilem; quia sic resolvi potest incadauer. Ego fatè difficultas defendi posse existimo corruptibilitatem vitæ hominis in sententia huius Doctoris: quia in eius sententiâ homo nullam aliam entitatem includit præter animam, sed hæc est omnino incorruptibilis: ergo homo est omnino incorruptibilis. In sententiâ vero oppositâ facile occurritur obiectioni: quia, licèt anima, quæ est vita hominis, in se sit incorruptibilis, constituit tamen per vnionem cum materia viuens corruptibile, quod quidem corrumpitur dissolutâ vnione; & ideo dicitur habere vitam corruptibilem, non quoad entitatem, sed quoad constitutionem viuentis; cum illud constituat per vnionem dissolubilem. Dices: homo iuxta hanc sententiam non erit viuens; sed sola anima, cum hæc sola efficiat operationes vitales. Sed contrà est, quod viuens (vt dicemus in libr. de Anima) non solum est principium actiuũ operationum, sed etiam passiuum. Licèt ergo in homine sola anima efficiat, tamen totum compositum recipit operationes vitales, corporeas, & propterea totum dicitur viuere. Deinde, licèt sola anima efficiat, & recipiat intellectiones, & volitiones, totus homo dicitur intelligere, & velle, tùm quia operationes partis toti tribuuntur; tùm etiam, quia vnio animæ cum materia est conditio necessaria ad illas eliciendas pro hoc statu.

23 Septimò argumentatur ibidem. §. *Corporeitas nostra*: quia homo est corpus completè: atqui, si constat ex materia, & anima vnitis, non erit corpus completè; sed incompletè corpus ratione materiæ, & incompletè spiritus ratione animæ: ergo, &c. Cæterum, si ratio corporis completi non rectè componitur cum vnà parte spirituali, minus rectè componetur cum toto spirituali: atqui ex mià sententià infertur, totum hominem esse spirituale: ergo non poterit esse corpus, nedum completum. Minor probatur: quia homo per te non includit aliam entitatem præter animam rationalé, sed hæc est spiritualis secundũ suam entitatem: ergo totus homo est spiritualis. Si autem includat duas partes, quarũ vna sit corporea, & altera spiritualis, facile conuincitur, totum esse corporeum: quia, cum ratio corporis iuxta dicenda in libr. de Anima consistat in impenetrabilitate, & illud totum, etiamsi vnam partem habeat spiritualem, sit impenetrabile, necessarium est, quod sit corporeum. Vndè ad argumentum distinguo maiorem: homo est corpus complete si *completè* denotet esse corpus secundum totum, quod includit, est falsum: si denotet, totum compositum reuerà esse, & dici corpus, concedo, quia totum compositum est impenetrabile, vt dictum est. Deinde distinguo minorem: sed, si constat ex materiâ, & formâ vnitis non erit corpus complete in

primo

primo sensu; concedo, in secundo sensu, nego minorem.

Octauum argumentum inefficax ostenditur.

24 OCTAVO argumentatur, ibidem. § *Eandem comprobet*, quia senectus hominis non est sine substantiæ deteriorationē. sed, si homo sit totum coalescens ex materia, & forma vnitis, non potest deteriorari. ergo dicendum est, esse aliam entitatem impartibilem, quæ, cum simul spiritualis sit, & corporea, corruptibilis, & deteriorabilis, incurrat eam sui deteriorationem incurrit per senectam. Maiorem putat constare experientia. Minorem probat: quia materia, & anima hominis, cum sint ingenerabiles, & incorruptibiles, no possunt admittere deteriorationem: deinde vnio manet inuariata, dum extrema inuariata perseuerant: ergo nullam substantialem deteriorationem potest homo admittere iuxta hanc sententiam.

25 Admitto, iuxta eam sententiam non dari substantialem deteriorationem hominis per senectam; sed nescio, qua ratione dari debeat in sententia huius Doctoris; quia deteriorari hominem persenectam, vel est quod tota illa substantia impartibilis transeat in aliam imperfectiorem impartibilem etiam; vel quod aliquos gradus antiquæ perfectionis amittat. Si primum, non perseuerabit idem homo in senecta, qui erat in iuuentute; hoc autem quis dicet? inde enim sequeretur, peccata ab homine iuuene commissa extingui per aduentum senectutis, cum desinat esse substantia, quam inficiebant; vel transire in substantiam denuò genitam per deteriorationem, ita vt inficiatur peccato, quod ipsa non commisit, quod est quoddam genus peccati originalis distinctum ab illo, quod ex Adamo in posteros diffusum est. Si autem dicatur secundum: in primis das gradus intensionis in substantia contra Aristot. S. Thom. & omnes philosophos. Præterea admittis in substātia compositionem ex pluribus partibus vnione colligatis, quod abhorres. Vide quæ absurda sequantur ex deteriorātione substātiali in tua sententia.

26 Ad argumentum ergo respondeo, non deteriorari substantiam hominis persenectam; sed organa solum, & dispositiones, ex quarum defectu, seu deterioratione oritur, quod imperfectius operetur homo in senecta, quam in iuuentute. Qua autem ratione id contingat, dicam in libris de Generatione. Dices, dispositiones amissas posse ab anima recuperari, & deterioratas in pristinam perfectionem restitui, cum ipsa anima in sua virtute tales operationes contineat; atque adeo si in sua substantia nullum patiatur detrimentum, remoto agente contrario eas reuocabit in pristinam perfectio-

fectio-

sectionem. Sed contra: vel iuxta tuam sententiam in hoc sene perseverat eadem anima rationalis, quæ erat in ipso iuuene, vel alia quoad entitatem deterior. Non hoc vltimum quia iuxta fidem eadem numero anima, quæ creatur à Deo in prima hominis generatione, separatur per mortem. Si autem dicatur primum, idem inconueniens inferetur in tua sententia, quod tu infers contra oppositam quia, cum eadem anima perseueret semper, easdem semper eliciet operationes, atque adeo teneris tuo argumento respondere. Ego verò, loco citato explicabo facile, qua ratione contingat deterioratio dispositionũ perseuerante eâdem substantiâ. Hæ sunt probationes adductæ ab eo Doctore ad probandum, totum esse entitatem quandam impartibilem.

Probat. *Id solum, quod in aliud conuertitur, habere rationem materiæ.*

27 QVod vero materia sit solùm ea entitas, quę est cõuertibilis in aliã, probat ex Arist. lib. 1 physi. cap. 7. vbi ait *Materiam esse subiectum, ex quo aliquid fit*. Subiectum autem, ex quo aliquid fit, apud Aristotelem, est id, quod in aliud conuertitur: ergo & materia erit id, quod est conuertibile. Minor probatur: quia apud Arist. vnum quodque dicitur fieri ex suo contrario, atque adeo dicit, album fieri ex nigro, non vero ex dulci: sed vnum quodque contrarium conuertitur in aliud sibi oppositum: ergo subiectum, ex quo aliquid fit, apud Arist. est id, quod conuertitur in aliud.

28 Cæterum ex contextu Aristot. colligitur, longe aliam esse mentem ipsius circa materiam, quia eam definiens ait: *Materiam esse primum subiectum, ex quo aliquid fit, cum insit, &c.* ac si diceret, Materiam taliter esse subiectum, ex quo fit totum, vt sit in illo: atqui id, quod conuertitur in aliud, non dicitur esse in illo, quin potiùs desinit ex vi illius: ergo longe est Arist. à mente huius Doctoris. Adde, id dici esse in toto, quod vel includitur, vel recipitur in illo tanquam in subiecto: atqui materia dicitur esse in toto ab Aristot., & non recipitur in illo tanquam in subiecto: ergo includitur in illo. Confirmatur: quia Arist. 2. physi. text. 28. dum diuideret genera causarum, Materiæ tribuit, quod sit, *ex quo aliquid fit, cum insit*, & adducit in exemplum æs statuæ, quæ taliter fit ex ære, vt hoc includatur in illâ. ergo, dum dicit ex materia, ita fieri totum, vt illa in hoc insit, clare ostendit, materiam includi in toto, & non esse id, quod conuertitur in aliud.

29 Dices definiens Aristot. elementum dixit esse, *primum vnuscuiusque subiectum, ex quo, cum insit, &c.*, & tamen non includuntur elementa formaliter in mixto, quod fit ex illis: ergo ex eo, quòd in definitione materiæ dicatur, *cum insit*, non rectè colligitur,

tur, quod materia debeat includi formaliter in composito. Respondeo, elementũ dici inesse in mixto, quia in hoc includitur formaliter materia illius affecta qualitatibus propriis ipsius elementi: si autẽ nihil elementi proprium includeretur in mixto, non posset dici inesse in illo, & ideo, si materia, aut aliquid proprium illius non includeretur in composito, non posset dici inesse in illo.

30 Dum autem Arist. dicit, vnum contrarium fieri ex alio, loquitur de termino *à quo* effectionis, seu productionis contrarij denuo producti. Dum enim subiectum habens vnum contrarium transit ad aliud, contrarium præexistens est terminus, *à quo* transit ad aliud, & propterea hoc dicitur fieri ex illo tanquam ex termino *à quo*; id tamen non tollit, quod subiectum vtriusque maneat cum vtroque; imò idest necessarium, quia non posset transire de vno in aliud, nisi idem, quod antea erat sub vno, perseveraret postea sub alio. Hæc doctrina colligitur aperte ex Arist. dicente album fieri ex nigro: taliter enim album fit ex nigro, vt idem homo, qui erat sub nigredine, perseveret postea sub albedine: ergo ex doctrina tradita ab Arist. loco citato non rectè colligitur, subiectum præexistens ita transire in formã aduenientem, vt nihil illius substãtiã in posterum perseveret.

31 Secundò probatur ex eodem Arist. lib. 9. Metaph. text. 12. vbi declarans, quid sit ens in potentiâ, seu materia, ait, materiam hominis esse non terram, dum talis est; sed quando semen facta est, vel potiùs, quando ad substantiam aliam peruenit proximiorem generationi hominis sicut non quodlibet fit sanum à medicina; sed solum quod est sanabile, hoc est, quod ita dispositum est iam ad sanitatem, vt moueri non debeat, vel transmutari prius, quam virtus sanans sanitatem inducat. Ex qua doctrina apertè videtur colligi, rem quamlibet conuertibilem immediatè in aliam dici apud Arist. materiam vltimam illius, & primam materiam, illam substantiam, aqua primo, & remote generationes incepere.

32 Fateor, rem quamlibet verubilem in aliam dici apud Arist. materiam illius; at ex hoc nõ colligitur, nullam partem rei cõuertibilis perseuerare in ea, quæ succedit, quin potiùs oppositum deducitur ex similitudine ibi adducta ab Arist. id enim, quod potentiâ est sanum, taliter fit postea sanum, vt perseueret sub sanitate idem subiectum, quod anteà erat sine illâ & propterea Arist. 2 de Gener. text. 6. dixit *Neque enim calidum materia est frigido, neque frigidum calidi; sed subiectum amborum*: ac si diceret: etiam si ex calido fiat frigidum, & è contrà, ita tamen id contingit, vt calidum non sit materia frigidi ratione caloris; sed ratione eius, quod calori, & frigido subijcitur, & sub vtroque perseverat. Vide quantum distet Arist. ab istâ sententia. Ideergo

ergo, quod in aliud conuertitur, dicitur materia illius, certè non alia de causa, nisi quia materia in illo existens non est apta ad recipiendam ab agente formam producendam, nisi quando peruenit ad eam formam, quæ immediatè destruitur per aduenientem, & dicitur conuerti in illud, non ratione materiæ, quæ perseuerat; sed ratione formæ, quæ destruitur: hęc enim est, quæ immediate conuertitur.

33 Denique adducitur Arist. ex lib. 8. Metaph. vbi ex professo probat, totum non fieri vnum per aliquod vinculum, aut nexum intercedentem inter materiam, & formam; sed per solam virtutem agentis traducentis ad actū illud, quod erat ens in potentia: & subiungit rationem; *quia videlicet* vltima materia, & forma sunt idē. Cæterum Arist. in prædicto loco non negat eam vnionem, media qua nunc dicimus colligari materiam, & formam, sed vnionem aliam, quam nonnulli philosophi constituebant inter formam, & subiectum videlicet, inter animam, & scire, scientiam; & inter corpus, & animam, ipsum viuere. Dum autem dicit, quod vltima materia, & forma sunt idem, non ita intelligendus est, vt sint eadem entitas impartibilis: subiungit enim. *Et hoc quidem potentia, hoc vero actu*: si autem essent vna entitas impartibilis, non daretur vnum, quod esset potentia, & aliud actu, sed dicit esse idem, qua constituunt vnum integrum principium, cuius vna pars, nempe forma est agens proprietatum totius, & alia est passum: & propterea dicit esse idem nō absolute, & simpliciter; sed *quodammodo*. Tribuit autem hanc vnitatem agenti, quia producendo formam in materia constituit totum, quod ex illis coalescit.

Confutatur constitutio totius substantialis per vnius existentiæ identitatem.

34 HÆc sunt fundamēta huius Doctoris ad suam sentētiā comprobandam. Videamus modo, quæ pugnent contra illam. Et in primis, sat difficilis mihi visa est cōstitutio totius substantialis per vnius existentiæ identitatem sine dualitate partium essentialium: quia vel in homine datur alia entitas realis præter animam, quæ fiat existens per existentiam animæ, vel non. Si primum, vel ea entitas est vnita animæ, & sic coalescet totum ex illis colligatis per vnionem: vel est inuenita, & sic neque homo erit vnum per se; sed solum aggregatum ex pluribus entitatibus inunitis; neque illa entitas fiet existens per existentiam formæ, cum nulla forma tribuat effectum formalem subiecto, cui non vnitur. Si dicatur vltimum, nempè quod in homine non datur alia entitas præter animam rationalem, homo erit omnino spiritualis: quia homo per te nihil aliud est præter animam rationalem: sed hæc est omnino spiritualis: ergo.

go & homo erit omnino ſpiritualis. Minor eſt certa quia eadem anima rationalis, quæ eſt in homine, perſeuerat poſt mortem in ſtatu ſeparationis. ſed in ſtatu ſeparationis eſt ſpiritus. ergo & in homine. Maior eſt certa inter Catholicos, alioqui anima, quæ poſt mortem hominis cruciatur in inferno, eſſet diuerſa ab ea, quæ peccata commiſsit in corpore contra illud Ezechiel. capit. 18. verſicul. 4. *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur* Minor traditur ab iſto Doctore, lib. 1. diſputat. 2. citata, quæſtion. 1. part. 2. § *Primum oſtendo*. Conſequentia non poteſt negari: ergo fateri teneris, hominem eſſe omnino ſpiritualem.

35 Dicit loco proximè citato, animam dum in homine, hominis exiſtentia eſt, eſſe ſpiritualem, & corporalis vitæ formam; cuius rationem dederat. §. *Secundo dicimus*; quia, videlicet, eſt principium actiuum, & paſsiuum actionum ſpiritualium, vt eſt intellectio, & volitio, & corporearum, vt eſt viſio, auditio, &c. Sed contrà: vel in hoc, quod eſt eſſe corporalis vitæ formam, inuoluitur alia entitas præter animam rationalem, vel non. Si primum: ergo das duplicitatem in toto. Si ſecundum ergo, cum hæc anima ſit eadem, quæ in ſtatu ſeparationis, & in hoc ſit omnino ſpiritualis, in homine etiam erit omnino ſpiritualis. Quod autem anima ſit principium actiuum, & paſsiuum operationum corporalium in homine, non probat, quod entitas eius ſit corporea, ſed ſolum, quod in homine habet diſpoſitiones requiſitas ad eliciendas opera corporea, ex quarum defectu ea non elicit in ſtatu ſeparationis, ſi enim eadem entitas animæ eſt in homine, & in ſtatu ſeparationis, neceſſarium eſt, quod ſi in hoc eſt ſpiritus purus ſecundum ſuam entitatem, ſit etiam in illo.

36 Dicit ſecundo, animam in homine habere vnicam exiſtentialitatis identitatem cum materia, & ideò eſſe ſimul ſpiritualem, & corporalis vitæ formam: dum verò homo corrumpitur exhalatur anima pure ſpiritualis, incorruptibilis, & æterna; ſicut quinta ſubſtantia igne ſuppoſito exhalari ſolet beneficio artis ex floribus, herbis, & nonnullis ſolidioribus ſubſtantijs. Id docet ibidem, §. *Primum oſtendo*, & ſequentibus. Sed contra. Ea quinta ſubſtantia, quæ ex floribus exhalatur non eſt per te aliqua pars florum, ex quibus exhalatur, ſed alia entitas omninò diſtincta à præcedenti. ergo, ſi ex homine exhalatur anima, ſicut ea quinta ſubſtantia ex floribus, idcirca fiet, vt non exhaletur tanquam pars hominis; ſed tanquam entitas omnino diſtincta ab illa. Ex hoc autem ò quot pullulãt abſurda! Inprimis enim nõ afficietur ſupplicio poſt mortem ea anima, quæ in homine cauſa peccatorum fuit, neq, præmiũ obtinebit ea, quę

bona

bona opera perpetrauit, quando quidem non perseuerat post mortem, sed ea, quæ succedit loco illius.

37 Secundò, nulla anima rationalis erit actus informans, neque enim erit ea, quæ est in homine, cum nulla entitas in eo sit ab anima distincta, quæ informationem eius possit admittere, neque ea, quæ postea succedit, cum sit ab omni materia separata: ergo nulla est actus informans: hoc autem est contra Concilium Constantiense, & Martinum V asserentes animam rationalem esse actum informantem. Neque sufficit, si dicas, esse actum informantem eius materiæ, quæ immediatè conuertitur in hominẽ. Hoc, inquam, nõ sufficit: neque enim terminus conuersionis habere potest rationem formę respectu eius, quod in illum conuertitur, vt aperte constat in corpore & sanguine Christi Domini, quæ quidem non habent rationem formæ respectu panis, & vini, quæ in illa conuertuntur. Et ratio à priori est: quia forma non aliter informat subiectum, nisi se illi communicando per informationem: atqui terminus conuersionis non communicatur illi entitati, quæ conuertitur in illum, cum hæc non sit in eo instanti, in quo datur talis terminus, quia desinit ex vi huius: ergo, &c.

38 Tertiò infertur, animam rationalem non produci per creationem; sed per generationem: nam humor ex floribus exhalatus producitur per generationẽ, quia producitur ex floribus tanquam ex materia, quæ conuertitur in illum: sed anima rationalis exhalatur ex homine (vt videtur deduci ex tua sententia) tanquam ex termino, qui in illum conuertitur: ergo producitur per generationem. Deinde hæc rursus in generali resurrectione conuertetur, denuò in hominem: ergo corrumpetur, ac per consequens non erit incorruptibilis, & æterna.

39 Secundò, nescio, qua ratione vna substantia possit naturaliter conuerti in aliam, aër v. g. in aquam, si vtraque est entitas impartibilis: quia ad hoc, vt vnum conuertatur in aliud, est necessarium, quod illud desinat ex vi huius: atqui vna impartibilis substantia non potest desinere ex vi alterius impartibilis: ergo neque potest conuerti in aliam. Maior est certa: ex eo enim Petrus, qui hodie moritur, nõ dicitur conuerti in Ioannem hodiè etiam nascentem, quia non moritur ille ex vi huius. Minor probatur: quia, tunc vnum desinit ex vi alterius, quando vtrumque est incompossibile: vnum autem non est incompossibile cum alio, nisi detur aliquod tertium, circa quod suam exerceant incompossibilitatem, vt inductione constare potest: atqui nullum datur tertium, circa quod istæ substantiæ, si sint impartibiles entitates, suam incompossibilitatem exercere possint, quia non aliquod subiectum, cum nullũ habeant commune, à quo mutuo se expellant: non aliquod accidens,

dens, sub quo latere debeant, quia nullum extat commune vtriusque: qua ergo ratione vna substãtia erit causa destructionis alterius?

40 Dices: has duas substantias esse incomposibiles sub dispositionibus, quæ priùs introductæ fuerunt ab agente in substantia corrupta, & posteà perseuerant in substãtia genita repugnat enim, quod vtraque substantia simul sit sub illis dispositionibus, & ideo, aduenientè noua, pereat antiqua necesse est ex vi aduentus nouæ. Hinc est, quod vna conuertatur in aliam, cum dentur omnia requisita ad hoc, vt vna desinat ex vi alterius sub aliquâ tertiâ entitate communi vtrique.

41 Sed contra: in primis iam admittis illas dispositiones transire de subiecto adæquato in subiectum adæquatum contrã communem philosophorum sententiã asserentem, non posse accidentia transire de subiecto in subiectum, quod intelligendum est, saltem de subiectis adæquatis. Secundo: id non posset contingere, dum homo iuxta tuam sententiam resolutur in animam; quia, cum hæc, mortuo homine, non perseueret sub dispositionibus, seu accidentibus, quæ antea erant in ipso homine, nullatenus dici potest, quod homo desinat ex vi animæ existentis sub illis accidentibus.

42 Tertio in instãti, in quo producitur noua substantia, dispositiones illæ, sub quibus dicis produci, supponuntur existentes ex parte efficientis ad illius substantiæ productionem, vt fatemur infra lib. 2. disp. 2. q. 4 § *Aliud etiam adducunt*, vel in genere causæ materialis, vt doces disp. 3. q. 1 §. *Dico secundo*. Deinde ipsa substantia supponitur in genere causæ materialis ad illas dispositiones, cum non sit aliud subiectũ, in quo tunc recipiantur: ergo iam sunt sibi mutuo causæ in genere causæ efficientis, & materialis, vel in genere solius materialis: atqui id repugnat in tua sententia, vt constat ex loco proximè citato § *Secunda verò pars*: ergo nullatenus admittendum est in tua sententia, quod sub illis dispositionibus substantia noua expellat antiquam. Si autem dicamus, materiam primam esse entitatem quandam incompletã, quæ simul cum forma constituat totum per vnionem, rectè omnia componuntur, vt iam ostendo in sequentibus.

SECTIO II.

Statuitur materia prima, quæ sit entitas incompleta, & definitur.

43 COmmuniter diuidi solet materia in primam, & secundam. Prima dicitur illa pars, quæ, cum formas substantiales in se recipiat, totum substãtiale cum eis componit. Dicitur Materia, quia formas substantiales recipit; Prima vero, quia neque ipsa recipitur in alio subiecto, neque constat ex partibus, quarum vna recipiatur in alia vel secundùm se, vel saltem ratione vnionis. Mate-

ria secunda dicitur substantia completa composita ex materiâ, & formâ substantiali. Dicitur hæc substantia materia, quia saltem vt subiectum denominationis recipit accidentia; vt, ignis, qui recipit calorem, & siccitatem. Dicitur verò materia secunda, quia supponit aliam materiam, primam videlicèt, ex qua, & ex forma componitur. Prælens disceptatio de materia prima procedit.

44 Et quidem certum est apud philosophos dari in rerum natura materiam primã constat enim experientia ignem applicatum ligno calorem in illud inducere, eoque sufficienter dispolito formã ignis in ipso producere, corrũpendo formam ligni: signum ergo est dari commune aliquod subiectũ, quod præuio calore dispositũ de formã ligni transeat ad formã ignis: alioqui non esset cur ignis priùs induceret calorẽ in lignũ, vt postea formam ignis produceret, nec video cuius esset emolumenti ad producendum alium ignem, ligni, seu alterius passi approximatio, quando quidẽ nihil esset in ligno, quod ad productionẽ noui ignis conduceret. si autẽ necessariũ sit commune aliquod subiectũ, quod per generationẽ de vna forma in aliam transmutetur, facilis omnium horum assignatur ratio: iam enim necessaria erit passi approximatio, vt ignis illud per calorẽ præparet, & deinde formã sibi similẽ inducat, vi cuius pereat illa, quę antea in eodem subiecto præexistebat. Dicamus ergo dari tale subiectum commune.

45 Deinde hoc subiectum erit primum in ratione subiecti: quia vel tale subiectũ recipitur in alio; vel non? Si non recipitur in alio: ergo est primum subiectum. Si recipiatur in alio, de isto rogo, an recipiatur in alio? donec perueniamus vsque ad vnum, quod non habeat aliud, & istud erit primũ subiectum. Si autem dicas nunquam peruenirì vsque ad vnum primum: ergo concedis processum infinitũ subiectorum quem quidem omnis abhorret philosophia. Stet ergo dari in composito substantiali, qualis est ignis (& idem esto de alijs) vnum primum subiectum, hoc autem appellamus materiam primã, quæ quidem est substantia incompleta, cum sit pars compositi substantialis, quod cõflari nequit, nisi ex partibus, quæ substantiæ sint: compositum enim, cuius aliqua pars est accidens, accidentale potius est, quam substantiale, vt omnibus compertum est.

46 Tribus definitionibus conatus est Arist. materiæ primæ naturam nobis patefacere, ex quibus ea potissimũ materiæ naturam explicat, quã primo Physic text 82. tradidit in hunc modum *Materia est primũ subiectum, ex quo fit aliquid, cum insit nõ secundũ accidens.* Dicitur *primum subiectum*, vt distinguatur à substantia composita, quæ, licèt sit subiectum accidentium nõ tamen est primũ, quia supponit aliud, materiã videlicèt primam. Per eandẽ particulã differt à quãtitate, quæ licèt sit immediatũ subiectu qualitatũ, vt dicemus infra,

fra, supponit tamen materiã primam tanquã subiectũ, in quo ipsa quantitas recipitur. Conuenit tamen materia per illam particulam cum substantia Angelica; quæ est primũ subiectũ suorum accidẽtiũ, quoniã in ipsa tali modo recipiũtur, vt neque ipsa sit in alio subiecto, quia est substantia completa; neque componatur ex aliquo subiecto, cum sit simplex.

47 Additur *ex quo fit aliquid*, hoc est, ex quo fit compositũ constitutum inesse talis per formam: quia in sententia Arist. solum compositum constitutũ per formã dicitur fieri, siue sit accidẽtale, siue substantiale, vt constat ex hoc 1. lib. text. 47. vbi hæc habet: *Quare manifestum est ex dictis, quod omne, quod fit, semper compositum est.* Dicitur autem materia esse *primum subiectum, ex quo fit compositum*, quia subijcitur actioni, per quam generatur ipsum compositum, recipiendo ipsam generationẽ ab agẽte, quæ quidẽ prout ab agente oritur actio, & prout in materia recipitur passio nuncupatur: & ideo per hanc particulã explicatur concursus, quem circa compositũ habet materia per passionem. Deinde additur, *cum fit*; vt denotetur, materiã non solum concurrere per passionem ad totũ substantiale, sed etiam per vnionem, componendo illud simul cum forma. Denique dicitur, *non secundum accidens*, vt denoteur materiam per se primo ordinari ad componendum simul cum forma substantiali compositum substantiale. In quo differt à substantia Angelica, quæ licèt sit primũ subiectũ, ex quo aliquid fit, cõpositũ videlicèt accidentale, nõ tamẽ potest cõponere aliquod totũ substãtiale per vnionẽ ad formã substãtialem, sicut materia prima.

SECTIO. III.

Præmittuntur aliqua pro assignanda essentia materiæ primæ.

48 PRimo primo, duplicem esse potentiã in materia respectu formarũ substantialiũ. Vna est vmbilitas, quæ est potentia, vt vinciatur, seu affigatur formis per vnionẽ, vt cum illis totũ substantiale cõponat: altera est potentia passiua; seu receptiua formarum, quæ nihil aliud est; quàm potentia ad hoc, vt simul cũ efficiente concurrat ad formas producendas recipiendo in se actionẽ agentis: sicut enim hæc, prout est ab agente, dicitur actio, mediâ qua agens producit formã, seu terminũ in subiecto; ita etiã prout est in subiecto, dicitur passio, mediâ qua recipit formas ab agente. Ex his duobus potentijs, prima conuenit materiæ respectu omniũ formarũ substãtialiũ tam materialiũ, quàm spiritualiũ: quia ad hoc, vt totũ substãtiale cõponat cũ quacumque ex illis, necessariũ est, quod vniatur ipsis, cum cõpositio nihil aliud sit, quã distinctorũ vnio. Secunda vero cõuenit materiæ respectu formarum solum materialiũ, non verò respectu spiritualiũ, quia solùm formæ materiales producuntur dependẽter a materia tanquã a subiecto recipiente, vt dicemus disp. sequenti.

49 Pono secundò, non solum dari in materia potentiam passiuam, seu receptiuam formarum; sed etiam vnionis, per quam nectitur cum illis: quia eatenus materia est potentia receptiua alicuius termini, quatenus est potentia receptiua actionis, per quam producitur ipse terminus, neq, enim alio modo recipit terminum nisi recipiendo productionem ipsius termini: sed materia est potentia receptiua productionis vnionis: ergo & ipsius vnionis. Minorē probo quia materia est potētia receptiua generationis compositi substantialis, vt cōstat ex sectione precedenti: sed generatio compositi est productio vnionis, vt dicemus infra disp 6. sect. 3. ergo &c.

50 Pono tertio, vnibilitatem non esse potentiam realiter distinctam à materiâ. Ratio est: quia, si hæc potentia realiter distincta daretur, ad hoc deseruiret, vt materia mediâ illâ vniretur formę. Vel ergo talis potentia esset substātia, vel accidens. Si substātia: sicut ista substantia immediatè posset vniri formæ, quare non posset materia vniri immediatè, cum sit etiam substantia, neque vlla appareat ratio, propter quam talis entitas multiplicari debeat? Si autem hæc potentia esset accidens: cum formæ immediatè vniretur, necessarium esset, quod ad constitutionem totius substantialis pertineret, siquidem compositum ex ijs intrinsecè resultare debet, quæ mediâ eius vnione cōnectuntur: atqui repugnat, totum substantiale includere intrinsecè aliquod accidens, esset namque totum accidentale, quandoquidem ex accidenti aliquo resultaret.

51 Pono quartò, potentiā receptiuam, seu passiuam tam formarum materialiū, quàm vnionis esse etiam indistinctā realiter a materiâ Probatur: quia materia prima est sufficiens subiectum ad recipiēdam formam, & vnionē: ergo non est addenda alia entitas distincta ad hoc munus obeundum: aut dicito, quare nō sit materia se solâ sufficiens potētia passiua sine aliquo superaddito.

52 Dices: non implicat dari materiam, quæ se solâ non possit recipere formam substantialē, nisi adiunctâ potentiâ accidentali superadditâ: vnde ergo nosti hanc materiam, quæ datur modo; non esse talem? Admisso antecedenti, de quo non multum curo, respondeo, materiam, quæ de facto datur, non esse talem respectu formarum, quibus vniri nouimus, quia nullum apparet prædicatum in his formis, ratione cuius non sufficiat sola materia ad illas recipiendas: cur ergo illi assignabimus potentiam superadditā ad id munus, cum iuxta principium in Philosophia sacrum, nulla causa sit statuenda, nisi in effectu indigentia appareat talis causæ?

53 Dices, verum esse, non esse statuendam nouam causam, nisi in effectu indigentia appareat talis causæ, tamen neque esse absolute negandam ex eo, quod in effectu non appareat talis indigētia, quia

potest

potest esse hæc indigẽtia, quin nobis innotescat. Ex quo fit, non esse absolutè negandam potentiam receptiuam superadditam materiæ; quia, licèt in formis non appareat indigentia illius, potest tamen reverâ esse, quin nobis innotescat, & ideo neutra pars contradictionis est determinatè asserenda, sed sub dubio relinquendum, an sit vel nõ sit defacto talis potentia? Hac ratione ducti non ignobiles recentiores multa sub dubio relinquenda censent, quæ hucusq; certa fuere apud philosophos, conabor tamen hoc fundamentum radicitùs euellere, vt plures stabiliam conclusiones, quas in sequentibus asseremus

54 Duo hic possunt disputari: primum, an in formis substantialibus sit aliquod prædicatum nobis quidem incognitum, quod exigat potentiam superadditã in materiâ ad illas recipiẽdas? Et de hoc certè non curamus, quia pro neutrâ parte contradictionis est nobis ad id adstruendũ aliquod leue fundamentum. Secundum, an materia secundùm se sit sufficiens ad recipiẽda ea prædicata, quæ hucusque nouimus in formis? Et circa hoc dixi mus, materiã secundũ se esse sufficientem: quia ex vnâ parte nobis constat, materiã esse requisitam ad formas recipiendas, ex aliâ, nihil cernitur in formis, ratione cuius non sufficiat sola materia ad ipsas recipiendas: cur ergo non asseremus, se ipsa esse sufficientẽ sine potentiâ superadditã?

55 Et quidem, si ad hoc asseren dum non sufficit prædictũ fundamentum, profectò asserere nõ possumus, ignem calefacere, lo'ẽ illuminare, equũ videre, & alia plura, quæ apud omnes certa sunt: quia ad ea asserenda nullũ est aliud fundamentum, nisi quod, causâ positâ, igne, v g. posito (& idem est de reliquis) resultat calor, & nihil videtur in calore, ratione cuius ignis non possit illum producere: ergo sicut hoc sufficit ad absolutè asserendum ignẽ calefacere, sufficiat & illud ad absolutè asserendũ materiam se solâ recipere formas substãtiales: alioquin etiam sub dubio relinquendũ esset, an ignis defacto calefaciat? Quia posset fieri idem argumentũ, nempè: Nõ implicat, quod ignis sit talis naturæ, qui; licèt vim non habeat ad calefaciendum, debeatur tamen illi, quòd ad ipsius præsentiam Deus calorem producat: ergo non est certum, an defacto calefaciat. En tua argumẽtatio, quæ quidẽ, si efficax est, probat profectò, nihil esse firmum ex his, quę oculorũ experientiâ ducti determinatè asserimus.

56 Secundò impugnantur isti authores eodem, quo nos impetũt argumento: quia ipsi sic argumentantur. Nõ implicat materia, quæ se solâ non possit recipere formas substantiales: ergo nõ est certum, an præsens materia sit talis. Antecedens autem ex nullo alio capite probare possunt, nisi quia non apparet talis implicatio. Vel ergo ex eo, quod non appareat talis implicatio, rectè deducitur, de facto nõ dari hanc implicationem, vel non

rectè deducitur. Si hoc vltimum: ergo mala est ratiocinatio eorum. Si primum · ergo, sicut ipsi ex eo, quod non appareat implicatio, rectè deducunt, non dari talem implicationẽ, liceat etiã nobis ex eo, quòd in formis nullum prædicatũ appareat, ratione cuius sola materia nõ sufficiat ad illas recipiẽdas, deducere, materiã secundùm se de facto esse sufficientẽ ad id munus.

57 Pono quinto, dari etiam in materiâ vnibilitatem cum formis accidẽtalibus, tam quæ disponunt ad formas substantiales recipiendas, quàm quæ, cum sint propriæ compositi, reperiũtur in materiâ: deinde dari potentiã receptiuam tum ipsorũ accidentiũ, tum etiam vnionis cum illis. Addo, has potẽtias esse realiter indistinctas à materiâ. Quæ omnia satis constant ex dictis circa potentias, quas materia habet respectu formarum substantialium, & ideò non indigent nouâ probatione.

58 Pono sextò, essentiam rerum posse considerari physicè, & metaphysicè. Metaphysicè considerata, est illa ratio formalis, quæ nostro modo cõcipiendi se habet vt prima in entitate, & ex qua quasi oriũtur aliæ rationes formales, quæ & inter se realiter identificantur, & cum illâ prima. Sic in ente, essentia metaphysica est ratio formalis entis, vnitas vero, bonitas, & veritas sunt attributa, aut passiones: quia, licèt omnia sint idem realiter; nihilominùs ratio formalis entis nostro modo concipiendi est ratio primaria, ex qua reliquas deducimus. Physicè verò cõsiderata essentia dicitur esse omnia illa prædicata, & rationes formales, quæ realiter, *& adæquatè sunt idẽ* inter se. Sic dicũtur Esse de physicâ essentiâ entis non solùm ratio formalis entis; sed etiam bonitas, veritas, & vnitas, quia hæc omnia realiter identificantur.

59 Addidi *& adæquatè sunt idẽ* propter relationes Diuinas, quæ licèt idẽtificẽtur realiter cũ Diuinâ essentiâ, nihilominus nõ pertinent ad essentiã physicã Dei, quia nõ idẽtificãtur adæquatè cũ essentiâ Diuinâ. Ideò autẽ non idẽtificantur cũ illâ adæquatè, quia ad id necessariũ esset, quod idẽ essent realiter non solũ cũ ipsâ essentiâ; sed etiã cũ omnibus illis, cum quibus idẽtificatur realiter ipsa essentia: at relatio Paternitatis (& idem est de relationibus Filij, & Spiritus Sãcti) licèt idẽtificetur cũ essentiâ Diuinâ, non identificatur realiter cũ Filio, & Spiritu Sancto, cũ quibus identificatur etiã realiter ipsa essentia Diuina, & propterea nulla ex relationibus dicitur adęquatè identificata cum essentiâ Diuinâ.

His positis, certum est, omnes potentias, quas in hac assertione diximus dari in materiâ primâ, pertinere ad essentiam physicam illius: quia, vt iam probauimus, omnes sunt idem realiter inter se, & cum materia primâ. Est tamen non leuis difficultas circa essentiã metaphysicam, in quanam ex illis potentijs consistat? Vel an in omnibus, vel an in aliquo alio constituenda sit?

SE-

SECTIO. IIII.
Varia sententia proponuntur.

60 PRima sententia affirmat, essentiam materiæ in eo sitam esse, quòd sit subiectum formæ; rationem vero subiecti in eo constituunt, quod sit ex se indifferens ad plura composita substantialia, ad quorum singula determinetur ratione diuersarum formarum. Ratio huius sentẽtiæ potest esse: quia illud se debet habere vt subiectum alterius, quod determinatam perfectionem accipit ab illo, sed materia indifferens ad hoc, vel illud totum componendũ accipit à forma, quòd hoc, vel illud determinatè componat: ergo materia se habet vt subiectum formæ.

61 Hæc sententia sustinenda non est; quia, si ratio subiecti in eo consisteret, non esset, cur materia diceretur subiectum potiùs, quàm forma. quia, sicut materia est indifferens ad hoc, vt sit in hoc, vel illo composito in specie, ita forma est indifferens ad hoc, vt sit in hoc, vel illo cõposito numero, &, sicut materia determinatur ad hoc, vel illud compositum in specie per formam, ita etiam forma ad hoc, vel illud numero per materiam. ergo tam forma est subiectum materiæ, quàm è contrà. Secundo quia non repugnat materia ex se determinata ad vnum tantum compositum, vt de materia cœlorum existimant non pauci ergo non est pretenda ratio essentialis materiæ in ea indifferentia.

62 Tertiò. quia non apparet repugnantia in eo, quod aliqua forma ex istis, quas cognouimus, possit informare aliam materiam specie distinctam ab ista, ita vt per hanc materiam determinetur ad hoc compositum in specie, & per aliam ad aliud compositum specie distinctum; & nihilominùs nulla ex istis formis dicitur subiectum respectu materiæ. ergo, &c. Quarto: quia sicut paries est indifferens ad albedinem, & nigredinem, ita albedo est indifferens, vt vniatur homini, vel equo: atqui albedo ratione huius indifferentiæ non dicitur esse subiectum hominis, & equi: ergo neque paries ratione illius indifferentiæ dicetur subiectum albedinis, & nigredinis; ac per consequens ratio subiecti non bene explicatur per indifferentiã ad vnum, vel ad alterum.

63 Secunda sententia docet, essentiam materiæ vt sic, prout à forma distinguitur, consistere in ratione subiecti: subiectum autem dicit, esse illud, quod denominationem aliquam a forma suscipit. Itaque quando duæ partes coniunguntur ad vnum totum constituendum, & vna denominatur ab aliâ, illa, quæ denominatur, est propriè subiectum, &, quæ denominat, forma. Propterea in pariete albo paries est subiectum, & albedo forma: quia paries denominatur albus ab albedine, albedo vero non denominatur parietata. Et, in composito subsubstantiali, quale est animal, corpus est subiectum, & anima

forma, quia illud denominatur animatum; hæc verò non denominatur corporeitata. Ita P. Hurtad. in Phys. disp. 2. sect. 2.

64 Hæc tamen sentẽtia debili fcipione nititu: Primò: quia sicut materia denominatur animata ab animâ, ita etiam anima denominatur subiectata a subiecto: ergo non est maior ratio, cur vna pars subiectum dicatur potiùs, quàm alia, si ratio subiecti ex denominatrone sit colligenda. Secundo · quia ex parte rerum non est maius fundamentum ad hoc, vt paries denominetur albus, quàm vt albedo denominetur parietata ergo ea denominatio solùm prouenit ex libera hominum impositione. Antecedens probatur quia ex parte rerũ nullum est aliud fundamentum, vt paries denominetur albus, nisi quod sit vnitus albedini (licèt enim albedo, & vnio miraculosè crearentur, ita vt non reciperentur in pariete, reuera paries diceretur albus ex eo, quod esset vnitus albedini) sed albedo est etiam vnita parieti: ergo sicut vnio parietis cum albedine est nobis fundamentum; vt parietem denominemus album, ita etiam vnio albedinis cum pariete posset esse fundamentum, vt albedinem denominaremus parietatam. Confirmatur: quia plura accidentia denominationem sumunt a substantiâ, in qua recipiuntur, frequẽter enim dicitur *candor niuis*, *humiditas aquæ*, &c. Et nihilominùs neque candor est subiectum niuis, neque humiditas est subiectum aquæ. ergo non benè desumitur ratio subiecti ex denominatione accepta ab altera comparte.

65 Tertia sententia est aliquorum recentiorum asserentiũ, essentiam materiæ primæ vt sic prout à formâ distinctæ consistere in eo, quod est esse radicem quantitatis. Ratio eorum est: quia compositũ substantiale est radix quantitatis essentialis: ergo hoc prædicatum debet habere ab aliquâ parte illarum, ex quibus componitur, cum enim totum nihil aliud sit, nisi suæ partes, nullum prædicatum essentiale debet habere, quod illi non conueniat ratione alicuius partis: sed radix quantitatis nõ potest illi conuenire ratione formæ, quia saltem in homine est spiritualis, cui repugnat esse radicẽ quantitatis: ergo debet illi conuenire ratione materiæ, ac per cõsequens in hoc consistit ratio differentialis materiæ, prout distinguitur à formâ.

66 Non placent isti authores: Primò: quia non est necessarium, quod prædicata, quæ sunt in toto, sumãtur seorsim a partibus, sed illi possunt conuenirẽ singula ratione vtriusq, partis simul sumptæ ergo ex eo, quod totum sit radix quantitatis, non rectè probatur cõuenire illi hoc prædicatũ ratione alicuius partis seorsim sumptæ. Antecedẽs probatur. quia plura dantur prædicata in toto quæ non sumuntur ab aliqua parte seorsim, sed ab vtràque simul sumptâ; tales sunt rationes *vegetatiui*, & *sensitiui*, quæ conueniunt toti composito ratione materiæ, & formæ simul sump-

sumptarum, vt ipsi recentiores fatentur, & nos dicimus in lib. de Anima. 2. quia hìc inuestigamus essentiã materiæ primæ vt sic, prout abstrahit ab omni materia possibili: sed radix quantitatis non conuenit omni materiæ possibili: ergo, &c. Minor probatur: quia iuxta horum recentiorum sententiam est possibile totum spirituale cõpositum ex materiã spirituali, & formâ: sed materia spiritualis non potest esse radix quantitatis, vt admittunt ipsi recentiores; & dicimus ad libros de Anima: ergò ratio formalis materiæ, prout abstrahit ab omni materiâ, non potest consistere in radice quantitatis.

67 Nobiles quidam recentiores ex nostris nouam viam aggressi sunt. Dicunt, essentiam materiæ primæ prout distinguitur â formâ consistere in eo, quod sit principium passiuum operationem cõpositi substantialis: ens enim naturale, seu compositum substantiale, quod idem est, est principium actiuum, & passiuum motus, vt dicetur in libro secundo. Igitur ratione formæ, dicunt, habere, quod sit principium actiuum motus; ratione verò materiæ, quod sit principium passiuum, & ita de ratione formali formæ, prout a materiâ distinguitur, dicunt, esse principium effectuum omnium, aut operationum, quæ sunt propriæ compositi: & de ratione materiæ, prout distinguitur à formâ, esse principium passiuum earundem operationum. Hanc sententiam tenet sapientissimus Complutensis huius scholæ dudum Magister P. Ioannes Antonius Vson, cuius immatura mors quot fructus Philosophiæ præcidit! quantam Theologiæ auream messem, præcocé quidem ætate, sed ingenio, eruditione, & grauitate maturam inimicâ falce demessuit! Det quæso benignus lector hanc extasim, siue dolori cõmuni, siue priuato affectui.

Probat. 1. suam sententiam: quia forma est principium actiuum operationum compositi substantialis, vt expressè fatetur Aristoteles: ergo materia erit principium passiuum earundem operationum. Patet consequentia: quia materia, & forma opponuntur, & ideo debent constitui in suo esse per rationes oppositas: sed ratio opposita principio effectiuo operationum est principium passiuum: ergo, si forma constituitur in esse talis per hoc, quòd est esse principium actiuum operationum compositi, materia constituetur in esse talis per hoc, quod est esse principium passiuum earundem operationum. Secundò: quia materia est natura, vt dicemus lib. 2. ex Arist. ergo est principium, & causa motus eius, in quo est, hoc est, compositi, in quo includitur, sic enim definitur natura: sed non est principium actiuum motus compositi, vt concedunt omnes: ergo principium passiuum.

69 Hæc magis acutè sunt excogitata, quam verè. Vt autem id probem, eodem vtar argumento, quo illi recentiores pro sua sententia

tentiâ vtuntur. Sic formo rationem. De ratione formæ vt sic non est esse principiũ effectiuum operationum compositi, quod constituit ergo neque de ratione materiæ vt sic est esse principium passiuum earundem operationum. Antecedens patet: quia albedo veram participat rationem formæ, vt in confesso est apud omnes; & nihilominùs non est principium effectiuum operationũ albi, quod constituit: quia nullas efficit operationes in pariete, cum quo vt subiecto constituit album. ergo de ratione formæ vt sic, non est esse principium effectiuum operationum compositi in ipso composito.

70 Secundò: quia materia prima vt sic distinguitur â forma vt sic; quia illa est subiectum (quod est idem, ac esse materiam vt sic, prout abstrahit a prima, & secunda) secùs hæc: sed de ratione subiecti vt sic non est esse principium passiuum operationum compositi, quod componit: ergo neque de ratione materiæ primæ, vt distinguitur à forma Minorem probo. quia in compositione albi paries ingreditur vt subiectum, & nihilominùs nullas recipit operationes ab albedine, quæ sint propriæ huius compositi: ergo de ratione subiecti vt sic non est esse principium passiuum operationum compositi.

71 Tertio probatur: quia homo vt distinctus ab equo includit essentialiter materiam, & formam vt tales: ergo materia prout inclusa in homine debet seruare rationem formalem materiæ vt talis: sed materia in homine nõ est principium passiuum operationũ, quæ sunt propriæ hominis vt distincti ab equo: ergo non est de ratione materiæ vt talis, esse principium passiuum operationum compositi. Primum antecedens est certum apud omnes. Minor probatur: quia operationes propriæ hominis vt talis, & vt est distinctus ab equo, sunt intellectio, & volitio: sed intellectio, & volitio non recipiuntur in materia: sunt enim accidentia spiritualia, quæ subiectum exigunt spirituale, & propterea in anima rationali subiectari debent: ergo non est de conceptu materiæ, esse principiũ passiuum operationum compositi, in quo includitur.

72 Respondent: materiam esse receptiuam risus, & fletus, quæ sunt operationes propriæ hominis, vt homo est. Sed contra; vel de conceptu essentiali materiæ est, esse receptiuam omnium operationum compositi; vel aliquarum tãtum Si omnium: etiamsi sit receptiua risus, & fletus, cum non recipiat intellectionem, & volitionem, quæ sunt etiam propriæ hominis, vt homo est, non habebit in homine conceptũ materiæ primæ. Si aliquarum tantum sit receptiua: ergo anima rationalis habet conceptum materiæ primæ. Patet consequentia: quia de conceptu materiæ primæ perte est, esse receptiuam aliquarum operationum totius: sed anima rationalis est receptiua in-

intellectionis, & volitionis; quæ, vt vidimus, sunt operationes hominis, vt homo est. ergo conuenit illi ratio materiæ primæ. Hoc autem quis dicat?

73 Rationes adductæ pro sententiâ recentiorum nihil probant: quia, vt iam vidimus, non est de ratione formæ vt sic esse principium actiuum operationum compositi, in quo est, ac per consequens neque de ratione materiæ vt sic erit esse principium passiuũ earundem operationum Secundó: quia, vt proximè dicebamus de animâ rationali, formæ etiam conuenit esse principium passiuum operationum compositi. Ad secundam rationem fateor, materiam istam, quæ defacto datur, esse naturam, quia est principium passiuum aliquarum operationum totius compositi; inde tamen nõ infertur esse de essentia materiæ, esse potentiam receptiuam omnium operationum compositi, cum non habeat talem potentiam respectu omnium operationum, quæ sunt propriæ hominis, vt homo est. Secundo respondeo, quod, licèt argumentum probaret, talem potentiam receptiuam esse de essentiâ huius materiæ in specie, non quidem probaret esse de essentiâ materiæ vt sic, vt ex dictis constat

74 Pater Arriaga in Physici. disp. 2. sect. 2. sub sect. 2. docet, quòd, quando duo ita inter se vniũtur, vt vnum se habeat quasi antecedenter, aut præuiè ad aliud; aliud verò ei superueniat, id, quod antecedit, dicitur esse subiectum; quod verò superuenit, complemẽtum. Ex hoc colligit differentiam essentialem inter materiam, & formam quia, cum materia ex naturâ suâ præsupponatur priùs naturâ ad omnes formas (etiam si rationalem includas) essentialiter illi conuenit esse subiectum illarum: formæ verò essentialiter conuenit esse complementum partis, quam dicitur informare: quia ex naturâ suâ superuenit illi: Non multum placet hæc sententia suo authori, & meritò: Primo: quia productio termini siue actiua tantum, qualis est creatio, siue actiua, & passiua simul, qualis est eductio, dicitur esse forma termini producti, & nihilominùs hic non præsupponitur ad illam, sed potius è contrà, vt dicemus infra disp 10. sect. 2. ergo neque ratio subiecti, neque essentia materiæ primæ explicatur rectè ab isto authore. Secũdò: quia Verbum Diuinum ita vnitũ fuit humanitati Christi Domini; vt ad ipsam præsupponeretur, & ea illi aduenirет, & nihilominùs humanitas non dicitur esse forma Verbi; neque hoc subiectum illius.

SECTIO V.

Vera sententia ponitur, & probatur.

75 DIco primó essentia metaphysica materiæ primæ vt sic est esse substantiam incompletam vnibilem cum aliâ sustantiâ partiali tanquam primum subie

ctum

&c. in receptiuum vnionis. Hæc est ipsissima Arist. sententia, vt constabit ex probat one. Probatur ergo: quia essentia metaphysica alicuius rei colligenda est ex definitione datâ ad explicandam naturam eius: atqui omnia prædicta continentur in definitione posita ab Aristotele ad explicandam naturam materiæ primæ: ergo, &c. Minorem probo: quia Arist. 1. lib. Physicor. textu. 82. ait, *esse naturam materiæ primæ subyectam quasi aliquid primum, ex quo in existente aliquid fit*, quod vt probet, subiungit definitionem illius his verbis: *Dico enim materiam subiectum, ex quo aliquid fit, cum insit, non secundum accidens.* Ergo apertè tradit hanc definitionem, vt explicet naturam ipsissimam materiæ primæ.

76 In eâ autem contineri ea omnia, quæ diximus, pertinere ad essentiam materiæ primæ, est manifestū, quia per illas particulas, *eū insit, non secundùm accidens*, denotatur, quod debeat esse in toto substantiali, componendo illud per vnionem, vt diximus sect. 2. num. 47. In quibus verbis 1. continetur, quod materia debet esse quid incompletum, quia ens completum non ordinatur ex naturâ suâ ad componendum aliud. 2. cōtinetur quod debeat esse substantia, quia id, quod componit totum substantiale non potest esse accidens, vt diximus sect. 2. n. 45. 3. continetur quod sit vnita cum aliâ parte substantiali, quia non potest componere totum substantiale, nisi vniendo se alteri parti substantiali, vt constat ex ibidem dictis.

77 Per hæc omnia conuenit materia cū formâ substantiali; differt tamen ab illâ per priora verba definitionis: *Primum subiectū, ex quo aliquid fit*, per hæc enim denotatur, materiam primam esse primum subiectum recipiens generationem totius, in quo includitur, vt diximus sect. 1. in quibus verbis continetur potentia receptiua vnionis substātialis: quia, vt ibidem diximus, generatio totius est productio vnionis: ergo id, quod est potentia receptiua generationis, est potentia receptiua vnionis: neque enim potentia receptiua aliter recipit suum terminum, nisi recipiendo productionē ipsius termini. Confirmatur 1. hæc doctrina: quia substantia in completa per se primario ordinatur ad componendam substantiam completā, omnis enim pars ex suo primario conceptu ordinatur ad componendum totum, cuius est pars: ergo illud primario respicit, per quod immediatius completā substantiam constituit: id autem, vt concedunt omnes, est vnio, quam quidem duplici modo respicit materia & vt extremum vniendū per ipsam, in quo conuenit cum forma, & vt potētia receptiua illius, in quo differt à formâ ergo essentia metaphysica materiæ primæ vt sic constatur ex istis.

78 Hinc colliges, reliqua omnia præter dicta non pertinere ad essentiam metaphysicam materiæ primæ

primæ vt sic: quia ea nõ pertinent ad essentiam alicuius rei, sine quibus explicatur essentia ipsius rei: sed sine potentiâ receptiuâ formarum substantialium, & accidentiũ totius compositi, &c. explicatur ab Arist essentia materiæ primæ, vt constat ex numero præcedente: ergo non pertinet ad essentiam materiæ primæ vt sic Addeneque ad rationem specificam huius materiæ primæ, quæ defacto datur, pertinere formaliter potentiam receptiuam formarum substantialium, aut potentiam receptiuam accidentium compositi substantialis.

79 Probatur: quia id, quod est de conceptu secundario alicuius rei, nõ potest pertinere formaliter ad rationem specificã illius: atqui potentia receptiua formarum substantialium, & operationum compositi est de conceptu secundario huius materiæ primæ: ergo non potest pertinere formaliter ad rationem specificã illius. Maior est certa quia, quod est de ratione specificâ alicuius, debet esse de conceptu primario illius, cum ratio specifica cuiuscumque rei sit conceptus primarius illius, vt fatentur omnes. Minor probatur quia de conceptu secundario alicuius rei dicitur id, quod saltẽ ex obiecto modo cõcipiendi, subsequitur aliam cõceptum eiusdem rei, atqui potentia receptiua formarum substantialiũ nostro modo concipiendi subsequitur vnibilitatem materiæ cũ ipsis formis substantialibus, quia cum hæ formæ non possint vniri materiæ, quin prius in ipsâ recipiantur, eo ipso quòd materia est vnibilis cum illis, debetur illi potentia receptiua ipsarum formarum: ergo talis potentia est quid consequens nostro modo concipiendi vnibilitatem, quam materia habet cum illis formis: ergo est de conceptu secundario materiæ primæ.

80 Idem dico de vnibilitate, quam materia habet circa accidẽtia, quæ sunt propria totius substãtialis, & de potentiâ receptiuâ tũ horum accidentium, tum vnionis cum illis, quando talia accidentia petunt vniri, & recipi in materiâ. Ratio sumitur ex dictis: quia ex eo, quod hæc materia ordinetur ad componendum totum, cui talia accidentia sunt propria, debetur ipsi materiæ potentia receptiua illorum, & vnibilitas cum ipsis. Idẽ dicito de alijs accidentibus, quæ in materiâ debent recipi, & vniri ex eo, quod ipsa sit vnibilis, cum his, vel illis formis substãtialibus.

81 Dices: necessarium non est, quod forma receptibilis recipiatur in subiecto, cui vnitur: ergo nõ est, cur non sit possibilis materia non potens recipere formam receptibilem, cui vnitur: atqui talis materia esset specie distincta ab ista (quæ defacto datur) ex eo quod hæc est receptiua formæ, secus illa: ergo potentia receptiua formarum substantialium est de essentiâ specificâ huius materiæ primæ, quæ defacto datur. In primis negari potest primum antecedens, quia experientiâ constat, omnem formam, quam hucusque nouimus, recepti-

ceptibilem, de facto recipi próximè, vel remote in subiecto, cui vnitur. Ex hoc verò rectè infertur, esse proprium formæ receptibilis recipi proximè, vel remote in subiecto, cui vnitur: neque enim aliunde deduximus risibilitatem esse propriam hominis, nisi quia experientia nouimus, omnem hominem ridere: cur ergo non erit bona similis consequentia in formis receptibilibus.

82 Sed age iam, admittamus primum antecedens: eo quidem admisso, distinguendum esset duplex genus formarum receptibilium, vnum earum, quæ peterent recipi proximè, vel remote in subiecto, cui vniuntur, aliud verò earum quæ peterent aliud subiectum receptionis: *in hoc ergo casu materia, quæ ex suâ essentiâ vnibilis esset primo generi formarum*, esset quidem specie distincta a materia, quæ vnibilis esset secundo generi, non tamen distinguerentur in specie ex eo formaliter, quòd vna esset receptiua, alia non receptiua formarum substantialium, sed ex eo, quod vna esset vnibilis vni generi formarum, alia verò alteri, & ex hoc oriretur nostro modo concipiendi tanquam propria passio, quod vna esset receptiua formarum; secus altera. Quia, eo ipso quod materia sit vnibilis formæ petenti recipi in subiecto, cui vnitur, debetur ipsi materiæ potentia receptiua talis formæ: neque enim illi poterit ex naturâ rei vniri, quin illam recipiat: ergo talis potentia receptiua non pertinet ad primarium conceptum materiæ; sed oritur nostro modo concipiendi ex primario; ac per consequens est propria passio, seu attributum illius.

Soluuntur obiecta.

83 OBijcies primo materia prima ex suo primario conceptu ordinatur ad componendum totum substantiale, quod quidem componere non potest, nisi recipiendo vnionem: ergo potentia receptiua vnionis est medium requisitum in materiâ ad componendum totum: ergo talis potentia pertinet ad conceptum secundarium materiæ primæ. Respondeo, materiam primam ex conceptu primario generico ordinari ad componendum totum substantiale, in quo quidem conuenit cum formâ, at verò ex conceptu specifico ordinari ad illud componendum vt subiectũ receptiuum vnionis, cuius potentia receptiua non potest esse de conceptu secundario tanquam quid perse consequens prædicatum illud genericum, quia, si talis esset illud quidem consequeretur in forma substantiali, in quâ tale prædicatum genericum inuenitur. Quapropter dicendum est, talem potentiam receptiuam esse differentiam contrahentem illud prædicatum genericum ad rationem materiæ.

84 Obijcies secundo: non implicat dari aliquod compositum substantiale resultans ex materiâ, & For-

& formâ ; cuius forma, & vnio petant produci per creationem, vel saltem cuius vnio petat educi ex formâ, & in illa recipi, vt docent aliqui de vnione hominis, recipi vi. licet in animâ rationali: at in tali casu materia nõ esset receptiua vnionis, quando quidèm ipsa vnio non posset in illa recipi ex naturâ rei: ergo non est de conceptu essentiali materiæ vt sic potentia receptiua vnionis Incongrua quidem obiectio. Prius est inuestigare de naturâ materiæ, & formæ, vt inde videatur, an repugnet compositum in obiectione adductũ Multis iam probaui, potentiam receptiuam vnionis esse de essentiâ materiæ primæ, & inde facile do implicationem illius compositi: constaret enim illud compositum materiâ primâ, vt supponimus; & non constaret illâ quia iam probaui, esse de conceptu essentiali materiæ potentiam receptiuam vnionis, & supponitur in obiectione, vnionem talis compositi non fore ex naturâ rei recipiendam in materiâ, sed creandam, vel recipiendam in formâ: ergo esset duplex contradictorium. Et quidem eadem forma argumentandi adduci posset contra authores aliarum sententiarum, vt consideranti fiet manifestum.

85 Dices: non implicat, quòd in compositis substantialibus, quæ modo dantur creetur vnio miraculose, & in eo casu materia non reciperet vnionem: ergo non est de essentiâ materiæ primæ potentia receptiua vnionis. Mala consequentia: quia, etiam si de facto crearetur vnio miraculose, nihilominus materia ex se poteret recipere talem vnionem, & id o semper contineret potentia receptiua vnionis, in qua consistit differentia specifica materiæ primæ, non vero in actuali receptione vnionis.

86 Ex dictis colligo, quod, si daretur compositum constans partibus specie distinctis, quarũ vnio peteret creari, non esset compositum ex materiâ, & formâ: quia nulla ex illis esset subiectum receptiuũ vnionis, imo si materia, quæ modò datur, vniretur alteri parti essentialiter distinctæ, per vnionẽ, quæ peteret creari, non concurreret ad compositum quod ex vtraque resultaret, quatenus materia est, quia vt vnibilis per hanc vnionem, non esset potentia receptiua illius, ac per consequens, dum per illam concurreret ad totum, non concurreret vt materia

87 Dico secundo: materia corporea cõstituitur in esse corporeæ tanquã per differentiam essentialẽ per vnibilitatem, quam habet respectu quantitatis. Probatur: quia materia corporea specie distinguitur ab spirituali: ergo ea differẽtia, per quam constituitur in esse corporeæ, est illi essentialis: sed talis est vnibilitas cum quantitate: ergo, &c. Minorem probo. quia, vt dicimus in libr. de Anim. ratio essentialis, per quam corpus distinguitur ab spiritu, est esse naturaliter impenetrabile eo modo, quo ibi dicemus: sed materia ex eo est naturaliter impenetra-

netrabilis, quòd est vnibilis cum quantitate ita, vt naturaliter non possit ab illâ diuelli · ergo vnibilitas cum quantitate est differentia essentialis constituens materiam in esse corporeæ. Minor est certa ex Logica disput. 17. sect. 1. vbi diximus, effectum formalem quantitatis esse reddere substantiam impenetrabilem.

88 Potentia vero receptiua quantitatis, & vnionis cum ipsâ quantitate est de conceptu secundario eiusdem materiæ corporeæ: quia, eo ipso quòd materia sit vnibilis cum quantitate petente recipi in eâdem materiâ, debetur ipsi materiæ potentia receptiua quantitatis, & vnionis · ergo talis potentia receptiua nostro modo concipiendi oritur, seu est quid consequens illam vnibilitatem. Hic esset disputandum, an potentiæ, quas inueniri diximus in materiâ, dicant ordinem transcendentalem ad suos terminos, & effectus? tum etiam, an isti ordines terminentur ad effectus in communi, aut in particulari? Cæterum quia infra disp. 10. sect. 3 Idinquiro de omni causa respectu suorum effectuum, supersedendum censeo ab his quæstionibus in hoc loco.

SECTIO VI.

De existentiâ materiæ primæ.

89 EXistentiam appellamus id, quo quælibet res formaliter est existens, idest, quo actu formaliter constituitur in rerum natura extra meram possibilitatem; vt, quãdo calor, qui antea erat mere possibilis, producitur denuò, tunc quidem datur ex parte entitatis caloris aliquid, ratione cuius calor ipse terminat actionem causæ, & ratione cuius verè, & formaliter est in rerum naturâ: id ergo dicitur *existentia*. Inquirimus autem in hac sectione, an materia habeat existentiam realiter distinctam ab existentia formæ? vel, an nullam habeat, sed formaliter sit existens per ipsam existentiam formæ? In quâ re Thomistæ omnes affirmant, materiam existere per existentiam formæ. Ita Caiet. de Ente, & essentia cap. 1. quæst. 8. & 1. part. quæst. 75. art. 1. Ferrara 2. contra Gẽtes cap. 68. Sonzinas. 7. Meta. quæst. 17. Iaueli. quæst. 5. quibus subscribit Durandus in 2. dist. 17. quæst. 2. & in 4. dist. 44. quæst. 1. Præcipuam probationem sumunt ex Angelico Doctore, quẽ putant hanc sententiam tradidisse; sed infra aperiam eius mentem, & præcipuas rationes, quibus nituntur soluam.

90 In contrariam sententiam abierunt authores nostræ Societatis, P. Pereyra, Toletus, Fonseca, quos refert, & sequitur P. Rubius. 1. Physic. tract 2. quæst. 1. P. Soarez disput. 32. Meta. sect. 4. num. 9. P. Molina 1. part. quæst 3 art. 4 disput. 2. §. *Hactenus ostendimus*, circa fi em, Pater Hurtad. in Phyli. disput. 2, vbi pro se adducit PP. Conimb. Eandem sententiam tenent Scotus cum suis in 1. distinct. 12. quæst. 2. Henr. quod

quodlib. 1. quæst. 10. Gabriel in 2. distinct 12. quæst. 2. art. 3. & alij plures. Vna omnium (vno excepto Molina) ratio est quia existentia non distinguitur realiter ab essentia sed essentia materiæ primæ est distincta realiter ab essentia formæ, vt nullus non concedit: ergo existentia materiæ est realiter distincta ab existentia formæ, ac per consequens materia non existet per existentiam formæ. Maior est ex professo probanda, disp. 7. vbi longa est disputatio de essentia, & existentia.

91 Sed age iam, nolo hanc conclusionem ex eo solo capite probare. Admisso, quod essentia distinguatur realiter ab existentia, dico, materiam non existere per existentiam formæ. Probo primò: quia forma substãtialis materialis, vt admittunt cũm omnibus Thomistæ, producitur dependenter à materiâ tanquam à subiecto ipsam formam recipiente, ac per consequens ipsa materia concurrit ad formæ productionem tanquam causa materialis ipsius formæ: sed omnis causa præsupponitur existens ad effectum: ergo materia prima præsupponitur existẽs ante formam, ac per consequens non existet per existentiã formæ. Minorẽ probo: quia omnis causa est prior naturâ, quam effectus: sed non est prior naturâ secundum sua prædicata essentialia præscindentia ab existentia: ergo est prior prout existens: ergo existit ante effectum Minorem probo quia, si causa esset prior tantum, secundum sua prædicata præscindenti ab existentiâ, non esset, cur ignis possibilis non calefaceret, neque cur canis possibilis non morderet, neque cur ignis existens non produceret calorem in materiâ possibili.

92 Dices primò, ideo ignem possibilem (& idem esto de alijs causis possibilibus) non calefacere, quia non est applicatus ligno existenti. Sed contrà: aut applicatio requirit existentiam; aut non. Si non requirit, cur non est applicatus ignis possibilis cuique ligno existenti? Si requirit existentiam: ergo, cũ applicatio ignis sit necessaria, vt lignũ ab illo calefiat, erit etiam necessaria existentia ignis ad calefaciendum: ergo supponitur existens causa ante effectum: ergo & materia supponitur existens ante productionem formæ, cum sit causa materialis illius, vt iam diximus.

93 Dices secundò, materiam existere prius formâ in genere causæ materialis; formã verò existere prius materiâ in genere causæ formalis, neque esse inconueniens, quod se mutuò præcedant in diuerso genere causæ. Sed cõtrà. in primis lib. 2. disp. 18 sect. 3. diximus, non posse duas causas mutuò à se inuicẽ dependere adhuc in diuerso genere causæ. Secundò, dato, quod hoc sit possibile, hìc non habet locum mutua illa prioritas in diuerso genere causæ: quia ad hoc, vt detur, necessariũ est, quod dentur duæ entitates, quarum vnæ sit prior in vno genere, & alia in

alio: sed in casu posito, eadem existentia formæ deberet esse prior, & posterior, quia in genere causæ materialis materia prout existens per existentiam formæ supponeretur ad formam producendam, ac per consequens ad ipsam existentiam formæ, cum per eandem actionem producantur forma, & eius existentia ergo eadem existentia formæ esset prior, & posterior seipsâ. Ex his colliges, casu, quo existentia materiæ esset distincta ab ipsâ materiâ, non fore recipiendam in illâ tanquam in causâ materiali; sed solùm fore illi vniendam vt modum, qui simul crearetur cũ materiâ per eandem actionem, vt iam ostendo. Nõ me latet, aliquos recentiores Thomistas distinguere essentiam actualem ab existentiâ: vndè dicunt materiam supponi ad formam non vt merè possibilem, nec vt existentem, sed in statu âctualitatis præcise, qui est medius inter possibilitatem, & existentiam. Cæterum infrâ disput. 7. sectio. 4. probabo, talem actualitatem non distingui ab existentiâ.

93 Probatur secundò conclusio. quia eâdem actione, quâ producitur entitas, debet produci eius existentia: sed existentia formæ materialis non potest produci per eandem actionem, per quam producitur materia: ergo materia non existit per existentiã formæ. Maior est certa, quia, cum existentia sit id, per quod res formaliter est in rerum naturâ, necessarium est, quod actio ex se tendens ad ponendam ipsam rem in rerum naturâ terminetur ad vtrumque: alioquin, si ad solam entitatem, seu essentiam terminaretur, se ipsa esset formaliter in rerum naturâ entitâs, & superflua omnino esset existentia superaddita. Minor verò probatur quia existentia formæ producitur per eandem actionem, per quam producitur ipsa forma: sed forma materialis producitur per eductionem, hoc est, per actionem dependentem à subiecto recipiente tanquam à causa materiali, materia verò producitur per creationem, quæ quidem est actio independens à subiecto: ergo existentia formæ non potest produci per actionem, per quam producitur materia. Maior, & minor admittuntur ab aduersarijs. Consequentia videtur certa, quia eadem actio non potest esse dependens, & independens à subiecto.

94 Respondet Thomista, essentiam produci per eandem actionem, ac existentiam, quando existentia est propria talis essentiæ: atquando non est propria essentiæ talis, sed alterius, produci per diuersas actiones, vnam, quæ terminetur ad existentiam, & essentiam cuius est propria (si forte est producibilis) aliam, quæ terminetur ad essentiam alienã, & ad vnionem cum existentia; atque adeo in præsenti casu vnâ actione producitur existentia formæ, & ipsa forma; alterâ vero actione entitas materiæ simul cum vnione ad existen-

existentiam formæ. Vndè per actionem, per quam producitur materia, fit actiue existens, quandoquidem per illam actionẽ, non solum fit entitas materiæ secundũ se, sed etiam fit vnita existentiæ, per quam formaliter constituitur existens.

95 Sed contra primò: vnio materiæ cũ existentiâ formæ producitur per eductionem, quæ est actio dependens à subiecto. ergo, cum materiâ producatur per creationem, quæ est actio independens à subiecto, non possunt produci per eandem actionẽ materia, & vnio. Antecedens est certum: quia actio, per quam producitur vnio materiæ cum existentiâ formæ, est actio, perquam producitur totum substantiale, cum non possit non esse totum hâc positâ: sed totum substantiale producitur (vt concedunt omnes) per generationem, quæ quidem generatio est dependes â subiecto: ergo, &c.

96 Secundò, vel actio, perquã fit materia simul cùm vnione, supponit in rerum naturâ existentiam formæ; vel supponitur ad illam (loquor de prioritate naturæ) Si supponit existentiam formæ: ergo forma existens non potest produci per actionem dependentem à materiâ tanquam à causâ materiali recipiente. Patet consequentia, quia causa debet esse prius producta, quàm effectus: sed per te forma existens supponitur ad productionem materiæ ergo materia non potest esse causa materialis formæ existentis. Si vero actio per quam producitur materia simul cum vnione, supponitur ad existentiam formæ ergo prius est, quod materia simul cũ vnione terminet actionem, per quam producitur, quam quod producatur existentia formæ: ergo prius est existens materia, quam detur existentia formæ, ac per consequens non existet per illam. Probo hanc vltimam consequentiam: quia priùs quam detur existentia formæ, terminat materia suam productionem; ergo est in rerum naturâ: sed esse in rerum naturâ est esse existentem: ergo prius quam detur existentia formæ, est formaliter existens materia.

Soluuntur obiectiones.

97 OBijciunt primò: materia est potentia pura: ergo nullum habet actum ex se; sed omnem actum mutuabit à forma: ergo & existentiam. Distingvio antecedens: materia est potentia pura puritate excludente actum entitativum, nego: puritate excludente actum formalem, concedo antecedens. Est dicere: materia non includit in se aliquam formam substantialem, quæ dicitur actus formalis, quia est simplex, & non composita ex partibus essentialibus; includit tamen actum, per quem terminet actionem suæ causæ, &

sit formaliter in rerum natura, qui dicitur actus entitatiuus. In hunc sensum accipe Aristotelem, vbicunque dixit, materiã non includere in se vllum actum: loquebatur enim contra philosophos asserentes, materiam in se includere omnes formas substantiales.

98 Obijciunt secundò: materia nullam habet operationem ergo neque existentiã. Probatur cõsequentia: quia esse, seu existentia est propter operari: ergo, vbi non est operatio, non erit esse, seu existentia. Distinguò antecedens: materia nullã habet operationem in genere causæ efficiẽtis, do antecedens: in genere causæ materialis, nego antecedens, & deinde nego consequentiam. Ad probationem dico, esse, seu existentiam non esse propter operationem solũ efficiẽtis; sed etiã propter operationem aliarum causarum.

99 Obijciunt tertiò: ex duobus entibus in actu non potest cõponi vnum perse: sed, si materia habet propriam existentiam, ipsa, & forma substantialis erunt duo entia in actu: ergo ex illis non poterit fieri vnum perse. Distinguo maiorẽ: ex duobus entibus in actu completo non potest fieri vnum perse, concedo. ex duobus entibus in actu incompleto, nego maiorem. Imo necessarium est, quod vtrumq; sit in actu, quia cõpositũ reale actu existens necessario debet resultare ex partibus actualiter existentibus. Instant: ex substantiâ, & accidenti fit vnum per accidens, seu accidentale, quia vtiũque habet propriã existentiã: ergo idẽ continget ex materiâ, & formâ, si vtraque habet propriam existentiã. Nego antecedens: neque enim vnũ perse substãtiale ex eo non fit ex substantiâ, & accidẽti, quia vtrũque habet propriã existentiã, sed quia vnũ ex illis est accidens &, vnum perse, seu substantiale debet resultare ex partibus substantialibus, vt diximus supra disp. 1. sect. 2 num. 7.

100 Obijciunt quartò: existẽtia formę vnitur immediate materiæ: ergo reddit illã formaliter existẽtẽ. Antecedẽs videtur certũ: quia id, quod actuat materiã, est forma vt existẽs. Cõsequentia probatur: quia existentia eam entitatẽ reddit formaliter existentẽ, cui vnitur immediatè: ergo, si existentia formæ vnitur immediate materiæ, reddet illam formaliter existentem. Primùm antecedens non est certum: quia dato, quod existentia distinguatur ab essentiâ, potest existentia formæ esse conditio ex parte ipsius formæ requisita, vt eadem forma immediate vniatur materiæ, quin ipsa existentia vniatur immediate materiæ, sicut approximatio ignis est conditio ex partè ignis requisita ad producendũ aliũ ignẽ, quin ipsa aproximatio producat etiã ignem. Vnde in eo casu existentia formæ vniretur immediate tum ipsi formæ tribuendo illi suũ effectum formalem; tum etiam existen-

stentiæ materiæ integrando cum illa essentiam totalem compositi eó modo quo dicemus de partibus subsistentiæ correspondentibus materiæ, & formæ, de quo ex professo agam. disp. 8.

101 Sed admittamus antecedens illud primum: eo autem admisso, nego consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens: existentia eam entitatem reddit formaliter existentem, cui unitur immediatè, si sit capax talis effectus formalis, concedo: si non sit capax, nego antecedens. Materia autem non est capax talis effectus formalis, quia ad hoc, vt esset capax necessarium esset, quòd per eandem actionem produceretur, ac existentia formæ: quod constat, tum ex iis, quæ diximus supra: tum etiam quia existentia accidentis informat subiectum ipsius accidentis, & nihilominus non reddit illud formaliter existens, non aliâ de causâ, nisi quia subiectum non producitur per eandem actionem, per quam producitur existentia accidentis. Dices: ergo, si forma, & materia supernaturaliter producerentur per eandem actionem, materia existeret per existentiam formæ. Respondeo, dupliciter versari posse vnam, & eandem actionem circa materiam, & formam simul. Primò, ita vt existentia formæ esset ratio, propter quam vtraque terminaret actionem. Secundò, ita vt quælibet haberet rationem propriam, propter quam terminaret actionem. Si modo primo contingeret, existeret materia per existentiam formæ: si verò secundo modo, quævis existeret per existentiam propriam: quia ad hoc, vt existat res per existentiam à se distinctam, non sufficit, quòd tam res, quam existentia producantur per eandem actionem; sed est etiã necessarium, quod existẽtia sit id, per quod res terminat talem actionem, vt constat ex dictis num. 93.

102 Denique objcitur Sanct. Thom. ex 1 parr. quæst. 7 artic. 2. ad 3. & ex quæst. 4. de Potent. artic. 1. vbi videtur docere, materiam existere per formã. Intelligendus tamen est Angelicus Doctor de existentiâ completâ, non de incompletâ: quia, cum materia determinetur ad esse huius compositi per formam, dicitur habere esse completum ab illâ. Hanc esse mentem Sanct. Thomæ constat apertè ex iis, quæ habet quæst. 5. de verit. artic. 9. ad 6. vbi ait: *Ad 6. dicendum, quod dimensiones intelliguntur in materia non in actu completo ante formas naturales; sed in actu incompleto & ideo sunt prius in viâ generationis; sed forma est prior in viâ complementi.* Ecce concedit actum incompletum in materiâ ante aduentum formæ, & eum dicit compleri per ipsam formam: ergo, quando dicit, materiam existere per existentiam formæ, intelligendus est de existentiâ completâ, non de incompletâ. Dicit autem completam materiam per formam, &c. quia

trà, quia, cum forma semper adveniat materiæ præexistenti tanquàm perfectibili per ipsam formam, participat rationem complementi, de cuius ratione est, quòd adveniat rei incompletæ tanquã perfectio illius. Eodem modo explicandus est Arist. ſialicubi ſimilia dedit verba.

103 Adducitur etiam S. Tho. ex 3. part vbi dixit, humanitatem Christi Domini recipere esse à Verbo Explicandus tamen est de esse ſusibſtẽtiæ, non de esse existentiæ. Hic agendum erat de ſubſiſtẽtiâ materiæ, ſed vt meliùs intelligantur, quæ ad naturam ſubſiſtentiæ pertinent, diſputationem integrã de ſubſiſtentiâ inſtituam infra, vbi quid dicendum ſit circa ſubſiſtentiam materiæ, ediſces.

SECTIO VII.

De appetitu materiæ primæ circa formas.

104 Sæpè ſæpiùs docet Arist. materiam appetere formam; propterea eius appetitus explicãdus est. Pro cuius declaratione, Noto primo, appetitum propriè ſumptum esse actum, quo potentia quædam vitalis volitiua, ſeu appetitiua dicta fertur in bonum ſibi proprium, & conueniens, ipſi propoſitum per cognitionem. Talis autem appetitus diuiditur in appetitum deſiderij, & appetitũ gaudij. Appetitus deſiderij est, quo voluntas fertur in bonũ conſequendum, vt, quando æger, cognitâ valetudine, vult illam conſequi, dicitur illam deſiderare. Vbi aduertendũm est, necessarium non esse ad hoc, vt detur actus deſiderij, quod bonum deſideratum non ſit eo tempore, quo datur talis actus; ſed poſſunt ſimul esse, dummodò deſiderij actus ſe habeat vt cauſa conſecutionis boni: actus enim, quo volo mouere manum, est actus deſiderij, & datur ſimul cum motu ipſius manus tanquam cauſa illũ impellens. Gaudiũ est actus, quo voluntas fertur in bonũ iam obtentũ, vt obtentũ, ſeu poſſeſſum est: talis est actus, quo quis ſibi cõplacet de valetudine iam obtentâ. Itaq, in eo diſtinguuntur deſiderium, & gaudiũ, quod illud fertur in bonũ conſequendũ, & ideo pertinet ad illud tanquã ad cauſam conſecutio boni; gaudiũ verò fertur in bonũ iam acquiſitum, atque adeo ſupponit conſecutionem talis boni.

105 Rurſus appetitus deſiderij, alius est per modũ intentionis, & est ille, quo voluntas fertur in bonũ propter ſe ipſum; vt, quo homo deſiderat valetudinem, quia ſecundũ ſe est ipſi bona: alius est per modũ electionis, & est ille, quo voluntas fertur in aliquod obiectũ, quia est vtile ad aliud cõſequendũ, vt, quando homo deſiderat ſciſsionẽ venæ, & emiſsionem ſanguinis, quia est vtilis ad ſalutẽ conſequendã. Deinde appetitus deſiderij tam intentionis, quã electionis potest ferri in bonũ aliquod determinatũ, vt, quando quis deſiderat dignitatẽ aliquã determinatã, & ad illam conſequendã eligit determinata media. Potest etiã

tiã ferri in bonũ aliquod vagè sumptũ; vt, quando quis exoptat non hoc bonũ determinatè, sed hoc, vel illud, seu eligit non hoc mediũ determinatè, sed hoc, vel illud.

106 Noto secundò, ex inuentibus per metaphorã, & translationẽ protractũ esse nomen *appetitus* ad inanimata, quia sicut viuẽtia per actũ à se elicitũ (ob quod appetitus elicitus vocatur) tendunt in bonũ sibi cõueniẽs, ita inanimata per suã naturã inclinãtur in perfectionẽ sibi propriã, & debitã ex natura rei. Deinde, quia hęc inclinatio ab ipsorũ naturâ non distinguitur, vel saltẽ in eâ fundatur, ideo appetitus innatus appellatur, quod est idẽ, ac simul natus cũ ipsâ re. Est ergo appetitus innatus id, per quod quælibet res ex naturâ suâ inclinatur in perfectionẽ propriã, & ipsi debitã ex naturâ rei. Quod quidem nil aliud est, nisi potentia, quã res habet ad propriam perfectionem secundùm se sumptam, vel prout conũnctam cum aliquibus circunstantijs.

107 Cùm autèm appetitus innatus talis dicatur per similitudinẽ, & analogiam, quã habet cũ appetitu elicito, tot modis potest diuidi; quot diuisimus appetitũ elicitum. Est enim appetitus innatus, alius desiderij; alius gaudij. Appetitus desiderij est potẽtia, quâ res inclinatur in propriã perfectionẽ consequendã, & quâ consequitur; & causat talem perfectionem; huiusmodi est substantia ignis respectu caloris in se producti. Appetitus gaudij est inclinatio in propriam perfectionem vt possessam, & conũnctam rei in illam inclinatæ, huiusmodi est exigentia, quã habet effectus suæ causæ, quam quidem supponit existentem, atque adeò quasi cõplacet in eius existentiâ tanquàm in bono iam possesso.

108 Rursus appetitus desiderij, alius est per modum intentionis, alius per modum electionis. Ille est potentia, seu inclinatio, quâ res propendet in primariam suam perfectionem; huiusmodi est potentia, quã habet ignis ad producendũ alium ignem, quando iam est constitutus in suo esse, & perfectione intrinseca. Appetitus electionis est potentia, quâ res inclinatur in perfectionẽ; quæ conducit ad consequendam eam, quæ est primaria perfectio ipsius; huiusmodi est potentia, quã habet ignis ad producẽdũ calorẽ extra se, quia hæc productio in passo extraneo ordinatur ad illud disponendũ, & reddẽdũ aptũ formæ ignis, quã primariò intendit alter ignis introducere. Præterea appetitus desiderij, alius tendit in bonũ aliquod determinatum, huiusmodi erit materia cælestis, si, vt docẽt multi, solũ possit recipere formã quã habet: alius tendit in bonũ aliquod vagè sumptũ; huiusmodi erit ignis applicatus passo, si, vt infrâ dicã, neq; ex se, neq. ex circunstantijs est determinatus ad producendũ hunc numero calorem potiùs, quã illũ; sed indifferens ad hunc, vel illum.

109 Dico primò, materia prima secundũ se sumpta appetit ap-

petita desiderij vnionem ad formas substantiales vagè sumptas (loquor de hâc materiâ, quæ seorsim potest recipere formas substantiales) Probatur, quod eas appetat appetitu desiderij: quia materia prima ex naturâ suâ est substantia incompleta ordinata ad componendum totum substantiale: ergo ex naturâ suâ inclinatur incompositionem totius substantialis consequendam tanquâm in propriam perfectionem sibi debitam: hæc autem compositio nihil aliud est, quam vnio substantialis ad formas substantiales: ergo inclinatur in talẽ vnionẽ consequendam. Talis verò inclinatio est appetitus desiderij, vt constat ex dictis. Quod verò istud desiderium sit circa vnionem ad formas vagè, & disiunctim sumptas, facile probatur. quia materia perse ex naturâ suâ non est ordinata ad componenda plura tota substantialia simul, sed disiunctim hoc, vel illud: ergo non inclinatur in compositionẽ simultaneam plurium, sed in hanc, vel illam vagè, & disiunctim sumptã.

110 Dico secundò: eiusmodi appetitus desiderij circa formas substantiales est per modum intentionis. Probatur quia materia inclinatur in vnionẽ ad formas substantiales tanquam in bonum primario illi conueniens, & ratione cuius inclinatur in alia tanquàm media necessaria ad illud consequendum, nempe in dispositiones, quæ ratione peculiarium formarũ requiruntur in materiâ: ergo appetitus materiæ circa vnionem ad formas substantiales est per modum intentionis. Consequentia patet ex num. 108. vbi explicuimus appetitum intentionis. Id, quod diximus in hâc, & præcedenti conclusione de appetitu materiæ circa vnionem ad formas substantiales, dictum putà de potentiâ receptiua ipsius vnionis, quæ etiam in vnionem recipiendâ inclinatur appetitu desiderij per modũ intentionis, vt constat ex sect. 3. Ex dictis infero primo, materiam appetitu desiderij per modũ electionis apperere dispositiones, quæ in illâ requiruntur ratione peculiarũ formarũ. Ratio est clara: nam ex eo est potentia tum vnibilis dispositionibus, tum etiã receptiua illarum, quia est potentia ad vnionem cũ formis substantialibus requirentibus tales dispositiones in materia: ergo ex eo illas appetit, quia sunt media cõducentia ad vnionem formarũ substantialium consequendã: sed appetitus mediorũ est appetitus electionis: ergo, &c. Idem dico de potentiâ receptiuâ formarum materialium substantialium.

111 Dico tertiò. materia præcise secundùm se considerata non magis desiderat formã perfectiorem, quam minus perfectã. Ratio est: quia per suam entitatem indiuisibilem inclinatur in omnes formas substantiales: ergo non magis inclinatur in vnam, quàm in aliam. Probo consequentiã, quia ad hoc, vt magis inclinaretur in vnã, quã in aliã ex naturâ suâ, necessarium esset, quòd inclinatio natiua

tiua eius esset maior respectu vnius, quàm respectu alterius. sed inclinatio non potest esse maior respectu vnius, cum per eandem indiuisibilem entitatem inclinetur in omnes. ergo &c. Dices: inclinatio in formã rationalem est formaliter distincta, & perfectior inclinatione in formam equi: ergo rectè potest dici magis inclinari in formã rationalẽ, quàm in equinam. Concedo antecedens, & nego cõsequentiam. quia hoc, quod est magis appetere vnum, quàm aliud, nõ sumitur ex eo, quòd appetitus sit perfectior; sed ex eo, quòd habeat plures partes intensionis: etenim licèt desiderium elicitum gloriæ sit perfectius, quàm desiderium elicitum diuitiarum, si tamen intensiùs appetat quis diuitias, quàm gloriam, dicetur magis appetere diuitias, quàm gloriam. In appetitu autem materiæ non est maior intensio circa formam rationalẽ, quàm circa equinam, cum per eandem indiuisibilem entitatem appetat vtramque.

112. Dico quarto: materia nõ solùm appetit appetitu desiderij formas, quas actu non habet, sed etiam eam, quàm actu habet. Probatur: quia appetitus desiderij est ille, per quem res inclinatur in propriam perfectionem consequẽdam, tanquam causa prosequens talem perfectionem. sed ita se habet materia respectu formæ, quàm actu habet: ergo illã appetit appetitu desiderij. Minorẽ probo: quia materia, quatenus ex se, est potentia causatiua vnionis formæ, quam actu habet, & illam de facto causat tùm physicè, recipiendo illam, tùm etiam quasi moraliter, exigendo ipsam tanquam extremum vnibile: ergo inclinatur in ipsam formam consequendam tãquam quid prosequens illam, ac proinde per appetitum desiderij. Confirmatur. quia potentia existens in materiâ respectu formæ, quam actu habet, non est appetitus gaudij: ergo est appetitus desiderij. Consequentia est bona: quia non datur medium. Antecedens probatur: quia appetitus gaudij vt talis supponit consecutionem, & possessionem propriæ perfectionis: sed potentia existens in materiâ respectu formæ, quam actu habet, non supponit consecutionem, & possessionem ipsius formæ; sed potius supponitur ad illã, cum sit causa illius: ergo nõ appetit illam appetitu gaudij.

113. Obijcies: desiderium est inclinatio in propriam perfectionem consequendam; sed materia consecuta est iam formam, quàm actu habet: ergo non desiderat illam. Respondeo, idem esse inclinationem in propriam perfectionem cõsequendam, ac, inclinationem in ipsam consecutionem propriæ perfectionis: materia autem, &si iam actu sit consecuta formam, semper dicitur inclinari in consecutionem, quia semper præsupponit ipsa materia ad consecutionem tanquam causa illius: si enim comparetur cum illâ in primo instãti, reuerà causat illam in illo, &, si comparetur cum formâ

mà in sequentibus instantibus, reuerà præsupponitur ad illam vt causa ipsius pro instantibus sequentibus: atque adeò sicut in primo instanti dicitur consequi formam, quia causat vnionem, quæ est consecutio formæ, sic etiam in sequentibus; cum pro illis etiam causet vnionem, potest dici pro illis etiam consequi formam. Vbi aduerte, hìc consecutionem non sumi pro primà, & notà productione tantùm, sed pro actione, quà sibi coniungit formam, siuè hæc detur in instanti, in quo primo producitur; siuè in sequentibus, in quibus conseruatur.

114 Rogas an materia habeat appetitum desiderij circa formã, quam semel habuit, & iam amisit? Respondeo negatiuè: quia semel amissà forma, *non potest materia* ex naturà rei illam iterùm recipere, vt dicemus infrà, disput. 14. sect. 4. & ideò non potest dici illam appetere: quia appetitus innotuit quandam exigentiam, quæ quidem non datur in rebus naturalibus respectu eorum, quæ supernaturaliter tantùm possunt illis obuenire, vt iam probo. Dices: postquàm materia amisit formam, remanet cum potentiá ad illam consequendam, sicut anteà, quia illa potentia non distinguitur ab entitate materiæ: ergo sicut illa potentia erat anteà appetitus ad istam formam; sic etiam postquàm eam amisit.

115 Distinguo antecedens: remanet potentia ad illam consequendam tanquàm perfectionem naturaliter consequendam, nego: tanquàm perfectionem, quæ potest illi miraculosè dari, concedo antecedens: & nego consequentiam. Quia appetitus non est potentia quælibet ad quancunque perfectionem (alioquì potentia, quam habet materia respectu formarum supernaturalium, esset appetitus innatus illarum, quod nullus concessit) sed tantùm ad perfectionem sibi connaturalem. Cuius ratio ea esse potest: quia appetitus inuoluit exigentiam rei desideratæ; non autèm datur exigentia innata in aliquo nisi respectu illius, quod illi est connaturale. Vnde appetitus innatus non est sola potentia intrinseca rei; sed etiá inuoluit, quòd perfectio, *in quam inclinatur* sit connaturalis. Quod autem non possit esse exigentia innata in re naturali respectu perfectionis supernaturalis, est certum: quia accidens supernaturale est illud, quod est supra vires, & exigentiam naturæ: ergo non potest dari in re naturali exigentia perfectionis, seu accidentis supernaturalis; alioquì iam esset supernaturale, vt supponimus, & non supernaturale, quia non esset supra exigentiam rei naturalis.

SECTIO VIII.

An Materia dependeat à forma substantiali, quam actu habet?

116 DVplex dependendi modus distingui solet, vnus à prio-

à prior, & alter à posteriori. Dependētia à priori est illa, quā habet effectus à suâ causa, quia, cū omnis causa sit prior naturâ suo effectu, quidquid dependet ab aliquo tanquâm à causa, dependet ab illo tanquam à priori: hæc est vera, & propria dependētia, quę absolutè, & simpliciter talis dicitur. Dependētia à posteriori datur, quādo causa ita est connexa cum suo effectu, vt sine illa esse non possit ex naturâ rei. Dicitur autèm dependentia à posteriori, quia est effectus naturâ posterior suâ causâ. Hæc non est propria dependentia, sed connexio vnius rei cum alia, quæ non solùm potest dari inter causam & effectum; sed etiā inter duas res, quæ non se habeant vt tales, & tunc dicetur dependentia à comitante. In præsenti ergo inquirimus, an materia dependeat â forma, quam actu habet, tanquam à causa propriâ ipsius; vel saltem talem habeat cum illa connexionem, vt sine illa, vel alia loco ipsius posita non possit conseruari ex natura rei in rerum natura?

Materia non dependet à formâ tanquam à causa.

117 Dico ergo primò, formā substantialem non esse causam materiæ primæ. Est communis omnium, si Thomistas excipias, qui, cum dicant, materiam existere per existentiam formæ, dicunt etiam, dependere à forma in genere causæ formalis. Probatur hæc conclusio: quia materia non dependet à forma tanquā à causa materiali, vt per se est manifestum, neque tanquam à causa efficiente, quia materia creatur, & nulla causa secunda potest ex natura rei creare, vt dicemus disput. 15. sect. 6. neq; pendet à forma in genere causæ finalis, tùm quia finis, ad quem ordinatur materia non est forma, sed compositum: tùm etiam, quia hìc loquimur de dependentia materiæ à formâ vt existente realiter: sed finis non causat vt existens realiter, cum moueat efficiens ad sui productionem realem: ergo, &c. Denique non dependet materia à formâ in genere causæ formalis, quia causa formalis causat suum effectum per vnionem tanquam per causalitatem: ergo ille est effectus formæ in genere causæ formalis, qui resultat ex illa per vnionem: sed, quod resultat ex forma per vnionem, est totum compositum, non verò materia: ergo totū compositum est effectus formæ in genere causæ formalis, non vero materia.

118 Respondent aliqui recentiores, formam fungi duplici munere causæ formalis, vno circa cōpositum, quod componit tanquā pars formalis, & causa intrinseca illius, altero circa materiam, quā informat, & perficit tāquam causa extrinseca formalis. Vocāt autē eā causam extrinsecā materiæ, nō quia illi nō vniatur, dum illā causat per informationē, sed quia nō causat vt pars intrinseca materię. Id probāt à paritate; quia in materia da-

dari duplex modus causandi, vnus circa compositum, quod cõponit simul cum formâ tanquam pars materialis intrinseca illius, alter circa formam, & vnionem, quas recipit per passionem tanquam causa materialis extrinseca, quia non est in illis tanquam pars componens: ergo simili modo poterit distingui in formâ duplex alius causandi modus, vnus circa compositum, quod componit; alius circa materiam, quam informat P. Suar. disp. 15. Meta. sect 8. num. 19. & 20. incidit in hunc modum philosophandi, & probabilem iudicauit.

119 Mihi tamen valde displicet hęc doctrina. Primò, quia absque vllo fundamento distinguit in causâ formali duplicem modum causandi hucusq, philosophis ignotum. Secundo, quia, si forma in genere causæ formalis causat materiam per vnionem: ergo & materia in genere causæ materialis causabit formam per eandem vnionem. Patet consequentia: quia, sicut vnio, prout se habet ex parte formę, est informatio, ita prout se habet ex parte materiæ est materializatio. ergo, sicut mediâ illâ vt informatione concurrit forma ad eandem materiam; ita etiam mediâ eâdem vt materializatione concurret materia ad causandam formam; neque in hoc discrimen aliquod assignari poterit. Ex hoc autem infertur primo, distinguendos esse in materiâ tres modos causandi, vnum, quo causet totum compositum; alterũ, quo causet formam per passionem; alium denique, quo causet ipsam formã per vnionem. hunc autem tertium modum causandi; nullus hucusque philosophus admisit. Infertur secundo, animam rationalem pendere à materiâ in genere causæ materialis. Sequelam probo: quia ideò materia causat formas materiales per vnionem, quia vnitur illis vt materia est: sed animæ rationali vnitur, vt materia est: ergo causat illam per vnionem. Hoc autem quis dicet?

120 Dices; formas materiales dependere à materiâ per vnionem; non verò animam rationalem, quia illæ conseruari non possunt ex naturâ rei, nisi sint vnitæ materiæ; at verò anima rationalis potest ex naturâ rei conseruari non vnita materiæ; vt de facto cõtingit in statu separationis. Vnde non mirum, quòd illæ dependeant à materiâ in genere causæ materialis per vnionem; secus ista. Sed contrà. vel vnio materiæ cum formâ est materiæ ratio causandi ipsam formam; vel non? Si hoc vltimum. neque formas materiales, neque rationalem causabit materia per vnionem. Si primum: ergo respectu cuiuscunque formæ erit illi ratio causandi. Probo cõsequentiam. quia eatenùs vnio est materiæ ratio causandi formam materialem, quatenùs est id, quo materia vt talis vnitur formæ. sed vnio, quæ datur inter materiam, & animam rationalem est id, quo materia vt talis vnitur formæ rationali: ergo talis vnio

est

est materiæ ratio causandi animam rationalem

121 Et quidem descrimen adductum pro aduersarijs nullum est quia, si semel vnio, vt se habet ex parte materiæ erga formam, est illi ratio causandi ipsam formam; etiamsi forma non indigeat materiâ ad sui conseruationem, pendebit nihilominùs ab illa in genere causæ materialis, quotiescunque illi fuerit vnita · etenim effectus pendens ab aliqua causa efficiente per actionem totalem, & sufficientem ad eius conseruationē, si detur de potentia Dei actio alterius causæ totalis circa illum, reuerà pendebit ab hac secunda causa, etiam si non indigeat illa ad sui conseruationem, vt admittunt omnes, non ob aliam rationem, nisi quia actio istius secundæ causæ per se ipsam est id, medio quo terminus ipsius dependet à causa, cuius est actio: ergo, si vnio materiæ cum forma ex se est ratio causandi formam, eo ipso quod detur talis vnio, forma causabitur à materia, etiam si forma sit talis, quæ non indigeat materiâ ad sui conseruationem.

122 Dices: vnio materiæ cum forma non est materiæ ratio causandi formam, præcisè quatenùs est vnio materiæ cum forma, sed quatenùs est vnio materiæ cum forma tali, nempè cum materiali. Sed contrà de ratione causalitatis, vt causalitas est, est esse viam inter causam, & effectum. Est hoc certum apud omnes: ergo eatenùs vnio est causalitas materiæ respectu formæ; quatenùs est via inter materiam, & formam · sed est via inter materiam, & formam præcisè quatenùs vnio, & non quatenùs cum tali forma, quia, quatenùs est cum tali forma, non dicit formaliter rationem viæ, sed talitatem viæ, hoc est, differentiam, per quā ratio viæ contrahitur ad talem speciem · ergo, quatenùs est vnio materiæ cum forma præcisè, erit causalitas materiæ; &, quatenùs est cum tali forma, erit talis causalitas. Confirmatur: quia vnio formæ cum materia eatenus est causalitas formæ respectu materiæ per se, quatenùs est informatio, quâ forma informat materiam · ergo vnio materiæ cum forma eatenùs erit causalitas materiæ respectu formæ, quatenùs est materializatio: atqui est materializatio, quatenùs est vnio materiæ vt talis cum forma vt tali: ergo, &c.

123 Tertio: sic probo materiam nō causari à forma per vnionem: quia, si vnio est causalitas, quâ forma extrinsece causat materiam, sequitur, causam efficientem vnionis esse causam efficientem materiæ, quod quidem absurdum est in philosophia. Sequelam probo: quia causa efficiens vnionis verè, & propriè dicitur esse causa illius, quod resultat per vnionem, & ideò homo dicitur generare hominem verè, & propriè, quia efficit vnionem, per quam resultat homo: ergo, si per vnionem resultat materia ex forma, aut dependet ab illa, id, quod est causa efficiens vnionis, dicetur etiam

causa

causa efficiens materiæ. Deinde non solum ab efficiente; sed etiam a se ipsa pendebit materia: quia vnio non solùm pendet á causa efficiente; sed etiam ab ipsa materia ingenere causæ materialis illã recipientis per passionem: ergo materia per passionem erit causa materialis ui ipsius. Patet consequentia quia, quod est causa causalitatis, est causa effectus causati per ipsam causali atem: sed materia per passionem est causa vnionis, quæ per te est causalitas, per quam fit existens materia: ergo materia per passionem est causa sui ipsius. Quod quis non videat esse impossibile? Ex dictis facilè soluitur argumen. adductum á recentioribus pro sua doctrina Dictum enim est, *cur forma non possit esse causa extrinseca materiæ* per vnionem, etiãsi materia possit esse causa extrinseca formę per passionem: nam ex hoc vltimo nõ sequuntur absurda, quæ probauimus sequi ex primo.

De dependentia à posteriori, seu connexione materiæ cum forma substantiali.

124 MAior difficultas est cur ca dependentiam materiæ á forma tanquam á posteriori, seu comitante sit, scilicet, materia talem habeat connexionem cum forma actuali, vt ex natura rei nequeat esse in rerum natura sine aliqua forma substantiali? Potest autem prædicta difficultas duplicem habere sensum: primum, an ex natura rei possit materia destitui omni forma substantiali? quod quidem fieret, si agens naturale corrumperet formã præexistentem, non introducendo demò aliam. Secundum, an dato, quòd materia destitueretur omni forma siuè ex natura rei, siuè miraculose, posset perseuerare in rerum natura sine nouo miraculo, ita vt ex natura rei deberetur illi conseruatio; vel potiùs necessarium esset nouum miraculum ad illam conseruandam? Hoc secundum discutiemus primo loco, quia difficilius. Pro quo.

125 Noto primò, ex triplici capite prouenire desitionem rerum: vel enim desinunt ex defectu subiecti; vel per aduentum contrarij, vel ex defectu conseruantis. Ex defectu subiecti desinunt, quando corrumpitur subiectum, in quo recipiebantur, vel dispositiones ex parte subiecti requisitæ ad formas conseruandas. Per aduentum contrarii, quando aduenit forma contraria exigens præcedentis destructionem. Ex defectu verò cõseruantis desinunt dupliciter. Primò, quando destruitur, vel remouetur conseruans, & non substituitur aliud loco ipsius. Secundò, quando etiam si perseueret conseruans, cessat tamen finis conseruandi effectum: quia, cũ quodlibet agens naturale operetur non casu, sed propter finem, si finis operandi cesset, necesse est, cesset etiam operatio, quæ non erat nisi propter illum finem.

126 Est autem obseruandum, adhoc, vt in agentibus naturalibus cesset finis operãdi, nõ sufficere,

re, quòd rerum finis operationis illorum non sequatur de facto, sed necessarium esse, quòd sequi non possit ex naturâ rei. Id autem explicari potest exemplo agentium liberorum, qui propriè, & strictè dicuntur operari propter finem: vt enim hæc medium aliquod eligant in ordine ad finem, quem intendunt, necessarium nō est, quòd de facto executioni mandetur finis per tale medium, neque enim causa finalis concurrit ad positionem mediorum vt actu exercita, sed tantùm cognita vt possibilis: qua propter duo communiter dicuntur esse requisita, vt agens rationale, & liberum eligat media propter finem. Vnum, quòd cognoscat ipsum finem vt possibilē, neque enim quis intendit consequi per media id, quod non nouit possibile, alterum, quòd media cognoscantur vt vtilia hìc, & nūc ex parte sui ad finem consequendum: etenim si nō putarentur hìc, & nunc vtilia, quâ ratione possent eligi ad ipsum finem hìc, & nunc obtinendum? Hinc fit, tunc solùm cessare finem eligendi medium, quando vel finis est impossibilis; vel medium est inutile ad illum cō sequendum.

127 Idē ergo dicendū est in agē tibus naturalibus, quæ ex naturâ rei producunt suos effectus propter aliquem finem mediis ipsis consequendum: neque enim actio talium agentium censetur cessare ex naturâ rei ex eo, quòd finis, ad quē ordinatur effectus talis actionis, de facto non sequatur; sed solùm ex eo, quòd non possit talis finis ex naturâ rei ab eo effectu prouenire, vel qua finis est impossibilis, vel quia ipsa entitas effectus ex naturâ rei est inepta hìc, & nunc ad talem finem consequendum. Hinc est, quòd ad probandum defectum, seu destructionem alicuius potentiæ non desumimus argumentum ex eo præcisè, quòd actus, ad quem tanquam ad finem ordinatur talis potentia, non detur de facto, sed ex eo, quòd dari nequeat ex natura rei. Vndè ortum habuit illud commune axioma: *Frustra datur potentia, quæ non reducitur ad actum.* Quod quidem non intelligitur de reductione actuali, cū plures de facto sint potentiæ, quæ actualiter non reducuntur ad actum; sed intelligitur de reductione possibili, hoc est; de ea potentia, quæ ex natura rei non potest reduci ad actum.

128 Noto secundò, finem vniuscuiusque, præsertim substantiæ esse eius operationem. Id est certū apud omnes philosophos subscribentes Aristo. qui 2 de Cœlo, tex 17. expresse docuit: *Vnumquodque esse propter operari.* Vndè sequitur, finem cuiuslibet agentis producentis aliquam entitatem esse operationem ipsius entitatis productæ: qui quidèm finis tunc censetur ex natura rei cessare, quando entitas producta fit inepta ex natura rei ad operandum. His positis.

129 Dico materia, quatenùs ex se est, conseruari potest ex natura

tuā rei absq; vllâ formâ substantiali. Ita docti recentiores nostri Complutenses. Probatur conclusio quia non eo ipso quòd materia destitueretur omni forma substantiali, desineret ex defectu subiecti, cum nullum habeat subiectum: neque per aduentum contrarij, cùm nullum habeat contrarium ex natura rei neque ex defectu cõseruantis, tùm quia Deus est, qui conseruat materiam, qui neque potest deficere, neque ab illa separari, tùm quia ex natura rei non cessaret finis illam conseruandi. nam, vt ex dictis constat, tunc cessat ex natura rei finis cõseruandi aliquam entitatem, cum talis entitas ex natura rei fit inepta, & invtilis ad proprium finẽ: sed ex eo, quòd materia destitueretur omni forma substantiali, nõ fieret ex natura rei inepta, & invtilis ad proprium finem: ergo &c. Minorem probo: quia proprius finis illius sunt operationes, ad quas ordinatur, nempè compositio totius, receptio vnionis, & formarum materialium tam accidentalium, quàm substantialium: atqui ex eo, quòd auferrentur illi omnes formæ substantiales, nõ fieret ex natura rei inepta, & inutilis ad tales operationes, cum in eo statu illas exigeret ex natura rei, atque reciperet vi agẽtium naturalium, si relinquerentur suæ naturæ. ergo, &c.

130 Confirmatur hoc vltimũ: quia materia in eo casu vel remaneret vltimo disposita ad aliquam formam substantialem; vel non. Si primum: esset debita illi introductio talis formæ, ita vt sine miraculo non posset illi negari. Si vltimum: vi agentium naturalium disponeretur, si miraculose ea ia agentia non impedirentur: ergo non esset inutilis materia ex natura rei ad proprias exercendas operationes. Nec videatur hæc opinio authoribus distituta, eam enim præter recentiores illos suprà citatos, tenent Marsilius in 2. quæst. 8. artic. 2. Gabriel, in 2. distin. 12. quæst. 1. & 2. relati à P. Suar. in Meta. disp. 15. sect. 8. nu. 6. vbi asserit, hanc sententiam placuisse aliquando Augustino, lib. 1. de Genes. contra Manich. cap. 5 & 7. & lib. 12. Cõfession. cap. 8. vbi inclinatur Sanct. Doctor in sententiam asserentem Deum in principio creasse materiam absque vlla forma substantiali: quod si id Deus fecit, nõ est existimandum esse supra naturam materiæ, qua, vt Augustt. adnotat in principio expositionis Geneseos, Deus tunc non est operatus vt miraculorum opifex; sed vt author naturæ. Eandem sententiã ait P. Suar. ibidem num. 13. suo tempore placuisse multis, præsertim in Italiâ. Contra hãc doctrina n posset adduci argumentum quoddam ex conuersione Eucharistica; quod hic lubens omitto, vt illud soluam in lib de Gener. vbi ex professo agam de conuersione.

131 Restat explicandum, an agens naturale possit corrumpere vnam formam substantialem in materia, non introducendo aliam de

de nouo? Pro quo suppono primò id, quod dicam infra disput. 11. sect. 4. nempè esse necessarias certas dispositiones in materia ad hoc, vt quæuis forma substantialis in il à conseruetur, quibus deficientibus deficiet forma. Suppono secundo, nullum agens naturale posse destruere aliquam formam substantialem ex his, quas nouimus, cessando immediatè ab eius conseruatione absque vllâ exigentiâ alterius entitatis: quoniâ nulla est forma substantialis, quæ in conseruari pendeat necessario ab agenti aliquo naturali; sed hoc deficiente potit conseruari à Deo, vt authore naturæ. Id constat experientiâ. Quapropter duplici modo potest agens naturale destruere formam præexistentem in materiâ. Primo introducendo aliâ formam substantialem præexistenti oppositam. Secundo introducendo dispositiones oppositas illis, quæ necessariç erant in materiâ ad conseruationẽ formæ præexistentis. His positis.

132 Vt certum habeo, quòd, si aliquod esset agens naturale potens introducere in materiâ dispositiones, quæ ex vnâ parte possent expellere dispositiones requisitas ad conseruationem formæ præexistentis; &, ex aliâ parte non sufficerent ad introductionẽ alterius; posset quidèm materia naturaliter expoliari formâ substantiali præexistente, quin nouam admitteret saltem pro aliquo tempore, pro eo videlicet, quo duraret introductio dispositionis sufficientis ad nouam formam introducendã. An verò possit dari tale agens naturale, quod per dispositiones, quibus corrumpit eas quæ necessariæ sunt ad conseruandam formã præexistẽtem, non adæquatè disponat ad aliam nouam? Incertum mihi est, quia pro nullâ parte contradictionis inuenies aliquod efficax argumentum. Verosimile tamen iudico, dispositiones sufficientes ad expellendas illas, quæ necessariæ erant ad formæ præexistentis conseruationem, sufficere ad nouã introducendam. quia vbi sunt tot, tamque diuersæ formç possibiles, credibile est, dari aliquã, quæ has exigat dispositiones.

SECTIO. IX.

De Vnitate, & distinctione specifica materiæ primæ.

133 VT certum suppono, dari in materia genus & differentiam (quæ impropriè saltem sint talia) quia possumus in eâ concipere prædicatũ aliquod, in quo conueniat cum formâ, & prædicatum, per quod differat ab illa: est enim materiæ commune cum forma esse substantiam incompletam totius substantialis constituti uam, & differe a forma, quia materia est primum subiectum generationis totius, secùs vero forma: ergo materia habet genus, & differẽtiam, ex quibus species aliqua, seu quasi species resulta. Hæc species non erit completa physicè, sed incompleta, cum ordinetur ad cõponendum totum physicum.

134 Obijcient Tertiò, materia est pura potentia: ergo nullum habet actum, sed differentia est actus: ergo materia non habet differentiam. Distinguo primum antecedens: est pura potentia puritate excludente actum formalem physicum, concedo: puritate excludente actum metaphysicum, nego antecedens: & deinde nego consequentiam.

135 His positis, duplex quæstio est in hac sectione resolvenda. Prima, an materiæ sublunares specie distinguantur inter se, vel potius sint omnes eiusdem speciei? Secunda, an materia cœlorum distinguatur specie à materia rerum sublunarium, & corruptibilium? De prima agemus in præsenti, autem de secunda in lib. de Cœlo. Et quidem, cum essentia materiæ sit in ordine ad vnionem cum formis substantialibus, distinctio, seu vnitas illius veranda est ex vnione cum diuersis, vel eisdem formis substantialibus; aut ex eodem, vel diuerso modo, quo se habet erga illas.

136 Dico ergo primò: materiæ sublunares, quas de facto nouimus, sunt eiusdem speciei. Est cõmunis sententia, & ideo nullum figillatim pro ea refero. Probatur: quia hæ materiæ sublunares sunt vnibiles cum eisdem formis substantialibus & eodem modo se habent circa illas: ergo sunt eiusdem speciei. Cõsequentia est bona. Antecedens probatur: quia materia aquæ, v.g. potest recipere formam ignis, vt constat: deinde potest recipere formam aeris, vt per se patet, potest etiam recipere formam arboris, quia arbor nutritur ex aqua attracta per radices, deinde fructus arboris fiunt ex ipsa aqua conuersa in illos; postea hi conuertũtur in hominẽ, & reliqua animalia, & sic possumus discurrere per reliquas formas: ergo quælibet existis materijs potest vniri, & suscipere omnes formas substãtiales, ac per consequens omnes materiæ erunt eiusdem speciei.

137 Objcies, homo distinguitur specie ab equo: ergo materia hominis distinguitur specie à materia equi. Distinguo antecedens: distinguitur ratione formæ ab equo, concedo: ratione materiæ, nego antecedens: neque enim necessarium est, vt duo aliqua specie distinguantur, quòd ea omnia, quæ in vno reperiuntur, specie distinguantur ab his omnibus, quæ reperiuntur in alio, vt apparet in speciebus metaphysicis, quæ, licèt in prædicato generico cõueniant, specie dicuntur distingui quia discrepant ratione differentiarum.

138 Dico secundò: nulla potest assignari repugnantia in eo, quòd detur aliqua materia sublunaris componens totum corruptibile, quæ specie distinguatur ab hac, quæ datur modo. Ratio est: quia nulla apparet implicatio in eo, quod detur aliqua materia, quæ sit receptiua duarum aut trium tantùm formarum: sed materia receptiua duarum, aut trium formarum tantum, specie distingueretur ab ea, quã de facto nouimus: ergo nulla

nulla apparet repugnantia in eo, quôd detur materia specie distincta ab ista. Minor est certa: quoniam materia per suam essentiam est receptiua formarum, seu vnibilis cum illis ergo ex materiæ, inter quas vna est receptiua, seu vnibilis cum formis, cum quibus altera vniri nequit, essentialiter distinguentur.

139 Obijcies · materia prima inter substantias est maximè distans à Deo ergo non est possibilis alia materia specie distincta ab ista. Antecedens videtur certum: quia Deus est actus purissimus; materia verô pura potentia. Consequentia probatur: quia, si dantur materiæ specie diuersæ, vna erit perfectior; altera imperfectior, cum Arist. doceat, species esse sicut numeros, quorum nulli æquales sunt in perfectione, sed alij alijs perfectiores. ergo illa materia, quæ perfectior esset maximè non distaret à Deo. Distinguo primum antecedens: materia inter substantias est maximè distans a Deo comparata cum alijs substantijs, quæ non habent rationem materiæ, admitto antecedens si comparetur cum suis speciebus, nego antecedens quia, licet differentia, quæ contrahit naturam substantiæ ad esse materiæ, sit imperfectior reliquis differentijs, quæ contrahunt substantiam ad esse alterius substantiæ distinctæ a materiâ vt sic, tamen non implicat, quod hoc prædicatum materiæ cõtrahatur per aliquas differentias quarum aliæ sint alijs imperfectiores. vel dato implicationem.

SECTIO. X.

De proprietatibus materiæ primæ.

140 PRæterea, quæ suprà diximus esse proprietates, vel de secundario cõceptu metaphysico materiæ primæ, aliæ solent recenseri, quæ vel conueniunt materiæ primæ vt sic, vel sunt materiæ corporeæ, quam de facto nouimus. Prima est, *esse ingenerabilem, & insorruptibilem*, quod nihil aliud est, quàm petere produci per creationem, &, si destruenda sit, destrui per annihilationem, vel saltem non per corruptionem. Generatio autem, & creatio (vt suprà iam insinuauimus, & dicemus ex profesſo lib. 2.) in eo distinguuntur, quod generatio est productio, quæ immediatè recipitur in passo, & media ad effectus per ipsam productus creatio verô est productio indepẽdens omnino a passo. Annihilatio etiam, & corruptio distinguuntur, quia annihilatio est desitio creationis, quando res creata non desinit ex vi alterius; corruptio vero est desitio generationis.

141 Est ergo materia prima ex naturâ suâ ingenerabilis, hoc est, petit produci per creationem, non per generationem. Ratio est: quia illud petit produci per creationẽ, quod petit produci indepẽdenter a subiecto recipiẽte · sed materia id exigit ergo, &c. Minor probatur. quia de ratione primi subiecti est ita recipere, seu sustentare

alia, vt ipsum non dependeat ab alio recipiente, seu sustentãte· sed materia est primum subiectum, vt constat ex definitione tradita sect. prima· ergo de ratione illius est, non fieri dependenter à subiecto recipiente: ergo & produci per creationem, ac perconsequens, & esse ingenerabilem Hinc infertur, esse incorruptibilem quia corruptio est desitio generationis, seu rei productæ per generationem· sed materia non fit per generationem. ergo non desinit per corruptionem.

142 Objcies primò: materia essentialiter constat ex partibus inter se vnitis: sed vnio partium fit per generationem: ergo & tota materia. Consequentia est bona, quia homo generatur ex eo solùm, quod vnio partium illius producitur per generationẽ. Minor probatur. quia vnio partium potit fieri dependenter à partibus ergo per actionem ab ipsis partibus dependentem, quæ quidem esse non potest alia, nisi generatio. P. Hurtad. disp. 6. Physic. sect. 4. a num. 41. admisso, quod vniones partium materiæ primæ generentur, negat, materiam generari· quia totum integrale, quale est materia, non includit essentialiter vniones partium, atque adeo, licèt generentur vniones, non dicitur generari totum. In quo differt a toto essentiali, vt est homo, quod, cum vnionem essentialiter includat, eo ipso quòd vnio generatur, dicitur generari.

143 Hæc solutio sustineri posset ab illis, qui dicunt, continuum constare ex solis indiuisibilibus: quia, cum indiuisibile materiæ primæ sit essentialiter materia prima, tota essentia materiæ saluatur sine vnione continuante actu eius partes. At in sententia adstruentium continuum ex partibus, & indiuisibilibus, cui ipse P. Hurtad. subscribit, sustineri nequit solutio adducta· quia differentia, qua pars essentialiter ab indiuisibili differt, est, quòd ipsa sit diuisibilis in partes, secùs verò indiuisibile: sed id, quod est essentialiter diuisibile, debet includere essentialiter vnionem partium: ergo de essentia materiæ erit vnio partium illius. Minorem probo· quia esse aliquid diuisibile est posse separari partes illius per destructionem vnionis illarum: ergo id, quod essentialiter est diuisibile, debet essentialiter includere vnionem, per cuius destructionem partes separari possint· ergo materia includit essentialiter vnionem, ac per consequens, si vnio generetur, materia etiam dicetur generari. Neque sibi constat P. Hurtad. etenim disput. 15. de Continuo sectio. 5. num. 73. docet, partes non posse esse sine indiuisibilibus: quia de illarum essentia est habere aliquam compositionem, quod est idem, ac habere vnionem.

144 Respondeo ergo ad obiectionem, admissa maiori, negando minorem. Ad probationem distinguo

stinguo antecedens: vnio partium potit fieri dependenter à partibus tanquam ab extremis, cum quibus habet essentialem connexionem, concedo. tanquam à subiecto sustentante, & recipiente illam per passionẽ, nego antecedens: & dein de nego cõsequentiam: vnio enim continuatiua partium materiæ potit fieri per creationem, sicut ipsæ partes alioqui, si in aliquâ ex partibus reciperetur tanquàm in subiecto, iam totum resultans ex illis partibus esset constans ex materiâ, & formâ: quia constaret ex partibus, quarum vna esset subiectum receptiuum vnionis, &, alia terminus illius, in quo suprà diximus, cõsistere essentiam materiæ, & formæ. Neque potest dici, vnionem recipi in vtrâque parte: quia, cum res debeat esse in eodem loco cum subiecto, in quo recipitur, vt admittunt omnes, indiuisibile vnitiuum partium materiæ primæ esset in duplici loco, nempè in loco vtriusque partis, quod concedendum non est, nundetur fundamentum ad id cogens

145 Obijcies secundo: indiuisibilia continuatiua partium materiæ primæ destruuntur ab agente creato diuidente vnam ab alia, diuisio enim partium non aliter fit, nisi destructâ vnione illarum. ergo nec indiuisibilia non producuntur per creationem. Cõsequẽtiã probo quia id, quod producitur per creationem, debet per annihilationem destrui: sed agentia naturalia non possunt aliquid destruere per annihilationẽ: ergo neque possent destruere indiuisibilia, seu, quod idem est, vniones partium materiæ primæ, si producerentur per creationem. Minor probatur quia ea est causa annihilans, quæ cessat à creatione rei, quæ annihilari dicitur: sed agentia naturalia non possunt cessare à creatione alicuius rei, cum non sint causæ creationis ergo, &c.

146 R spondeo distinguendo antecedens: indiuisibilia destruuntur ab agente creato tanquam à causâ immediatè cessante ab eorum conseruatione, nego: tanquã à causâ, ad cuius exigentiam Deus cessat à conseruatione illorum, concedo antecedens. Agens enim creatum, per impulsum, quem imprimit in corpus diuidendum, petit, vt separentur partes continui, cumque separari nequeant, quin Deus cesset a conseruatione vnionis, petit, vt Deus cesset ab eius conseruatione, quæ cum sit creatio, cessatio ab illâ debet esse annihilatio; vel saltem non est corruptio, atque adeô agens naturale petit annihilationem, vel saltem destructionem, quæ non sit corruptio. Neque id mirum videri debet, cum etiam causa naturalis exigat aliquando rem aliquam creari, vt contingit in causâ disponente vltimo materiam ad introductionem animæ rationalis: eo enim ipso, quod materia sit vltimo dispositа, exigit, creari animam rationalem, quæ illam informet.

147 Solet adduci alia proprie-

ris materiæ prima, videlicèt, quod si existeret ei nemini non dependenter conseruari ab aliquâ causâ creatâ, sed à solo Deo, & Deus non posset deficere, non poterit deficere materia ex defectu conseruationis quoad entitatē deinde, neque quia ex natura rei absque vllo miraculo cesset finis conseruationis ipsius materiæ: quia non est, cur ille cessare possit ex natura rei præterea dari non potest agens creatum petens Deum cessare ab eius cōseruatione, quod enim esset hoc? Ergo creata semel materia prima deficere non potest ex natura rei, ac per consequens erit aterna. Hæc in proprietate duo sunt. Primum, exigentia actionis indefectibilis, per quam conseruetur à Deo materia. Secundū, duratio materiæ perpetua: quæ duo, licèt ita sint connexa, vt esse vnum absque alio minimè possit, distinguuntur tamen formaliter: quia primum actionem secundùm se indefectibilem connotat secundum vero immutaneam, inuolut coexistentiam cum tempore extrinseco carente termino à parte post.

148. Tertiò loco solent recenseri inter materiæ partes, *subsistentiæ pars ad illam pertinens*, & *quantitas*. De subsistētiæ parte agam disp.8.sect.4. De quantitate modo aliquid dicemus, quæ quidem sola est proprietas materiæ corporeæ. Difficultas est, an materia sit causa efficiens illius? P. Vazq. de hoc differit tomo 2. in 1. part. disp. 196. n. 13. vbi partē ne gatiuam amplectitur. Ratio est, quia materia est potentia pura ergo nihil facit, alioqui actus esset primus. P. Suarez tomo 1. Metaph. disp. 13. sect. 4. n. n. 5. affirmit. Probat primo; quia omnis natura à materiâ distincta suas efficit passiones, & proprietates, si supponitur ad eorum existētiam existens: cur ergo materiæ negabis efficientiam quantitatis, cum prioritate naturæ supponatur existens ante existentiam ipsius quantitatis? secundò, quia quantitas habere potest efficientem causam creatam; nulla enim apparet implicatio, sed forma non potest esse causa efficiens illius, cum quantitas ex parte materiæ supponatur ad introductionem formæ tanquam dispositio ad illam requisita, & ex alio capite materia non est improportionata ad quantitatem efficiendam: ergo non est cur negetur materiæ efficientia ipsius quantitatis.

149. Neutri sententiæ maximè fidendum est. Posterior tamen videtur magis consentanea rationi. Neque ratio P. Vazquez vrget, quia, licèt materia sit pura potentia paritate excludente actum physicum, qui sit forma substantialis, vt supra diximus, potest tamen in alio genere actum habere. Communis vero loquendi modus negans actualitatem materia exo. nipotest de actualitate in formis substantialibus, & in passionibus, & proprietatibus, quæ toti conueniunt ratione ipsarum formarum: vel de actione distincta à

fun-

simplici emanatione, quam communiter distinguunt authores ab actione quia hæc quasi supponit rem iam constituram, & completam in virtute operativâ intrinsecâ; illa vero tendit ad complendam rẽ in ipsâ virtute operativâ.

DISPVTATIO. III.

De Forma Substantiali.

COgnitâ iam naturâ materiæ primæ, quæ est vnum ex primis principijs entis naturalis, gradum facimus ad formam substantialem, principium aliud, simul cum materiâ totum substantiale constituens.

SECTIO I.

Statuitur existentia formæ substantialis.

1 CErtũ est inter philosophos, dari formas substantiales: est enim compertum experientiâ, materiam primam modo hæc exigere accidentia, modo illa: nam quando ea in igne dicuntur illi calor, & siccitas in aquâ, frigiditas, & humiditas: in oleo frigiditas, & reliquæ potentia sentiuntur, &c. ergo dicendum est, ratione cuius materia modo ex gathæ accidentia, modo alia: aliter posset ista materia secundùm se quatenus secundum se materia perfectè cum illis, & illis accidentibus ergo aliquid aliud concedi debet, ratione cuius modo hæc exigantur; modo illa: id autem vocamus formam. Et quidèm, debet esse entitas substantialis: tum quia in homine id, ratione cuius exiguntur accidentia propria ipsius hominis, est anima rationalis, quæ vt Fides docet, est vera substantia, tum etiam quia in alijs id, ratione cuius exiguntur propria cuiusque accidentia, debet esse prima radix illorum: sed prima radix accidentium est substantia, vt constat ex dictis in Log disp. 16. sect. 1. ergo id, ratione cuius in igne exiguntur hæc accidentia, & in aquâ illa, &c. debet esse substantia: quã quidem substantiam vocamus formam substantialem.

2 Dices: in homine prouenium hæc accidentia ex formâ substantiali, in reliquis vero prouenium ab aliquo agente extrinseco producente in materia talia accidentia, quæ quidem perseuerant, donec applicetur aliud agens vim habens ad alia contraria introducenda, & priora corrumpenda. Sed contra est, quod isti effectus non possint semper prouenire ab aliquo agẽte extrinseco, ideo enim & equus, quocumque agente circumferibãtur, elicium sensationes internas, & externas, & vegetationes. Deinde, aqua calefacta si separetur ignis calefaciens, reuocatur ad priorem frigiditatem, ita vt sæpè maiorem frigiditatem recuperet, quam habet aer ambiens ergo dantur in illis entitatibus principia intrinseca talium

operationum a materia non potest esse principium illarum, quia illa ex se est indifferens ad quascunq; existentias operationibus habendas. Ergo præter materiam datur aliud principium intrinsecum ex se determinatum ad operationes, quas postea habet.

3 Dices, dari hoc principium intrinsecum in materiâ, non tamen esse substantiam, sed accidens quoddam quia omnes formæ materiales dependent in suo esse à materiâ tanquam à subiecto sustentante, atque adeo omnes erunt accidentia, cum accidentis esse nihil aliud sit, quàm in esse substantiæ vt subiecto sustentanti. Sed contrà. ex hoc inferretur Primô, equum non magis differre à leone, quam hominem album ab homine nigro: quia, sicut homo albus, & niger tantũ distinguuntur accidẽtaliter, ita etiã per te equus & leo solùm accidentaliter distinguerentur, non essentialiter. Inferretur secundo, materiam, dum est extra hominem, esse semper violentam: quia materia ex naturâ suâ est substantia incompleta· ergo ex naturâ suâ ordinatur ad componendã substantiam completam: sed hanc non componit, nisi quando est in homine, cum in nullo alio perficitur alia compars substantialis: ergo nunquam habet id, ad quod ex naturâ suâ ordinatur, nisi quando est in homine, ac per cõsequens semper erit violenta. Respondebis materiam primam non esse substantiam incompletam. Sed contrà: ergo est substantia completa. Patet consequentia: quia non datur medium. Pergo ex illâ ergo & animâ rationali non fit vnum per se, quia vnum per se debet fieri ex duobus entibus incompletis per se ordinatis ad eius compositionem· alioqui cur ex Angelo, & animâ rationali non posset fieri vnũ per se?

4 Probatur secũdó, illud principium intrinsecum operationum non posse esse accidens· quia vel illud est prima radix operationũ, ita vt non supponat aliam primam radicem sui in illo composito, vel non est prima radix? Si primum, erit substantia· quia de ratione substãtiæ est esse primam radicem accidentium, quæ inueniuntur in illa tanquam propria illius, vt constat ex dictis in Logica disp. 16. sect 1. Si dicatur secundum: necessarium erit, quod supponat primam radicem sui in illo composito, neque enim dari potest processus infinitus atqui hæc prima radix non potest esse materia prima; tum quia, vt dictum est num. 1. ipsa ex se non magis inclinatur in has operationes, quam in illas, tum etiam, quia, cum materia prima sit primum subiectum operationum, quæ in illâ reperiuntur, si esset etiam prima radix effectiua, esset quidem substantia completa, vt per se patet· ergo assignanda est præter materiam primam alia substantia, quæ sit prima radix effectiua operationum equi, leonis, &c. hanc igitur vocamus formam substantialem.

5 Sed

5 Sed dices · de ratione accidentis est esse in subiecto atqui formæ omnes materiales sunt in subiecto ergo sunt accidẽtia. Minor probatur · quia illud dicitur, esse in subiecto, quod recipitur in alio: sed formæ omnes materiales recipiuntur in materiâ, quia producuntur dependenter ab illâ. ergo sunt in subiecto. Distinguo maiorem · de ratione accidentis est esse in subiecto proprie loquendo, concedo: improprie, nego maiorem. Deinde distinguo minorem: formæ omnes materiales sunt in subiecto improprie, & laxe, concedo · proprie, & stricte loquendo, nego minorem. Ad probationem distinguo maiorem: illud dicitur, esse in subiecto proprie, quod recipitur in alio tanquam quid non pertinens ad integritatẽ substantiæ completæ, concedo: tanquam quid pertinens ad integritatẽ substantiæ completæ, nego maiorem. Formæ autẽ materiales, quas vocamus substantiales, ita recipiuntur in materiâ, vt sint partes substantiæ completæ, & ideo non cõuenit illis proprie esse in subiecto. Desumitur doctrina tradita ex Arist. in Logicâ capit. de Substantiâ circa medium, vbi, cum dixisset, proprium esse accidentium esse in subiecto, ne aliquis putaret formam corpoream substantialem, quæ recipitur in materiâ, esse accidens, addidit · *non turbent autem nos substantiarum partes, quæ ita sunt in toto, quasi in subiecto sint, ne forte cogamur eas non esse substantias confiteri, non enim ita ex, quæ sunt in subiecto, dicebantur quasi vt partes inessent alicui.* Ac si diceret & si formæ substantiales materiales recipiantur in materiâ, non putandæ sunt esse in subiecto, aut esse accidentia: quia ita recipiuntur, vt sint partes substantiæ completæ, id enim significatur per illa verba, *inessent alicui* · quia in phrasi Aristot. sola substantia est, quæ vocatur absolute *aliquid*, seu *hoc aliquid*.

6 Sed rogas: cur formæ illæ materiales sint partes substantiæ, cum in materiâ recipiantur non minùs, quàm accidentia? Respondeo, ideo dici partes substantiæ, quia substantia completa iuxta Aristotelem. 7. Meta. cap. 3. text. 13. est primũ ens. Est dicere: substantia est id, quod in quouis ente est ex naturâ rei primum respectu illorum, quæ in eodem ente reperiuntur. Potest autem esse primũ, vel quia est primum subiectum eorum, quæ in eo ente reperiuntur, vel quia est prima radix efficiens illorum: cum autem forma, quam dicimus substantialem sit prima radix efficiens, vel saltem per se pertineat ad primam radicem efficientem operationum, quæ sunt propriæ substantiæ completæ (quia prima radix efficiens harum operationum vel est sola forma, vel compositum substantiale ex illâ resultans) iam participat rationem primi entis, & ideo participat rationem substantiæ. Secus accidit in accidentibus, quæ nec sunt primum subiectũ, neque prima radix efficiens, & ideo nõ no-

sunt

sunt esse partes substantiæ, seu de integritate intrinsecâ illius.

SECTIO. II.

Quid sit forma substantialis?

7 EX dictis disput. præcedente circa essentiam materiæ primæ facilè colligitur, quid dicendum sit circa essentiam formæ substantialis, quam quidem per varias conclusiones explicabimus. Dico ergo primò: essentia formæ substãtialis non est, esse principium effectiuum operationum totius compositi. Est contra recentiores illos, qui disput. præcedente asserebant, essentiam materiæ primæ esse *potentiam receptiuam operationum compositi, in quo inuenitur: qui consequenter ad ea, quæ* ibi docuerunt dicunt hic, formam substantialẽ essentialiter esse principium effectiuum operationum compositi. Probatur nostra conclusio: quia tota ratio formæ substantialis saluatur absque eo, quòd sit principium effectiuum operationum compositi: ergo non est de essentiâ formæ substantialis tale principium effectiuũ. Antecedens probatur: quia tota ratio formæ substãtialis clauditur illis duobus prædicatis, & quod sit forma, & quod sit substãtialis: sed ratio formæ saluatur sine tali principio effectiuo, quandoquidem plura accidentia, qualia sunt albedo, nigredo, &c. habent rationem formæ, & non sunt principia effectiua operationum compositi, quod cõstituunt, quia hoc nullas habet operationes sui ipsius proprias; deinde ratio substantialis saluatur ex eo, quòd petat partem subsistentiæ sibi respondentem, sicut materia est substãtialis, quia petit partem subsistentiæ sibi respondentem in composito, vt dicemus disp. 8. sect. 4 ergo tota ratio formæ substantialis saluatur sine tali principio effectiuo.

8 Obijciunt recẽtiores: Arist. definiuit animam, quæ est forma substantialis viuẽtis, per hoc, quod est esse principium effectiuum operationum vitalium, quæ sunt propriæ compositi viuentis, in quo includitur: ergo de ratione formæ substantialis, vt abstrahitur â viuẽte, & non viuente erit principium actiuum operationum, quæ sunt propriæ compositi substantialis, in quo includitur. Antecedens probant ex ipso Aristot. 2. de Anim. text. 5. vbi sic animam definiuit: *est actus primus corporis physici, & organici potentia vitam habentis*, inquâ definitione per illam particulam *actus primus*, docent isti recentiores Arist. intelligere, animã esse actum primũ totius compositi, quatenùs immediatè efficit operationes vitales, quæ sunt propriæ ipsius.

9 Nec Aristotelis verba quidquam fauent recentioribus, neque ipsi sibi constant in datâ explicatione. Incipiamus ab hoc vltimo. Hi ergo recentiores lib. 1. de Ani. disp. 1. memb. 1. dum hanc animæ definitionem explicant, docent, dubiam esse mentem Aristotelis circa

circa illam particu'am *corporis*, an videlicet intelligenda sit de toto substantiali, ita vt sensus sit, est actus primus compositi substantialis? vel, an intelligenda sit de solâ materiâ organizatâ, ita vt sensus sit, anima est actus primus materiæ organizatæ? si ergo censeat, dubiam esse mentem Aristotelis circa corpus, cuius actum dicit esse animam, an videlicet sit materia, vel totum compositum? qua ratione probant modò ex eisdem verbis Aristotelis, animam non esse actum materiæ; sed compositi substantialis?

10. Quod autem Arist. ipsis non faueat, manifeste constat ex contextu: etenim antequam prædictã traderet definitionem, hæc habet textu 2. *substantiæ autem maxime esse videntur corpora, & horum naturalia; hæc enim aliorum principia*: ac si liceret, vt exponunt S. Thomas hìc, Ægid. & Caiet. licèt aliquæ sunt substantiæ spirituales; substantiæ tamen corporeæ præcipuè sunt nobis manifestæ, vt potè quæ per sensus percipiuntur; spirituales verò solum per discursum: addit, *& horũ naturalia*, hoc est inter substantias corporeas illæ, quæ sunt entia naturalia, sunt nobis magis notæ, & subiungit rationem: *hæc enim aliorum principia*: ac si diceret, cuius ratio est, quia substãtiæ naturales sunt principia operationum, quarum frequens exercitium crebrò per sensus percipimus, & ex eorũ cognitione deuenimus facile in cognitionem ipsorum entium naturaliũ, à quibus dimanant. Itaque Arist. in hoc loco duplicem speciem substãtiæ corporeæ distinguit; vnã, quæ sit ens naturale; aliam, quæ non sit: & inter has illam dicit esse nobis notiorem istâ, quia illa est principium operationum, quas per sensus crebrò percipimus; secus verò ista. Deinde diuidit Arist. substantiam naturalem, seu quæ sit ens naturale in viuentem, & nõ viuentẽ, asseritque, animam esse formam cõstitutiuam corporis, seu substantiæ naturalis viuentis, & cum in sententiâ Aristotelis, vt videbimus lib. 2. forma constitutiua corporis naturalis sit principium effectiuum operationum ipsius corporis, seu substantiæ naturalis, rectè inde concludit text. 5. animam esse actum eo modo, quo habitus scientificus est actus, nempe tanquàm principium productiuum: ergo non infert Arist. animam esse principium productiuum operationum compositi viuentis ex eo, quod sit natura, vel forma corporis, seu substantiæ naturalis; ac per consequens ex definitione Arist. non bene inferunt recentiores, omnes formas substantiales debere esse principium effectiuum operationum compositi substantialis.

11. Dices: Arist. putauit, omnem substantiam completam corpoream esse ens naturale: ergo, si ex eo, quòd anima sit forma constitutiua entis naturalis, probat, esse principiũ effectiuum operationũ, id ẽ probabit ex eo, quòd sit forma constitutiua entis substantialis.

Respon

Respondeo, antecedens esse falsum, quia Aristot. nunquam id affirmauit, quin potiùs oppositum videtur constare ex his, quæ numero præcedente adduximus ex libris de Anima, vbi inter substantias corporeas, aliquas videtur admittere, quæ non sint entia naturalia, vel quia forte putat dari aliquas simplices non compositas ex materiâ, & formâ, quæ propterea non erunt naturales, quia non constabunt naturâ; vel quia existimat, dari aliquas compositas ex materiâ, & formâ, quæ non ratione solius formæ, aut ratione solius materiæ sint principium actiuum, aut passiuum, operationum, sed ratione totius compositi ita vt indiuisibiliter correspondeat toti ex vtraque parte resultanti tã effectio, quam receptio operationum, quæ sunt propriæ totius cõpositi. Hæ autem substantiæ, si fortè dentur, non erunt naturales: quia, cum non constent aliquâ parte, quæ sit principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est primo, & per se, non constabunt naturâ, ex cuius ratione est, esse principium, & causam motus, &c. vt diximus libro 2. & ideo eæ substantiæ non poterunt dici entia naturalia quia ea solùm sic appellamus in præsenti, quæ constant natura.

12 Dices secundo: ex eo probauimus sect. præcedente, dari formas substantiales, quia debet assignari aliqua prima radix effectiua accidentium eorum, quæ materia pro hoc, vel illo tempore habet: ergo ex nostra doctrina infertur, formam substantialem esse principium effectiuum operationum cõpositi substantialis. Respondeo, ex nostra doctrina solùm sequi; assignari debere aliquam partem substantialem, qua posita simul cum materia detur prima radix effectiua accidentium, quæ pro diuersis temporibus experimur in materia prima: an verò hæc pars substantialis debeat esse sola prima radix effectiua accidentium, vel simul cum materia talem primam radicem constituere, non colligitur ex prædicta doctrina. Alias sententias, quæ communiter hic referuntur, refutarem, si ex ijs, quibus *disputatione præcedenti* varias sententias circa essentiã *materiæ primæ refutauimus*, non facile colligeretur, quid dicendum sit contra illas in præsenti difficultate.

13 Dico secundò: essentia formæ substantialis consistit in eo, quod sit actus substantialis materiæ vt talis, ita P. Soar. in Meta. disp. 15. sect 5. n. 1. P. Rub. tract. de Forma q. 1. num. 3 P. Conn. 1. lib. Physic. cap. 9. quæst. 10. art. 1. & est communiter recepta. Pro eius tamen explicatione, Noto 1. duplicem inueniri actum respectu cuiuscunque potentiæ tam actiuæ, quàm passiuæ: vnum, qui se habet vt exercitium, quo talis potẽtia constituitur in actu secundo operans: alterum, qui se habet vt terminus, in quem tendit talis potentia per suum actuale exercitiũ, prior actus est causalitas, quâ tam po ten-

potentia actiua, quàm passiua cõstituitur causans suum effectum; posterior verò est terminus, in quem tendit potentia per causalitatem. Agnouit Arist. hanc duplicem actum. 9. Meta. text 10. vbi postquam locutus fuisset de variis modis, quibus res dicuntur esse in actu, addidit, *dicuntur autem actu non omnia similiter, sed proportionaliter, vt hoc in hoc, aut ad hoc, sta'ludinillo, aut ad illud, quedam enim vt motus ad potentiam.* (ecce actum qui se habet vt causalitas, & exercitium; nam motus vt dicemus libr. 3. est exercitium mobilis, & potentiæ motiuæ) *quædam vt substantia ad aliquam materiam.* Ecce posteriorem actum, qui se habet vt terminus, hìc enim Arist. nomine illo *substantia* significat formam substantialem, quam frequenter appellat rationẽ quiditatis, & quod quid erat esse rei, quod apud ipsum sonat idem, ac essentia, aut substantia rei: dicit ergo, formam esse actum materiæ, quia est terminus, ad quem dirigitur potentia materiæ. Et text. 19. docet, sanitatem, & ægritudinem esse actus potentiæ ordinatæ ad vnum, vel ad aliud. Idem cõfirmabimus ex eodem Arist. lib. 3.

14 Noto secundo, formam dupliciter posse terminare potentiam passiuã materiæ. Primo immediate, quod tunc contingit, quando forma secundùm suam entitatem fit dependenter â materiâ per passionem; tunc enim immediatus terminus productus, aut receptus per passionem est entitas formæ. Secundò potest terminare potentiam passiuam materiæ mediatè, ratione vnionis videlicet, quando vnio fit dependenter à materiâ per passionem: licèt enim vnio sola fiat dependenter à materiâ per talẽ passionem, quia tamen actio, seu passio, quæ immediatè terminatur ad vnionem, tendit ad vniendam formam ipsi materiæ, fit, vt non solùm sit terminus talis passionis vnio immediatè recepta, seu producta per illam; sed etiam forma immediatè vniẽda per vnionem, atque adeo forma non solùm est actus terminans potentiam passiuam materiæ, quãdo ipsa forma secundum suam entitatem recipitur in eâdem materiâ; sed etiam quandó vnio sola, per quam vnitur, recipitur: quia tunc terminus adæquatus passionis est forma vnita.

15 Noto tertio, ad rationem cuiuscúque formæ pertinere, quod sit terminus, saltem secũdùm quod vnita est, potentiæ passiuæ subiecti, cum quo componit totum. Ratio est: quia forma est, quæ simul cum subiecto componit aliquod totum sed de ratione eius, quod in composito habet rationem subiecti, vt talis est, quod sit principium passiuum vnionis, per quem componitur totum, vt constat ex dictis disp. præcedente circa essentiam materiæ primæ: ergo de ratione formæ est, quod vniatur per vnionem, quæ sit terminus potentiæ passiuæ subiecti: sed, eo ipso quód vnio sit terminus potentiæ passiuæ, forma vnita erit etiã ter-

minus

minus talis potentiæ: ergo &c. Minor vltima probatur: quia terminus est ille, in quē tendit ipsa causalitas sed passio tendit ad vniendam formam ergo forma vnita est terminus passionis, per quam recipitur vnio: ergo de ratione formæ est, quod sit terminus eius, quod in composito habet rationē subiecti, saltem secundum quod vnita est His positis.

16 Dico, de essentiâ formæ substãtialis esse, quod sit actus substantialis materiæ vt talis, id est, quod ex naturâ suâ sit actus per modum termini terminantis potentiam passiuam, quâ materia recipit vnionem substantialem, per hanc enim potentiam passiuam diximus disp. præcedente contrahi, & constitui materiam in ratione materiæ. Hâc ratione intelligo auctores citatos pro secunda conclusione. Hic est mihi probandum, formam substantialem essentialiter esse actum modo expicato, quia, quòd sit substantialis, nullus dubitat. Probo ergo, esse actum: quia, vt Aristot. & omnes admittunt, non solùm forma substantialis, sed etiam quælibet forma accidentalis essentialiter est actus subiecti: ergo in hoc conuenit forma substantialis cum accidentali: ergo eam rationem actus debemus tribuere formæ substantiali, quæ, cum sit communis omnibus formis substantialibus, conueniat etiã accidentalibus. sed hoc, quod est esse terminum passionis, per quam recipitur vnio in subiecto, est cõmune omnibus formis substantialibus, & conuenit etiam accidentalibus: ergo tribuendum est formæ substantiali tanquã quid illi essentiale. Minorem probo: quia de ratione cuiuslibet entitatis, quæ in composito habet rationem subiecti, est esse principium passiuum vnionis ad formam, cum qua componit totum, vt diximus disp. præcedente. ergo de ratione cuiuslibet formæ est quòd simul cũ vnione terminet passionem subiecti: ergo hæc ratio est communis omnibus formis substantialibus, & accidentalibus tanquam quid illi essentiale. Deinde per rationem *substantialis* sufficienter distinguitur forma substantialis ab accidẽtalibus: ergo rectè explicatur essentia formæ substãtialis per hoc, *quòd est*, esse actum substantialem materiæ.

17 Ex his potest faciè componi essentialis definitio formę substantialis in hunc modum. *Est actus substantialis materiæ vt talis constituens simùl cum illa compositum substantiale.* Per primam particulam *actus* videlicet, conuenit cum omni actu, & formâ. Per particulam *substantialis* distinguitur ab omnibus accidentibus. Additur, esse actum substantiã *materiæ*, vt distinguatur ab ipsâ materiâ, quæ, licèt existat per suã entitatem substantialem, & propterea dicat actum entitatiuum existentiæ; nihilominùs non dicitur actus sui ipsius. Dicitur præterea *materiæ vt talis*, vt denotetur, eatenùs esse actũ materiæ, quatenùs terminat potentiam passiuam, quæ in materiâ

riâ est respectu vnionis: per hanc enim potentiam passiuam constituitur materia in ratione materiæ, vt dictum est. Deinde ponitur *obstituens simul cum materia compositum substantiale*, vt distinguatur à modo vltimo actus, qui, licèt sit actus substantialis materiæ, non tamen constituit cum illâ compositum, si propriè loquendum sit; sed est id, quo forma, & materia constituunt ipsum compositum.

18 Obijcies: ex dictis videtur inferri, materiam fore actum formæ vt informatiuæ quia ideò forma est actus materiæ, quia est terminus potentiæ passiuæ illius: sed etiam materia est terminus potentiæ informatiuæ formæ: ergo est actus illius. Minor probatur: quia illud est terminus potentiæ informatiuæ, quod informatur ab ipsâ: sed materia informatur a formâ: ergo est terminus illius. Nego sequelam. neque enim dicitur terminus potentiæ productiuæ totum illud, ad quod dicit aliquem ordinem, alioqui passim diceretur terminus potentiæ effectiuæ illud respicientis, tanquam id, in quo suum effectum producit, quod nullus admittit; sed solùm dicitur terminus potentiæ causatiuæ id, in quod tendit per suam causalitatem, tanquàm in quid acquirendum per ipsam forma autem non tendit in materiam per vnionem, quæ est causalitas formalis causæ, tanquàm interminum acquirendum per ipsam vnionem; sed tanquàm in extremum, & concausam, quæ simul cum formâ causat totum per eam vnionem vide materia non potest dici actus formæ per modum termini

19 Vnum hìc aduerterim, nempe, quòd, licèt materia vniatur formæ per vnionem; non tamen est dicenda terminus passionis materia vnita, sicut dicitur terminus passionis forma vnita. Ratio est: quia terminus passionis solùm est illud, quod acquiritur per ipsam, non illud, cui acquiritur: materia autem vnitur formæ tanquàm id, cui per passionem acquiritur forma vnita; forma vero tanquàm id, quod acquiritur ipsi materiæ Vndè rectè dicitur forma terminus passionis, & actus potentiæ passiuæ; secus materia. Id facilè declaratur exemplo hominis acquirentis sibi aliquem finem, possessionem videlicèt diuitiarum: possessiones enim, & res possessa sunt, quæ acquiruntur; homo verò, cui acquiruntur, & ideo labor, & cura hominis tendit in possessionem tanquàm interminum adquirendum, in ipsum verò hominem solùm tanquam in subiectum, cui paratur talis possessio.

20 Ex dictis inferes, non esse de ratione formæ substantialis præcisè sumptæ, quod sit entitatiuè perfectior, quàm materia: quia de ratione formæ substantialis præcisè sumptæ tantùm est, quòd sit actus substantialis materiæ vt receptiuæ vnionis: sed cui hoc bene stat quòd materia sit perfectior ergo &c. Minorem probo;

quia

quia in ratione substantiæ conueniunt materia, & forma, deinde ratio actus solú consistit in eo, quòd sit terminus potentiæ receptiuæ materiæ modo explicato: sed de ratione formali termini potentiæ receptiuæ materiæ nõ est, esse perfectiorem ipsâ materiâ, tum quia in accidẽtibus inuenitur similis ratio termini, & nihilominùs non sunt perfectiora materiâ primâ, tũ etiam quia quid perfectius est, esse potentiam productiuam, quamuis sit in gere causæ materialis, quàm esse præcise effectum talis potentiæ, cùm hoc solùm dicat dependentiam ab illo; illud verò dicat virtutem productiuam. ergo &c. Vnde colliges, quod, si ratio formæ substantialis non contrahatur per differentias specificas, quæ materiæ perfectionem excedant, potest contingere, quod materia sit de facto perfectior, quam aliqua forma substantialis.

21 Rogas: Vnde ergo venanda est maior, vel minor perfectio formæ respectu materiæ? Respondeo, id esse inferendum ex collectione omnium prædicatorũ etenim, si collectio prædicatorum formæ excedat collectionem prædicatorum materiæ, forma erit perfectior. secus vero, si è contra. Perfectio autem entitatiua prædicatorum colligenda est ex maiori independentia entitatiuâ, ex perfectorum effectuum continentia, ex perfectiori modo continendi, aut producendi suos effectus, ex gradu perfectiori essendi.

SECTIO. III.

An formæ materiales educantur ex potentia materiæ?

22 EDuctio hìc sumitur à philosophis pro actione, per quam effectus ab agente producitur dependenter â subiecto recipiente ipsum effectum mediâ eâdẽ actione, quæ prout in subiecto, passio nominatur. Dicitur vero eductio, quia, cum subiectum in suâ potentiâ contineat effectus, dum agens eos producit, videtur eos quasi extrahere in lucem ex potentia ipsius subiecti, & ideo dicitur educere. melius tamen diceretur talis actio inductio, quandoquidem agens ex vi ipsius actionis ponit effectus in materiâ. Est ergo difficultas, an formæ materiales producantur per hanc actionem; vel potiùs per creationem? & procedit difficultas tam de formis sublunaribus, quam de formis cœlorum. Pro eius decisione.

23 Noto, formas materiales (& idem est de quolibet alio effectu, qui educitur ex subiecto) antequàm producantur, nullo modo præcedere in materiâ secundùm aliquid sui quasi ibi delitescentes, vt inde educãtur ab agente, quando eas producit. Ratio est: quia illud, quod præcederet realiter, & entitatiue in materia, vel esset tota entitas formæ; vel aliqua pars illius Non tota entitas; tum quia iam non produceretur denuo ab efficiente, ea enim, quæ iam sunt reali-

realiter in rerum naturâ, non producuntur denuò: tùm etiam, quia in materia essent actu infinitæ formæ, vel saltem plures, cum tot possint educi ex potentia eius. ac per consequens eadem materia esset actu in pluribus compositis; imò & eadem forma esset actu in pluribus subiectis numero diuersis, cum ex quauis materia sublunari possint educi omnes formæ. Neque potest præcedere entitatiuè in materia aliqua pars formæ: primò, quia reliquæ partes producerentur, quin secundùm se præcessissent in materia: ergo & illa pars, quam tu dicis præcessisse, posset produci sine tali præcedentia. Secundo, quia vel illa pars præcederet in tota materia, vel in vna tantùm illius parte. Si in tota, haberet plura subiecta, cum vna pars formæ esset in pluribus materiæ: deinde necessarium esset, quod, quandò reliquæ partes producuntur, illa se reciperet ad partem materiæ sibi respondentem, ne esset in eodem subiecto, in quo reliquæ partes formæ producuntur, quod certè ridiculum est. Si verò erat in vna tantùm parte materiæ, sicut ex reliquis partibus ipsius materiæ denuò educuntur reliqua partes formæ ibi non delitescentes realiter, cur hæc etiam non posset denuo educi ex parte materiæ illi respondente, quin antea in ea delitesceret?

24 Dices si forma non præcederet in materia secundùm aliquid sui, sequeretur, formam materialem fieri ex nihilo. ergo creatur, quia creatio est productio rei ex nihilo. Distinguo antecedens: fieret ex nihilo, si τὸ *nihilum* excludat omnem partem ipsius formæ præexistentem in materia, cõcedo: fieret ex nihilo, si τὸ *nihil* excludat subiectum præsuppositũ sustentans, & recipiens ipsam formam, nego antecedens. Et deinde nego consequentiam. quia res per creationẽ productæ non dicuntur fieri ex nihilo quia ita fiant, vt nulla pars earum præcedat in materia, vel subiecto aliquo; sed quia non concurrit ad eas producẽdas subiectum aliquod recipiens, aut sustẽtans. Axioma verò illud apud philosophos antiquos maximè receptũ, *ex nihilo nihil fit*, ita intelligendum est, vt solùm velint, quod agens creatum non possit aliquid producere, nisi in subiecto effectum eius recipiente. Hoc posito.

25 Dico primò: formæ materiales sublunares educuntur ex potẽtia materiæ. Est communis omniũ philosophorũ sententia, si vnum, vel alterũ recentiorũ excipias. Videatur P. Sua. disp. 15. Met. sect. 2. P. Hurt. disp. 4 Phys. nu 15. Omissis aliorum rationibus, eam probò primo, quia forma materialis producitur ab agente creato naturali: ergo producitur per eductionẽ. Conseq. est certa apud omnes philosophos, & Theologos vnanimi consensu asserentes, nullum agens creatum naturale posse efficere ẽ aliquã per creationẽ, saltem vt causam principalem. Antecedens probo, & quidem de formis accidentalibus nullus est, qui

F nega-

neget: videmus enim calorem applicatũ ligno illud calefacere, & lucem illuminare, &c. De formis substantialibus probatur eadẽ ratione quia ignis applicatus ligno introducit in illud formam ignis; & equa generat equum, & sic de alijs: ergo istæ formæ producuntur ab agente creato.

26 Dices: homo reuerà generat hominem, & nihilominus non producit formam hominis generati; sed solùm vnionem: ergo idem potest contingere in igne, & equa, nempè quòd non producant formam effectus generati, sed solùm vnionem illius cum materia. Concedo antecedens, & nego cõsequentiam. Ratio est: quia, quando videmus, applicato agente aliquo produci aliquem effectũ, tribuendus est talis effectus illi agenti, ni adsit ratio oppositum suadens: alioqui non esset, cur diceremus, calorẽ producere non solùm vnionem, sed etiam alterum calorem. In homine autem datur ratio suadens, animam non posse ab altero homine produci: quia, cum sit spiritualis, non potest produci dependenter à materia corporea, vt constabit ex dicendis in lib. de Anim., in equo verò, igne, & alijs nullum apparet leue fundamentũ ad asserendum, formam eius produci non posse à generante.

27 Secundo probatur conclusio: quia forma materialis nullã operationem habet independentem à materia (vel ab alio subiecto ab ipsa forma distincto) tanquàm à causa materiali recipiente, & sustentante: ergo suum esse habet etiam dependens à materia tanquàm â causa sustentãte. Antecedens admittitur ab omnibus. Consequentia probatur: quia ex operationibus venamur naturam entitatis producẽtis. Hinc fit, quod eam substantiam, quæ nullam operationem habet spiritualem; sed omnes materiales, & corporeas, dicimus, esse essentialiter corpoream: deinde substãtiam, quę nullam operationem elicit vitalem; sed omnes non vitales, dicimus essentialiter esse non viuentem, &c. ergo, si forma materialis nullam operationem elicit independentem à subiecto distincto, rectè inde colligitur, esse, seu entitatem illius dependere à subiecto.

28 Dico secundò. formæ cœlorum (non loquor de Empyreo) eductæ fuerunt ex materia. Tuentur hanc conclusionem authores præcedentis conclusionis, si P. Suar. excludas. Ante quàm probetur, supponendum est, cœlos esse substantias compositas ex materia, & forma. Constabit id ex dicendis in lib. de Cœlo, vbi probabimus, cœlos habere materiã eiusdem speciei cum sublunari, quæ ex forma aquæ transijt ad formam cœlorum. Secũdò probari potest ex Epist. 2. S. Petri cap. vltimo, vbi aperte testatur, cœlos comburendos esse in die iudicij; non possent autem comburi, nisi constarent materia, quæ admittendo formam ignis, amitteret antiquã formam; neque enim ignis aliter adurit aliam substantiam, nisi intro-

introducendo formam propriam in subiecto, quod anteà habebat extraneam. Verba Apostoli sunt: *Cœli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi, sunt igni reseruati in diem iudicij*: Ne autẽ putares Petrum locutum fuisse de aere, illum significando nomine cœlorum, addidit *Aduenient autem dies Domini, vt fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in eâ sunt opera exurentur*. vbi distinguens Petrus cœlos ab elementis enucleatim exponit transitum cœlorum, elementorum solutionem (inter quæ aer comprehenditur) & exustionem terræ. Et clarius id dicit inferius: *Expectantes* inquit) *& properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Nouos verò cœlos, & nouam terram secundum promissa ipsius expectãmus*. Vidè P. Mol. de operẽ, ex dierum disp. 3. & P. Sals. in c. vlt. Epist. 2. Petri disp. 3. & 4. P. Hur. in lib. de Cœlo dis. 3. sect. 7. qui omnes adducunt testimoniũ sancti Clementis, lib. 3. Recogn. referentis B. Petrum disputantẽ cum Simone Mago affirmasse, cœlos perituros. Hoc posito.

29 Probatur conclusio ratione secunda, qua probata est præcedens Sed obijcit P. Suarez forma, quæ educitur, supponit materiam præexistentem cum priuatione ipsius: sed formæ cœlorum non suppositere materiam præexistentem cum priuatione ipsarum: ergo non fuerunt eductæ, sed creatæ. In primis maior est falsa: neque enim generatio, aut eductio formæ connexionem habet cum priuatione; sed solùm cum subiecto recipiente secundùm se sumpto, vt diximus disp. 1. num 26. Secũdò, data maiori, nego minorẽ; quia, vt dicã in lib. de Cœlo, materia cœlorum prius extitit sub forma aquæ, ex qua facti sunt cœli, ac per consequens toto eo tempore, quo habuit formam aquæ, præcessit materia cum priuatione formæ cœlorum.

30 Obijcit secundò: Geneseos primo, dicitur Deus creasse cœlum: ergo producti sunt cœli per creationem. Respondetur, in eo capite non sumi verbum *creare* in stricta significatione; sed latè pro eo, quod est producere: quia in eodem cap nu. 21. postquàm Deus iussit aquas producere reptile animæ viuentis, & volatile, additur; *creauitque cete grandia*; & tamen hìc non sumitur verbum *creauit*, pro rigorosa creatione, sed pro eductione ergo inefficax sumitur argum. ex verbo, *creauit*.

SECTIO. IIII.

An plures formæ substantiales subordinatæ possint naturaliter esse simul in eâdem materiâ?

31 DVpliciter potest disputari quæstio, de multiplicitate formarũ substãtialiũ in eadẽ materia. Vno modo, ita vt sese inter se subordinatę formæ ordine ad cõstituendũ vnum cõpositum substantiale: altero modo, ita vt

disparatæ omnino interse, non vnum; sed plura composita substãtialia cum eâdem materiâ constituentes. De hoc secundo modo agemus sect. sequente. Primus verò hanc sibi sectionem vendicabit. Possunt tamẽ trifariàm subordinari plures substantiales formæ in ordine ad idem compositum substantiale constituendum. Primò, ita vt pro diuersitate prædicatorum essentialium existentium in composito assignentur diuersæ formæ substantiales, quarum singulæ singulis prædicatis correspondeant. Secundò, ita vt vna se habeat tanquàm subiectum immediatum alterius, vt mediâ illâ subiectetur in materiâ (sicut in communi sententiâ, qualitates mediâ quantitate subiectantur in materiâ) vel saltem ita vt ex vnâ formâ, & materiâ resultet vnum adæquatum subiectum alterius formæ. Tertiò, ita vt vna se habeat in materia tanquàm dispositio necessaria ad aliam recipiendam. Omnia hìc discutienda.

32 Prima igitur sententia asserit, in quâlibet materiâ dari tot formas substantiales, quot sunt essentialia prædicata compositi substantialis resultantis. Ita Ioannes de Gandabo, 2. Metaph. quæstion. 10. & 1. de Anim. quæst. 8. Venetus. 7. Meta. Rationes huius sententiæ obijciam infrà. Secunda sententia asserit, in quolibet mixto dari formas omnium elementorũ, licèt non omnes authores huius sententiæ eodem modo eam defendant. Quidam enim asserunt, quamlibet formam vnius elementi esse in diuersa parte materiæ, ac formam alterius. Alij verò, formas omnes elementorum esse in singulis partibus materiæ mixti. Contra hanc sententiam agam. 2. libr. de Generat. Tertia sẽtẽtia, quę primę est affinis docet in homine pro diuersis gradibus, quos continet, vegetandi videlicet, sentiendi, & ratiocinandi tres animas esse constituendas subordinatas, & realiter distinctas: vegetatiuam vnam; sensitiuam alteram, & vltimam rationalem. Ita OKam. quodl. 2. quæst. 10. 11. Hanc sententiam examinabo in lib. de Anima. Quarta sententiã ponit in materia duplicem formã subordinatam; vnam, quæ simul cum materia constituat commune subiectũ reliquarum formarũ, hãc vocant formã corporeitatis; alterã quæ hoc cõmune subiectũ informet, & constituat in hãc, vel illa determinata specie; vt, in specie hominis, lapidis, bruti, &c. Hanc sententiã tenet Auicẽb. lib. 1. sufficit c. 2. cui quoad hanc partẽ cõsentiunt, Henr. in 4. d. 11. q. 3. ar. 2. & Scotus, quodl. 2. q. 2. & 3. & quodl. 3. q. 13. & 14. Ille enim admittit formã corporeitatis in omnibus viuentibus; non verò in non viuentibus; Scotus verò in solo homine eam admittit.

33 Dico primò: non dantur in composito substantiali diuersæ formæ subordinatæ pro diuersitate prædicatorum essentialium. Hæc est contrà primam sententiam, & eam tenet P. Sua. in Met. dis. 15. sect.

sect. 10. num. 5. P. Hurt. hìc, estque communis inter recentiores. Probatur primò: quia, etiamsi ponerentur plures formæ modo dicto subordinatæ, omnia prædicata essentialia corresponderent vni ex illis: ergo frustrà adduntur reliquæ propter diuersitatem prædicatorum. Antecedens probatur. Ponamus lapidem, v.g. habere vnam. Formam substantialem, quæ constitueret prædicatum supremum substantiæ vt sic; aliam, quæ constitueret prædicatum substantiæ corporeæ; aliam, quæ constitueret prædicatum non viuentis, aliam denique, quæ prædicatum specificum lapidis. Huic vltimæ necessario corresponderent omnia prædicata superiora; compositum enim resultans ex illâ formâ, & materiâ, in primis haberet supremam rationem substantiæ, quia in ratione substantiæ conueniret cum omnibus alijs contentis in prædicamento substantiæ: deinde esset substantia corporea, quia totum resultans ex illâ, & materiâ esset ex naturâ rei impenetrabile cum alio, & diuisibile in partes extensionis; ratio autem corporis vt ab spiritu distincti consistit in impenetrabilitate, vel diuisibilitate partium extensionis, vt diximus in lib. de Anima: præterea esset substantia non viuens, quia forma specifica lapidis non est elicitiua operationum vitalium: denique esset lapis: ergo vltimæ illi formæ simul cum materia respõderent omnia prædicata lapidis: aliæ ergo superfluerẽt.

34 Dices: compositum resultans ex materiâ, & ex vltimâ illa forma non haberet supremam rationem substantiæ, quia hæc est substantia completa; illud verò compositum non esset substantia completa, cum ex natura rei esset ordinatum ad componendam aliã substantiam cum reliquis formis substantialibus, quas adstruit opposita sententia. Egregia petitio principij. Pone, nõ dari alias formas substantiales in lapide præter illam vltimam; compositum quidem ex illa, & materia resultans erit substãtia completa, quia non ordinabitur ad componendum cum alijs formis substantialibus: ad quid ergo addemus aliã formam, cui correspondeat prædicatum substantiæ? Neque enim hæc addenda est, nisi vt tribuat prædicatum, quod ipsa deficiente tribui non posset ab alia forma. Secundo ex tua solutione sequitur, prædicatum substantiæ completæ non posse respondere illi formæ, quã adstruis ad idminus: quia totum resultans ex hac forma, & materia ordinatum esset ad componendum aliud totum cum reliquis formis prædicatorum inferiorum: ergo ratio substantiæ completæ non tribueretur ab illa forma.

35 Secundò probatur conclusio: quia, ex eo deberent constitui diuersæ formæ substantiales pro singulis prædicatis, quòd singulæ haberent diuersa connotata, aut operationes: sed diuersæ operationes possunt respondere eidem

formæ substantiali ergo non sunt multiplicandæ formæ pro diuersitate prædicatorum. Minor probatur: quia anima rationalis, cum sit vna, est principium intellectionis, & volitionis, assensus, & dissensus, amoris, & odij, quæ quidem operationes sunt valde diuersæ ergo vni formæ substantiali possunt respondere diuersæ operationes.

36 Confirmatur primò: quia quæuis forma substantialis deberet componi ex diuersis formis pro diuersitate prædicatorum, & illæ diuersæ ex alijs diuersis, & sic in infinitum. Assumptũ probo. quia omnes formæ, quæ essent in lapide conuenirent quidem in ratione formæ, & differrẽt per propriam, & peculiarem differentiam. ergo iam in qualibet ex illis essent duo prædicata, pro quibus deberent poni duæ formæ iuxta oppositam sententiam deinde illæ duæ formæ conuenirent in ratione formæ, & differrent per proprias differentias, atque adeo constarent ex alijs duabus formis, quibus responderent illa duo prædicata, & sic in infinitum. Confirmatur secundò quia, cum in materia etiam sint plura prædicata (vt enim supra diximus, dari possunt materia, quæ, cum in ratione materiæ conueniant, specie tamen dissideant) deberent dari in materia ipsa plures formæ essentiales ipsi, quibus singula prædicata materiæ responderent. hoc autem admitti nequit, quia nulla forma est de essentia materiæ.

37 Obijcies primò Aristotelem, qui 7. Met. text. 33. ait, partibus definitionis respondere partes rei: ergo genera, & differentiæ, quæ sunt partes definitionis, correspondent diuersæ partes rei definitæ: at hæ non possunt esse materia, & forma, quia materiæ soli non correspondet vllum prædicatum essentiale totius, vt, *animal* verbi gratia, non correspondet materiæ soli, & *rationale* formæ, quia materia sola non est sensitiua ergo assignari debet in materiâ vna forma, cui correspondeat prædicatum animalis, & alia distincta, cui prædicatũ rationalis &c. Respondeo, mentem Aristotelis esse, quòd, sicut se habet tota definitio ad totam rem definitam, ita quælibet pars definitionis ad partem definiti sibi respondentem, quia sicut tota definitio explicat totam rem definitam, ita etiam pars debet explicare partem, vt hæc definitio, *animal rationale* explicat essentiam hominis, & *animal*, quod est pars definitionis explicat partem sensitiuam hominis, *rationale* verò partem rationalem; an vero partes definiti debeãt distingui realiter, vel per rationem non curat Arist. in eo loco.

38 Obijcies secundò eundem Arist. qui 2. Met. capit. 2. fertur, asseruisse in vno toto substantiali nõ dari formas infinitas, eo quòd non dẽtur infinita prædicata: ergo censuit, formas esse multiplicandas pro multiplicitate prædicatorum essentialium. Respondeo,

deo, Aristot. rectè deducere non esse formas infinitas ex eo, quod non sint infinita prædicata quia, si hæ formæ darentur, cuilibet saltem corresponderet vnum prædicatum diuersum ab alijs. Ex hoc tamen non infertur, Aristotelem sensisse, pro singulis prędicatis singulas esse formas adstruendas: quia, cum in sententia ipsius rationes formarum distinguantur prædicata metaphysica rei, vni soli formæ substantiali respondebunt omnia

39 Dico secundò: in composito substantiali siuè viuente, siuè non viuente, siuè rationali, siuè nō rationali non datur forma substātialis corporeitatis simul cum forma substantiali propria ipsius cōpositi. Hæc est contra quartam sentētiam, & eam tuentur P. Suarez in Metaph. disput. 15. sect. 10. à numer 8. & disputat. 13. section. 3. numer. 12. vbi citat Sanctum Thom. 1. part. quæstio. 76. artic. 3. & 4 & libr. 2. contra Gent. cap. 58. & lib. 7. Metaphysic. quæstio. 12. cum omnibus Thomistis, & alijs pluribus, P. Hurtad. hic Probatur conclusio: quia forma corporeitatis esset adstruenda, vel vt illi responderet prædicatum aliquod compositi substantialis, vel vt simul cum materia esset subiectum vnionis substantialis, & formarum materialium, vel vt materiam disponeret, & præpararet ad formas, & vniones substantiales recipiendas atqui ad nihil horum requiritur talis forma. ergo non est adstruenda. Consequentia est bona: quia præter illa tria nihil potest excogitari, pro quo necessaria sit forma corporeitatis. Minor probatur, & in primis, quòd illi non respondeat prædicatum aliquod compositi substantialis quia, si aliquod, maximè ratio substantiæ corporeæ: sed hæc respondet propriæ formæ cuiuslibet compositi: ergo, &c. Minorem probo in homine, in quo est maior difficultas: quia ex anima rationali, & materia prima resultat vna substantia corporea, cum totum ex illis resultans sit ex natura rei impenetrabile cum alio, quod quidē sufficit ad rationem corporis, vt dicemus in lib. de Anima.

40 Deinde forma corporeitatis non est necessaria, vt ex illa, & materia coalescat vnum subiectum formarum, & vnionum substantialiū: quia nihil est in formis, & vnionibus aliud exigens subiectum præter materiam: ergo materia sola sufficiet ad ipsas recipiendas. Antecedens est certum, vel assigna aliquod prædicatum in formis, & vnionibus, quod aliud exigat subiectum præter materiam. Confirmatur: quia ex vna parte est certum, requiri materiam vt subiectum: deinde nulla est ratio nos cogens ad constituendum aliud subiectum præter illam: ergo negandum omnino est, quia, vt iam sæpè monuimus, dum ex parte effectus indigentia causę non apparet, tribuendus omnino est illi, qua nouimus indigere. Denique, non

requiritur forma corporeitatis vt dispositio præparans materiã: quia certum est, requiri ex parte materiæ tanquã dispositiones tẽperamentum primarum qualitatum, quæ hoc, vel illo modo attẽperatæ præparant materiam ad diuersas formas substantiales, est enim experientia notum, quod variato tẽperamento primarũ qualitatũ destruitur sæpè forma præexistens, alia demuo aduenientе deinde ex tali attẽperatione qualitatum rarefit materia, tali verò condensatur, ex alia denique in talem figuram protenditur, aut contrahitur ergo temperamentũ primarum qualitatum sufficiet, vt materia prima in varia membra, & organa destribuatur, quibus apta fiat animæ rationali, & reliquis sensitiuis recipiendis, præcipuè, cum experientia constet, quod, introductis aliquando talibus qualitatibus, membra dissoluuntur, & aliquando alijs solidantur. Si ergo hæc munera obire possunt qualitates, cur aliam formam substantialem addemus ad ea munera obeunda?

41 Confirmatur: quia, si forma corporeitatis esset dispositio ex parte materiæ requisita ad formam hominis, v.g. vel includi deberet in essentia physica hominis; vel non? Si hoc vltimum: ergo nõ esset substantialis, sed accidentalis: nam neque esset substantia cõpletã, vt patet, cum materia post illam receptam ordinata maneret ad componendam aliam substantiam, hominem videlicet, neque esset substantia incompleta, quia substantia incompleta debet esse de conceptu, seù integritate completæ, quod quidem conuenire nõ posset illi formæ, cum non esset de conceptu hominis, qui est substantia completa, ad quam ordinaretur ea forma. Si includeretur in essentia physica hominis: ergo homo non esset vnum compositum, sed plura tùm quia illa forma non vniretur cũ anima rationali, quã enim vnionem habere posset cum illa? tùm etiam quia, vt hæ formæ vnum compositum constituerent, nõ sufficeret, quòd eidem materię vnirentur, subsistentiæ enim Diuinæ vniuntur, imò identificantur cum eãdem indiuisibili natura reali, & nihilominùs, quia non identificantur interse, non constituunt vnum suppositum, sed plura. Preterea duæ formæ accidentales sæpe vniũtur eidem subiecto, vt apparet in albedine, & dulcedine, & non constituunt idem compositũ accidentale, sed duo, eo quòd interse non sint vnitæ: ergo, cum anima rationalis vnita non esset cum forma corporeitatis se habente vt dispositione respectu ipsius, nõ constituerent vnum compositum substantiale, sed duo.

Soluuntur argumenta.

42 OBiecies primo: non implicat aliqua forma substantialis exigens aliud subiectum substantiale simul cum materiâ ad sui, vel vnionis propriæ receptionem. Vndè ergo nosti, animam rationalem, vel aliquam aliam sensitiuam

stimam ex his, quæ modo dantur, non esse talem? Admittimus, esse possibilem talem formam. Et tu in præd citum aliquod habere deberet, cui recipiendo non sufficeret materia prima cum autem ex illis prædicatis, quæ hucusque nouimus in animâ rationali, ac eius vnione, & in reliquis formis sensitiuis, nullum inueniamus, cui non sufficiat materia prima disposita, & præparata tali temperamento primarum qualitatum, ideò asserimus, ad has formas non requiri ex parte materiæ aliquam aliam substantiã, quæ se habeat vt subiectum, vel vt dispositio ad illas requisita.

43 Obijcies secundò: anima requirit in materia varietatẽ organorum: talis autem organorum varietas introduci non potest, nisi à formâ corporeitatis. ergo adstruenda est in viuentibus. Respondeo, varietatem organorum efficienter causari à formâ seminis, quæ non aliomodo illa diuersa organa efficit, nisi introducendo primas qualitates diuerso modo attemperatas in diuersis partibus materiæ fœtus. Vndè prouenit, quod singulæ partes materiæ diuersas habeant figuras, aptas quidem ad propria munera obeunda. Sed de hoc agemus ex professo in lib. de Generatione.

44 Obijcies tertiò animalia dici solent constare copore, & animâ, quod quidem non dicitur de non viuentibus, sed tantum, quòd constant materiâ, & formâ. ergo in animalibus aliquid est ex parte materiæ, ratione cuius dicitur corpus: hoc non posset esse nisi forma corporeitatis. ergo, &c. Respondeo, materiam viuentium dici corpus ratione organizationis, & distinctionis membrorum: cum antẽ organizatio constet solâ introductione primarũ qualitatum in tali attemperatione, non est necessaria forma corporeitatis. Occurres: si materia cõstituitur in esse corporis per organizationem: ergo, dum homo dicitur constare, seu componi ex corpore, & animâ, ibi inuoluitur, quòd constet etiam, seu cõponatur ex organizatione: atqui non potest componi ex organizatione, quia hæc est accidentalis, & id, quòd est accidentale, non potest cõponere substantiã, qualis est homo: ergo materia non constituitur in esse corporis per organizationẽ; sed per formam aliquam substantialem. Respondeo, quòd, dũ homo dicitur constare, seu cõponi ex corpore, & animâ, non sumitur corpus reduplicatiuẽ, sed specificatiuè. Est dicere: ideò dicitur homo constare, seu cõponi ex corpore, & animâ, quia constat materiâ, quæ constituitur in esse corporis per organizationẽ; non verò, quiâ constet, seu componatur ipse homo ex organizatione.

45 Obijcies quarto: in morte animalis non introducitur noua forma in materiâ loco animæ præexistentis. ergo ponenda est alia forma simul cũ animâ, quæ, hac recedente, informet materiam, ne cogamur asserere destitui aliquando

dò omni forma substantiali. Antecedens probatur quia, si introduceretur noua forma, illa esset diuersa propter diuersitatem dispositionum: atqui hoc non ita contingit, idem enim cadauer experimur, siue viuens pereat ex nimio frigore, siue ex nimio calore: ergo, &c. In primis, posito antecedente, nullũ esset inconueniens in eo, quod, recedente anima, non introduceretur noua forma, quia, vt diximus disput. præcedente sect. 8. materia ex natura rei potest cõseruari absque vlla forma substantiali. Respõdeo secundò, negando antecedẽs, etenim loco animæ in morte animalis, introducitur forma cadaueris. Ad probationem respondeo, quod, licet animal perire possit ex vi dispositionum interse maximè distantiũ, non inde colligitur, formas cadauericas succedentes animalibus fore specie diuersas: sicut enim in secundis qualitatibus, quæ ex tẽperamento primarũ procedunt, sæpe contingit, vt qualitas secunda, in specie eadẽ oriatur ex tẽperamentis maxime interse oppositis, vt, albedo, quæ in niue ex nimia frigiditate; in lana vero, & melle ex calore prouenit, & sic de alijs, ita potest contingere in formis cadauericis, quod ex natura sua sint tales, quæ exigant tanquam dispositionẽ sibi propriam quancunque qualitatem destructiuam dispositionis requisitæ ad conseruationem animali, siue ea qualitas sit calor, siue frigus, &c.

46 Objicies quintò: in homine mortuo idem numerò corpus perseuerat, ac erat in homine viuo: ergo datur in homine viuo aliqua forma constituens corpus cum materiâ, quæ quidem forma perseueret in homine mortuo. Antecedens probatur: quia alias in triduo mortis Christi Domini non mansisset in sepulchro idem numero corpus, quod erat in Christo Domino viuente. Vnde duo sequerentur absurda. Primum, quod illud diceri non posset corpus Domini. Secundùm, quod si ante mortem Christi Domini consecrata fuisset hostia, in instanti mortis desineret esse in hostia consecrata Corpus Christi, quod quidem à Theologis, non admittitur. Respondeo, antecedens esse falsum, si intelligatur de corpore substantiali completo. Ad probationem fateor antecedens, neque ex eo sequuntur duo illa absurda. Non primum; quia, vt cadauer illud diceretur Corpus Christi Domini, sufficeret, quod in illud resolutus fuerit Christus in quantum homo, sicut vere dicitur in symbolo Apostolorum *Christus Dominus mortuus, & sepultus*, Non quia sepultus fuerit ipse Christus Dominus; sed quia sepultum est cadauer, in quod resolutus est Christus Dominus in quantum homo. Neque sequeretur secundùm, quia post mortem Christi maneret in eâ hostiâ consecratâ cadauer ipsius Christi Domini, quod sufficeret, vt vere diceretur ibi manere

re Corpus Christi quia, vt rectè docet P. Vazqu. tom. 3 in 3. part. disputat 286. num. 37. quando consecratur hostia per ea verba, *Hoc est corpus meum*, non significatur Corpus viuum Christi determinate, sed Corpus Christi viuum, seu mortuum disiunctim; atque adeo ex vi verborum constituitur sub speciebus panis eo modo, quo fuerit, si viuum, constituitur viuum, si mortuum, constituitur mortuum Cum autem in triduo mortis reuerà Christus Dominus mortuus fuerit, in illâ hostiâ consecrata esset Corpus Christi Domini mortuum.

SECTIO V.

Vtrùm plures formæ substantiales non subordinatæ, possint simul esse in eadem materia?

47 NOn disputo in hac sectione, an sit possibilis aliqua materia, quæ possit naturaliter simul recipere plures formas substantiales non subordinatas? Quæstio enim est parum vtilis, & in quâ pro vnâ, vel alterâ parte nullum est firmum fundamentum; quapropter abeà abstinendum. Neque etiam disputo, an inter formas possibiles aliquæ contineantur non subordinatæ, quæ pereant, aut possint naturaliter esse simul in eadem materia? Solũ est quæstio de hac materia sublunari cõparata cum formis, quas continuo experimento nouimus, sibi inuicem succedere in eadem materia, an videlicet vna numero materia possit simul recipere, seu vniri pluribus ex his formis? Et quidem, si de potentia naturali sermo sit, non possunt duæ formæ substantiales simul esse in eadem numero materia: experimur enim, adueniente denuò vna forma substantiali, perire præexistentem, quod quidem manifestum est indicium, non posse naturaliter simul esse, solum ergo procedit quæstio de potentia Dei absoluta.

48 P. Vazq. tom. 1. in 3. part disp. 29. num. 13. cui subscribunt plures è discipulis, affirmat, adhuc de potentia Dei absoluta non posse eandem materiam plures formas suscipere. Rationem illius infrà obijcam. Recentiores alij affirmant, incertum esse, an hæc materia sublunaris de potentia Dei absoluta possit simul recipere plures formas? Ratio eorũ est: quia possibilis est aliqua materia, quæ, licèt successiuè possit plures formas recipere, contradictionẽ tamen implicet, quod illas simul recipiat; deinde possibilis est materia, quæ cũ possit naturaliter plures formas successiuè recipere, possit etiam supernaturaliter illas simul admittere: sed nullũ est fundamentũ, ex quo possimus colligere, an hæc materia sit prioris generis, vel an potius posterioris? ergo incertum est, an possit simul recipere plures formas supernaturaliter?

49 P.

49 P. Soar. in Metaph. disput. 15. sect. 10. num. 60. P. Fonsec. 5. Metaph. capit. 4. quæst. 4. sect. 5. ad 3. P. Rub. 2. Physicor. tractat. de Forma quæst 7. nu. 72. P. Hurt. in Physic. disput. 4. asserunt, de potentia Dei posse simul esse in eadem materia plures formas substantiales. Hæc sententia mihi placet. Ratio est: quia in hoc nulla involuitur implicatio: ergo non est Deo negandum. Antecedens probatur; quia non est implicatio in eo, quòd simul coniungantur in materiâ potentiæ receptiuæ plurium formarum substantialium; hæ enim potentiæ receptiuæ cũ non distinguantur realiter â materia, illam semper cõmitantur: deinde non est implicatio in eo, quod simul coniungãtur plures formæ, seu plures receptiones illarum, quia receptio vnius formæ, equi. v. g. neque est negatio formæ leonis, seu eius receptionis, vt perse patet; neque involuit negationem illius, quia effectus formalis formę equi, seu eius receptionis nihil includit, quod sit negatio formæ leonis, seu eius receptionis: præterea non est aliud caput, vnde sumi possit implicatio: ergo ex nullo capite repugnat simultanea coniunctio duarum formarum in eadem materia. Idem probabitur ex solutione argumentorum.

50 Objcit P. Vazq. potentia receptiua formæ substantialis oritur in materia ex indigentia, quam habet ipsius formæ ad sui conseruationem; ex eo enim recipit formã substantialẽ, quia illâ indiget ad sui conseruationẽ: sed posita vna forma in materia, expletur omnino eius indigentia, ita vt iam vltrà non indigeat aliâ: ergo ita etiam explebitur potentia receptiua per vnam formam, vt, illâ perseuerante, non maneat receptiua alterius. Respondeo primò, maiorem propositionem esse falsam: quia, vt disput. præcedenti probauimus, materia quatenùs est ex se potest ex naturâ rei absque vlla forma conseruari, & ideò affirmari nequit, indigere forma ad sui conseruationem. Et quidẽ, cum in anima rationali dari possit potentia informatiua respectu materiæ, quin hæc indigeat anima ad sui conseruationem, nescio, cur non possit in materia dari potentia receptiua formarum, quin illis indigeat ad sui conseruationem?

51 Sed age iam, admittamus, materiam ex eo esse receptiuam formarum, quia illis indiget ad sui conseruationem. Adhuc nihil probat argumentũ P. Vazq. Pro quo aduerto, materiam non indigere hac forma determinate, seu illa determinate; sed hac, vel aliâ disiunctim, ita vt quælibet ex illis seorsim sufficiat ad eius conseruationem; ea tamen ratione, vt, quãdo vnam determinate recipit materia, non amittat potentiam intrinsecam, quam habebat ad aliâ recipiendam; quia, cum hæc potentia non distinguatur ab ipsa entitate materiæ, quæ quidem perseuerat sub qualibet determinata forma, necessarium est, quod perseue-

seueret etiam potentia receptiua reliquarum. Vnde, licèt, qualibet posita forma, non maneat indigentia in materia respectu aliarũ formarum; manet tamen potentia intrinseca receptiua omnium; atque adeo, si receptio pluriũ formarum non implicet ex parte cõiunctionis earundem, nullatenũs implicabit, cũ ex parte materiæ nulla detur implicatio. Ex his facilè soluitur argumentum in forma. Distinguo maiorem: potentia receptiua formæ substantialis oritur in materia ex indigentia, quam habet huius formæ determinatæ, vel illius formæ determinatæ, nego maiorem: ex indigentia huius, vel illius vagè, seu disiunctim, admitto maiorem. Deinde, concessa minori, distinguo consequens: posita vna forma non manet materia receptiua alterius respectu agẽtis naturalis concedo: respectu agentis supernaturalis, nego consequentiam.

52 Dices: posita vna forma in materia, non potest dari indigentia in illa respectu alterius, adhuc supernaturaliter: ergo neque recepta vna forma manet potentia receptiua alterius, adhuc respectu agentis supernaturalis. Nego consequẽtiam. Disparitas est: quia prædicta indigentia materiæ nihil aliud est, quã quòd ipsa materia ex natura sua sit talis, quæ conseruari nequeat absq; vlla forma, ita tamen vt vna sufficiat ad eius conseruationem. Vnde manente natura huius materiæ, non potest fieri, quòd indigeat dupli-ci forma ad sui conseruationem: quia ex vna pârte sufficeret vna forma ad hoc, vt ex natura rei cõseruãretur, cum hæc sit eius natura, vt diximus; & ex aliâ parte nõ sufficeret vna, cùm duplici indigeret; & ita sufficeret vna, & non sufficeret vna, quod est contradictorium. Potentia verò receptiua est ipsa entitas materiæ, quæ non potest naturaliter recipere plures formas; non quia simul non sit in illâ potentia receptiua omnium formarum; sed quia ipsæ sunt incompossibiles interse ex natura rei in eodem subiecto; cum autem solus Deus possit vincere hanc incompossibilitatem fit, vt supernaturaliter tantum possint simul coniungi in eodem subiecto.

53 Rogas: qua ratione vincatur hæc incompossibilitas ab agente supernaturali? Vt respondeam, noto id, quod ex professo tracto in lib. de Gener. non alia ratione se expellere ab eodem subiecto duas formas positiue contrarias, seu incompossibiles; nisi quatenus vna exigit, vt suspendatur concursus, quo altera conseruatur, quod quidem hac ratione cõtingit. Applicetur ignis, v. g. aquæ; si talis ignis habeat maiorem virtutem ad introducendam suam formã in materia aquæ, quã causa conseruans formam ipsius aquæ ad illã conseruãndam, fiet, vt debeatur igni concursus ad introducendam suam formã in illa materia, & huic introductæ debebitur destructio formæ aquę præexistentis; quia ex vna parte hæ duæ formæ

formæ componi nequeunt ex natura rei in eodem subiecto ; & ex alia cũ maior sit virtus causæ producentis formã ignis, quàm causæ conseruanti formam aquæ, fit, vt potius sit ius formæ ignis, vt producatur in illa materia, quàm formæ aquæ, vt in illa conseruetur.

54 Hinc collige rationem, propter quam agens supernaturale possit vincere hanc incompossibilitatem, secus agens naturale: huic enim, quando fortior est virtus agentis contrarij denuo aduenientis, non debetur ex naturâ rei concursus ad vltrà conseruandam formam, quã anteà conseruabat; & ideo causa prima, sine qua non potest operari, substrahit illi concursum, quo substracto, necesse est, excludi formam ab eo subiecto: at agens supernaturale, positâ formâ denuò aduenientc cum exigentiâ destructionis præexistentis, potest non acquiescere exigentiæ eius; sed vel se ipso conseruare formam præexistentem, vel agenti naturali anteà conseruanti tribuere concursum indebitum, vt illã in posterum conseruet contra exigentiam formæ denuò aduenientis, quo fiet, vt duplex forma simul cõseruetur in eodem subiecto.

55 Ex dictis facilè soluitur argumentum adductum pro sententia recentiorum. Distinguo primam partem maioris propositionis: possibilis est materia, quæ, licèt successiuè possit recipere plures formas, implicet tamen cõtradictionem, quod illas simul recipiat, si formæ opponantur contradictoriè, concedo : si formæ non opponantur contradictorie, nego maiorem : etenim, si formæ non opponantur contradictorie inter se, ex parte materiæ nulla potest esse contradictio, quia, dũ vnam formam recipit, habet intrinsecam, & entitatiuam potentiam ad aliam recipiendã. Vnde, si agens possit vincere incompossibilitatem formarum, vt de facto potest Deus illam vincere modo iam explicato, poterit materia plures simul recipere. Cum autẽ nullam oppositionẽ contradictoriã inueniamus inter formas, quas modò noscimus, habemus fundamentum, vt dicamus, hanc materiam supernaturaliter posse plures formas simul recipere. An vero eadem forma possit simul recipi in pluribus materiebus, vel eas simul informare ? Dicemus disp. 18. sect. 2. vbi examinabimus; an idẽ effectus possit procedere a duplici causâ totali simul?

56 Rogas primò : si materia haberet duas formas simul, v. g. formam leonis, & equi, essent ne duo cõposita, vel vnum? Respondeo, in eo casu absolute loquendo fore duo composita, quia de facto, quando forma ignis introducitur in materiam, quæ antea habebat formam aquæ, absolute dicimus dari modo diuersum compositum, ac anteâ; etiamsi in isto perseueret eadẽ materia, quæ erat in præexistente, non alia de causa nisi, quia datur diuersa forma : ergo si in eadem materia essent simul diuersæ formæ, compo-

situm resultans ex materia, & vna forma esset absolute diuersum à cõposito resultante ex eadem materia, & alia forma, quia formę essent diuersę. Rogas secundò: si forma equi, & forma leonis in formarent eandẽ materam, posset ne vere dici: *Leo est equus*, & *equus est leo*? Respondeo negatiue; quia nomen *Equus* (& idem est de leone) significat totum resultans ex materia, & forma: totum autẽ resultans ex forma leonis, & materia non est idem cũ toto resultante ex eadẽ materia, & forma equi, cũ aliquid includat vnum, quod non inuenitur in alio, & ideo affirmari nequit vnum de alio.

57 Dices: quãdo albedo, & dulcedo sunt in eodẽ subiecto est verum dicere; *album est dulce*, & è contrà: ergo, quando forma leonis, & equi sunt in eadem materia erit verum dicere, *Leo est equus*, & è contra. Respondeo, hoc nomen *album* posse sumi adiectiue, & substantiue. Substantiue sumptũ significat determinate totum resultãs ex subiecto, & albedine, & hac ratione falsum esset dicere; *album est dulce* propter rationem adductam numero præcedenti. Adiectiue verò sumptũ significat in recto subiectum cõnotando albedinẽ, ita vt album idẽ significet, quod habens albedinẽ (& idẽ est de nomine *dulce*, & alijs adiectiuis) & in hoc sensu erit verũ dicere; *albũ est dulce*: quia nihil aliud significat, quam, *habens albedinẽ*, *est habens dulcedinem*: quod quidẽ verificatur de subiecto habẽte vtramque formã. Nomina vero *equus*, & *leo*, cùm sint substantiua, non possunt non sumi substantiue, & ideò semper sunt falsæ hæ prædicationes. Hìc posset etiam obijci, quod, quandò duæ naturæ substantiales habent eandem subsistentiã; vt contingit in Christo Domino, vna in cõcreto vere prædicatur de alia: est enim verum dicere: *Deus est homo*, & *homo est Deus*. Id tamen, qua ratione sit verũ, explicabitur disp. 8.

DISPVTATIO IIII.

De Priuatione.

1 VT id, quod ad exactam cognitionem principiorũ entis naturalis attinet, absoluamus, necessarium est agere de priuatione, quam disput. 1. diximus, esse principiũ generationis, vt modo fit. Potest autẽ priuatio dupliciter sumi. Primò, vt dicit realiter non esse formã, quã priuat. Secundò, vt cõsiderata, ac si esset aliquid positiuum. De illâ hoc modo sumpta satis, superque diximus in Logicâ disp. 12. sect. 2. de priuatione verò primo modo sumptâ nunc nobis agendũ est. Et quidẽ supponendũ est (id quod diximus in Logica disput. 5. n. 97) negationes, & priuationes, si propriè loquendũ sit, non esse appellandas entia negatiua, quia priuatio (& idẽ esto denegatione) in recto nihil aliud dicit, quàm carentiam, aut non esse entis: ergo quãdo dicis, *priuatio est entis negatiuũ*, est idem, ac si dicas, *priuatio est ens non ens*. Hoc autem quis non videat, esse implicationem in ipsis terminis?

2 Pri-

2 Priuatio ergo, si propiè loquendum sit, dicenda est non esse illius rei, qua priuat, vel non illa res. V.g. priuatio albedinis dicenda est non esse albedinis, seu nõ albedo, addendo subiectũ aptum eo modo, quo statim dicemus. Ex quo inferes, priuationẽ in recto nõ dicere aliquod esse, sed merũ non esse, atq; adeo priuationem sumptam pro eo, quod dicit in recto, propriè nõ habere essentiã, neq; esse talis, vel talis speciei; sed potius esse non essentiã, aut non talẽ speciem. Ex quo deducebamus in ea disp. 5. Logicæ, priuationẽ vacã nõ esse appellandã eiusdẽ, vel diuersę essentiæ, aut speciei ab aliã; quia, quod non habet essentiã, aut speciẽ, non potest esse eiusdẽ, aut diuersę essentiæ ab alio; nihilominus quia nihil possumus de priuatione asserere, nisi apprehendẽdo illã, ac si esset aliquid positiuum; loquemur de illâ, ac si reuerà haberet aliquod esse positiuũ, vt inde eius naturam, vel potius non naturam melius cognoscamus.

SECTIO I.

Quid sit priuatio?

3 ANtequã priuationis definitionẽ adducamus, oportet aliqua prælibare. Noto primò, duplicẽ dari carentiã; vnã rei ex natura sua petentis esse receptam in subiecto, vel illi vnitã; alteram rei ex natura sua petẽtis esse omnino extra subiectũ. Exemplũ huius sit carentia, seu non esse Angeli, hominis, materię primę, &c. Illius verò exẽplum sit carentia albedinis, visioni, formæ ignis, &c. Noto secundò, circa rem ex natura sua petentem subiectũ triplicem posse dari carentiã. Prima est carentia, seu non esse ipsius entitatis, albedinis v. g. Secunda est carẽtiã eductionis, perquam albedo producitur dependenter â subiecto, & in illo recipitur. Tertia est carẽtia vnionis, perquã ipsa albedo vnitur eidẽ subiecto. Hæc triplex carentia datur circa quamlibet formã, quæ neq; se ipsa vnitur; neq; se ipsa recipitur in subiecto; sed per vnionem, & receptionẽ superadditam illi. Est autẽ hoc discrimen inter has carentias, quod prima non potest dari in rerũ natura pro eo tẽpore, quo existit albedo: quia carẽtia, seu non esse entitatis albedinis est cõtradictoriũ ipsius albedinis: ergo non potest dari, quãdo datur albedo: aliàs darentur in rerũ natura duo contradictoria simul. Secũda verò, & tertia carentia possunt dari in rerũ natura, existente albedine: quia potest existere albedo, quin sit educta, aut vnita subiecto: ergo possunt cõponi cũ existentia albedinis carentia eductionis, & carentia vnionis eiusdẽ albedinis. Antecedẽs est certum: quia potest creari albedo, & conseruari sine vnione ad aliquod subiectum, vt de facto contingit in quantitate Eucharistiæ.

4 Noto tertiò: id, per quod subiectũ aliquod est carẽs formaliter aliqua forma, albedine v. g. nullatenùs esse carentiã, seu non esse ipsius albedinis; sed carentiam eductionis, & vnionis, quibus albedo reciperetur, & vniretur ipsi subie-

&o.

cto. Ratio est: quia per illud est formaliter carens albedinẽ aliquod subiectũ, per quod formaliter destruitur existẽtia albedinis in ipso subiecto: sed per carentiã eductionis, & vnionis formaliter destruitur existẽtia albedinis in subiecto: ergo, &c. Minorẽ probo: quia albedo duplici modo potest existere in subiecto vel per eductionẽ, seu passionem, quâ recipitur in illo; vel per vnionẽ, qua vnitur eidem subiecto: ergo per illud formaliter destruitur existentia albedinis in subiecto, per quod formaliter destruitur receptio, quâ recipitur; & vnio, quâ vnitur: sed sic est, quòd per carentiam eductionis, seu passionis destruitur formaliter vnio: ergo per carentiã eductionis, & vnionis destruitur existentia albedinis in subiecto. Cõfirmatur: quia etiamsi albedo sit existens in rerũ naturâ, si non sit recepta, aut vnita subiecto, reuerà dicetur subiectum carere illâ; vt, ego dicor carere albedine existente in pariete; &, materia hominis mortui dicitur carere animâ rationali existente extra illam, non aliâ de causâ, nisi quia ego neque recipio albedinẽ existentẽ in parietẽ, neq; illi sum vnitus; &, materia hominis mortui non est vnita animæ rationali: ergo per carentias eductionis, & vnionis subiectum est formaliter carens albedine, & alijs formis.

15 Notò quartò, ad hoc, vt subiectum absolutè dicatur carere albedine, non sufficere, quòd careat solùm eductione, aut solùm vnione; sed esse necessarium, quòd careat vtrâque. Ratio est: quia carere albedine est non habere albedinẽm: sed non potest absolutè dici non habere albedinem subiectum, quod non habet illam vnitam, si illam habeat receptam; aut è contra: ergo, &c. Minorem probo: quia negatio est malignantis naturæ destruens quidquid post se inuenit, & ideò dicitur distribuere terminum, quem afficit mediatè, vel immediatè: ergo ad hoc, vt subiectum dicatur non habere albedinem, necessarium est, quòd illam nullo modo habeat, videlicèt, quod neque habeat vnitam, neque receptam. Attamen, vt absolute dicatur habere albedinẽ, sufficit, quòd illam habeat per receptionem, aut per vnionem: quia in propositionibus affirmatiuis, qualis est hæc, *subiectum est habens albedinem*, terminus communis nullo signo affectus supponitur determinatè, atque adeò hæc propositio erit vera, si prædicatum conueniat subiecto ratione alicuius inferioris sub illo contenti: sub hoc autem, quod est habere albedinem continetur ille duplex modus habendi, per receptionem videlicèt, & vnionem; & ideò erit vera prædicatio quocumque ex illis modis subiectum habeat albedinem.

16 Hic animaduerto, quòd, licèt subiectum dicatur habere albedinẽ tam per receptionẽ, quàm per vnionem; nihilominùs non dicitur album, nisi quandò illam habet per vnionem: quia album non est habens vtcumquè albedinem; sed per vnionem tantùm, vt con-

2 Priuatio ergo, si propiè loquendum sit, dicenda est non esse illius rei, qua priuat, vel non illa res. V.g. priuatio albedinis dicenda est non esse albedinis, seu nõ albedo, addendo subiectũ aptum eo modo, quo statim dicemus. Ex quo inferes, priuationẽ in recto nõ dicere aliquod esse, sed merũ non esse, atq, adeo priuationem sumptam pro eo, quod dicit in recto, propriè nõ habere essentiã, neq, esse talis, vel talis speciei; sed potius esse non essentiã, aut non talẽ speciem. Ex quo deducebamus in ea disp, 5. Logicæ, priuationẽ vnã nõ esse appellandã eiusdẽ, vel diuersę essentiæ, aut speciei ab aliã, quia, quod non habet essentiã, aut speciẽ, non potest esse eiusdẽ, aut diuersę essentiæ ab alio; nihilominus quia nihil possumus depriuatione asserere, nisi apprehendẽdo illã, ac si esset aliquid positiuum; loquemur de illâ, ac si reuerà haberet aliquod esse positiuũ, vt inde eius naturam, vel potius non naturam melius cõgnoscamus.

SECTIO I.

Quid sit priuatio?

3 ANtequã priuationis definitionẽ adducamus, oportet aliqua præfibare. Noto primò, duplicẽ dari carentiã; vnã rei ex natura sua petentis esse receptam in subiecto, vel illi vnitã; alteram rei ex natura sua petẽtis esse omnino extra subiectũ. Exemplũ huius sit carentia, seu non esse Angeli, hominis, materiæ primæ, &c. Illius verò exẽplum si carentia albedinis, visioni, formæ ignis, &c. Noto secundò, circa rem ex natura sua petentem subiectũ triplicem posse dari carentiã. Prima est carentia, seu non esse ipsius entitatis, albedinis v. g. Secunda est carẽtiâ edũctionis, perquam albedo producitur dependenter à subiecto, & in illo recipitur. Tertia est carẽtia vnionis, perquã ipsa albedo vnitur eidẽ subiecto. Hæc triplex carentia datur circa quamlibet formã, quæ neq, se ipsa vnitur; neq, se ipsa recipitur in subiecto; sed per vnionem, & receptionẽ superadditam illi. Est autẽ hoc discrimen inter has carentias, quod prima non potest dari in rerũ natura pro eo tẽpore, quo existit albedo: quia carẽtia, seu non esse entitatis albedinis est cõtradictoriũ ipsius albedinis: ergo non potest dari, quãdo datur albedo: aliàs darentur in rerũ natura duo contradictoria simul. Secũda verò, & tertia carentia possunt dari in rerũ natura, existente albedine: quia potest existere albedo, quin sit educta, aut vnita subiecto: ergo possunt cõponi cũ existentia albedinis carentia eductionis, & carentia vnionis eiusdẽ albedinis. Antecedẽs est certum. quia potest creari albedo, & conseruari sine vnione ad aliquod subiectum, vt de facto contingit in quantitate Eucharistiæ.

4 Noto tertiò: id, per quod subiectũ aliquod est carẽs formaliter aliqua forma, albedine v.g. nullatenùs esse carentiã, seu non esse ipsius albedinis; sed carentiam eductionis, & vnionis, quibus albedo reciperetur, & vniretur ipsi subiecto.

cto. Ratio est: quia per illud est formaliter carens albedine aliquod subiectũ, per quod formaliter destruitur existẽtia albedinis in ipso subiecto: sed per carentiã eductionis, & vnionis formaliter destruitur existẽtia albedinis in subiecto: ergo, &c. Minorẽ probo: quia albedo duplici modo potest existere in subiecto vel per eductionẽ, seu passionem, quâ recipitur in illo; vel per vnionẽ, qua vnitur eidem subiecto: ergo per illud formaliter destruitur existentia albedinis in subiecto, per quod formaliter destruitur receptio, quâ recipitur; & vnio, qua vnitur: sed sic est, quòd per carentiam eductionis, seu passionis destruitur formaliter vnio: ergo per carentiã eductionis, & vnionis: destruitur existentia albedinis in subiecto. Cõfirmatur: quia etiamsi albedo sit existens in rerũ naturâ, si non sit recepta, aut vnita subiecto, reuerà dicetur subiectum carere illâ, vt, ego dicor carere albedine existente in pariete, &, materia hominis mortui dicitur carere animâ rationali existente extra illam, non aliâ de causâ, nisi quia ego neque recipio albedinẽ existentẽ in parietẽ, neq; illi sum vnitus, &, materia hominis mortui non est vnita animæ rationali: ergo per carentias eductionis, & vnionis subiectum est formaliter carens albedine, & alijs formis.

5 Nato quarto, ad hoc, vt subiectum absolutè dicatur carere albedine, non sufficere, quod careat sola eductione, aut solum vnione, sed esse necessarium, quod careat vtrâque. Ratio est quia carere albedine est non habere albedinem sed non potest absolutè dici non habere albedinem subiectum, quod non habet illam vnitam, si illam habeat receptam; aut è contra · ergo, &c. Minorem probo: quia negatio est malignantis naturæ destruens quidquid post se inuenit, & ideò dicitur distribuere terminum, quem afficit mediatè, vel immediatè. ergo ad hoc, vt subiectum dicatur non habere albedinem, necessarium est, quòd illam nullo modo habeat, videlicèt, quod neque habeat vnitam, neque receptam. Attamen, vt absolute dicatur habere albedinẽ, sufficit, quod illam habeat per receptionem, aut per vnionem: quia in propositionibus affirmatiuis, qualis est hæc, *subiectum est habens albedinem*, terminus communis nullo signo affectus supponit determinatè, atque adeo hæc propositio erit vera, si prædicatum conueniat subiecto ratione alicuius inferioris sub illo contenti: sub hoc autem, quod est habere albedinem continetur ille duplex modus habendi, per receptionem videlicèt, & vnionem, & ideo erit vera prædicatio quocumque ex illis modis subiectum habeat albedinem.

6 Hic animaduerto, quòd, licèt subiectum dicatur habere albedinẽ tam per receptionẽ, quàm per vnionem, nihilominùs non dicitur album, nisi quando illam habet per vnionem: quia album non est habens vtcumquè albedinem; sed per vnionem tantùm, vt con-

ſtat ex communi acceptione ſcholaſt corum, qui tunc ſolùm putant, ſub ectũ denominari album, cùm albedo illud informat: illud autem non informat per receptionem, ſed ſolùm per vnionem, vt dicemus diſput. ſequente.

7 Noto quinto, ſubiectum, quod caret formâ, a bedine v. g. poſſe eſſe in duplici differentiâ: aut enim eſt aptum ad habendam albedinem, vel ineptum. Vt, paries niger, & Angelus: vterque enim eſt carens albedine, ſed paries ita caret, vt illam poſsit habere, Angelus verò ita vt illam non poſsit habere. Vtrumque hoc ſubiectum vocat Ariſtot. priuatum forma, nam lib 5. Metap. cap. 22. text. 27. hæc habet: *Priuatio dicitur vno modo, ſi non habeat aliquid eorum, quæ apta ſunt haberi, etiamſi ipſum non ſit naturâ aptum habere, vt, planta dicitur oculis priuari alio modo, ſi cum aut ipſum, aut genus eius aptum habere ſit, non habeat: vt puta, aliter caret oculis homo viſu priuatur, & aliter talpa, hæc quidem ſecundum genus ille verò ſecundum ſe.* Et 10. Meta. text. 15. ait: *Priuatio verò quædam contradictio eſt, aut enim quod impoſsibile eſt omnino habere, aut quod, cum naturâ aptum habere ſit, non habeat priuatum eſt.* Vbi expreſſe docet Philoſophus, eſſe priuationem carentiam formæ ex naturâ ſuâ potentis eſſe in ſubiecto, ſiue talis carentia comparetur cum ſubiecto apto, vel cum ineptoad formam habendam. Negationem verò vocat Ariſt. carentiam entitatis per ſe exiſtentis ex naturâ ſuâ, vt, carentiam Angeli hominis, &c. Apud ſcholaſticos tamen vſu iam receptum eſt, vt ſola carentia formæ reſpectu ſubiecti apti ad eandem formam habendam dicatur priuatio, alia verò, quæ datur reſpectu ſubiecti ineptiad eam formam habendam dicitur negatio, ſicut carentia rei ex naturâ ſuâ petentis eſſe extra ſubiectum.

8 His poſitis ſic definitur priuatio: *Eſt carẽtia formæ in ſubiecto apto. Carentia* ponitur pro genere, in quo conuenit (liceat ita loqui) cum omnibus negationibus. Additur *formæ*, vt diſtinguatur à negationibus earum rerum, quæ non ordinantur ad componendum aliquod totum cum ſubiecto, quales ſunt negationes Angelorum, materiæ primæ, &c. Vltima particula *in ſubiecto apto* non appellat ſupra id *carentia*, ac ſi denotaret, priuationem eſſe carentiam exiſtentem in ſubiecto apto: ens enim, cum carentia non habeat eſſe, neque propriè dici poteſt in ſubiecto recipi, ſed appellat ſupra id *formæ*, ita vt ſenſus ſit priuatio eſt non eſſe formæ in ſubiecto apto, ſeu remotio formæ à ſubiecto apto: neque enim priuatio alio modo comparatur cum ſubiecto, niſi quatenùs ab illo immediatè remouet formam.

9 Ex hoc fit, per To *in ſubiecto* diſtingui priuationem à carentia entitatis formæ, quando forma diſtinguitur ab vnione, & receptione ſui: quia per hanc carentiã non dicit

dicitur subiectum formaliter carere, seu priuari forma; sed per carentias receptionis, & vnionis, vt suprà diximus. Vltimo additur *apto*, vt excludatur à ratione priuationis carentia formæ in subiecto ineptoex naturâ suâ · quæ quidem carentia iuxta communem philosophorum sensum negatio nuncupatur. Porro subiectum potest esse aptum remotè, & proximè. Remotè est aptum, quando ex naturâ suâ ordinatur ad formam tanquam ad perfectionem connaturalem. Proximè vero quando non solùm ex naturâ suâ ordinatur ad talem formam; sed etiam caret omni dispositione impediente introductionem talis formæ. Quando ergo dicitur in definitione *in subiecto apto*, intelligenda est aptitudo tam remota, quâ proxima: homo enim quando caret potentiâ visiuâ ex prauâ aliquâ dispositione, priuatus visu dicitur ab omnibus, quia quatenus ex se est, aptus est semper ad habẽdam potentiam visiuam.

10 Ex dictis colliges, priuationem duo involuere essentialiter. Primum carentiam formæ in subiecto. Secundum, subiectum ex naturâ suâ aptum ad formam habendam ita tamen, vt primum dicatur in recto, secundũ verò in obliquo. Præterea priuatio formæ distinctæ realiter à receptione, & vnione sui, duas involuit priuationes, nempè priuationẽ receptionis, & priuationẽ vnionis ipsius formæ in subiecto; quia subiectum eatenùs dicitur priuatum forma, quatenùs caret receptione, & vnione cũ illâ, vt diximus suprà · ergo ex carentia receptionis, & carẽtia vnionis coalescit priuatio. Colliges secundo, priuationẽ suscipere magis, & minus, hoc est, intendi & remitti (suo modo) quando forma, cuius est priuatio, suscipit magis, & minus · quia singulis gradibus intensionis formæ positiuæ correspondere debent singulæ priuationes, seu singuli gradus priuationis, quarum singuli sunt priuationes singulorum graduum formæ oppositæ.

SECTIO. II.

Quotuplex sit priuatio?

11 SIcut priuatio propriè loquẽdo non habet esse; sed potiùs est non esse alicuius rei, ita propriè loquendo non datur vnitas, vel multiplicitas priuationum, quia vnitas, & multitudo sunt passiones entis, sed dicitur nõ esse vnius rei, vel multarum rerum, tamen, quia vt diximus initio huius disputationis, nihil possumus asserere de illa, nisi illam apprehendendo admodum alicuius rei, loquemur de priuationibus in hac sectione, ac si haberent entitatem, qua ad inuicem distinguantur inter se. Et quidem, cum priuatio connotet formam, qua priuat, & inuoluat subiectum aptum, ex vtroque venanda est vnitas, vel distinctio ipsius priuationis.

12 Dico primò · tunc sunt distinctæ priuationes, quãdo formæ quas a subiecto remouent, sunt distinctæ. Est communis omnium sententia. Ratio est · quia priuatio

nihil aliud est, quàm nõ esse formæ in subiecto: ergo tot sunt multiplicandæ priuationes, quot formæ nõ fuerint in subiecto. Confirmatur: quia, posità vnâ forma in subiecto, potest remanere priuatio alterius distinctæ: ergo priuatio vnius formæ in hoc subiecto datur sine priuatione alterius: ergo distinguuntur inter se. Ex hoc infero, priuationes genere, specie, & numero distingui pro diuersitate generica, specifica, & numerica formarum, quas remouent a subiecto. quia, si totum esse priuationis est non esse formam in subiecto, si formæ, quas remouent a subiecto sint genere, specie, aut numerò distinctæ, necessarium erit, quod ipsę eodem modo distinguantur.

13 Hìc animaduerto, quòd quamuis priuatio formæ non sit carentia entitatis ipsius formæ; sed carentia receptionis, & vnionis illius; nihilominùs ex diuersitate generica, specifica, & numerica formarum rectè colligitur similis diuersitas in priuationibus: quia, quoties formæ vno ex prædictis modis distinguuntur, receptiones, & vniones illarum differunt eodem modo. Addo, quamlibet priuationem formæ realiter distinctæ a receptione, & vnione sui coalescere ex priuationibus essentialiter diuersis. quia coalescit ex priuationibus receptionis, & vnionis, quæ quidem, cum receptio, & vnio essentialiter distinguantur iuxta dicenda disputat. sequente, essentialiter etiam distinguentur. Maior difficultas est, quando subiecta diuersa carent vna, & eadem forma, an tunc priuationes eorum sint diuersæ? Et quidem, quando subiecta sunt numero diuersa, certum est, priuationem, qua vnum caret forma, esse numero diuersam a priuatione, qua alterum caret eadem forma. Solùm est difficultas, quãdo subiecta specie distinguuntur, an, videlicèt, priuationes, quibus ista subiecta carent eadem forma, sint diuersæ speciei.

14 Dico secundò: quando subiecta specie diuersa carent eadem forma, priuationes eorum specie distinguuntur inter se. Probatur primo. quia carentia eatenùs remouet formam à subiecto, quatenùs immediatè remouet ab illo receptionem, & vnionẽ, mediis quibus forma reciperetur, & vniretur eidem subiecto sed receptiones, & vniones, per quas vna forma reciperetur, & vniretur subiectis specie diuersis, essent inter se specie distinctæ ergo etiam priuationes harum receptionum, & vnionum distinguentur specie inter se. Consequentia patet ex dictis pro prima conclusione. Minorem probo. quia receptio, & vnio, vtpotè quæ sunt modi tam subiecti, quam formæ habent essentialem connexionem cum vtroque ergo quolibet ex illis secundùm speciẽ variato, variabitur etiã in specie vnio, & receptio, quæ versantur inter illa. ergo, &c. Idem dicendum est circa distinctionem genericam priuationum. Secundò probatur: quia priuatio includit essentialiter non

non solùm carentiam formæ; sed etiam subiectum aptum ex naturâ suâ, vt diximus in fine sectionis præcedentis, etiamsi hoc secundum in obliquo tantùm includat: ergo, si subiectum vnum sit specie diuersum ab alio, aliquid includet vna priuatio specie distinctum ab eo, quod includit alia: ergo specie distinguentur tales priuationes: vt enim ita distinguantur, sufficit, quod aliqua ex his, quæ essentialiter includunt, specie dissideãt inter se.

15 Ex his colligo, priuationẽ, & negationem, etiam si comparentur cum eadem formâ, esse essentialiter distinctas: quia priuatio remouet formam a subiecto apto ex naturâ suâ, negatio vero à subiecto inepto ex naturâ suâ, subiectũ autem ex naturâ suâ aptũ essentialiter distinguitur a subiecto inepto ex naturâ suâ, vt per se patet: ergo essentialiter etiã distinguentur negatio, & priuatio, vt constat ex rationibus adductis pro secundâ cõclusione. Rogas: si detur aliquod subiectũ ex naturâ suâ ineptum ad habendam formã pro vno tempore, & pro alio aptum ex naturâ suâ ad eandem habendã, erit ne distincta species carẽtia formæ pro vno tẽpore a carentiâ eiusdem formæ pro alio? Pro respõsione pono primo, catulũ canis ex communi multorum opinione esse talem, qui ex natu a sua fit incapax videndi per primos octo, aut nouem dies post ortum quia vel per illos dies petit carere dispositione requisita ad potentiam visiuam, vel habere aliam dispositionẽ oppositam. Post illos vero dies ex natura sua est aptus ad videndũ, quia iam deberet illi dispositio requisita ad potẽtiã visiuã, & destructio cuiuslibet dispositionis oppositæ. Vnde in illis primis diebus dicitur negatus visu; post illos verò, si non daretur illi potentia visiua, esset priuatus visu.

16 Pono secundò, quod, si potentia visiua vniretur catulo (ad, quod hìc dicimus de vnione, intelligendum etiã est de receptione) in primis octo diebus, vniretur quidem per vnionẽ eiusdẽ speciei cũ illa, per quã vnitur post primos octo dies. Ratio est, quia vnio specificatur ab extremis, quæ vnit: sed eadẽ in specie extrema vnirentur in primis octo diebus, ac post illos, quia tunc vniretur potẽtia visiua catuli cum tota substantia, vel saltẽ cum materia ipsius catuli iuxta dicẽda in lib. de Ani. quæ quidẽ post primos dies sunt eadem, ac in primis illis diebus: ergo vnio esset eiusdẽ speciei, imo esse posset eadem numero in vtroque tempore, vt per se constat. Hoc solùm esset discrimen, quod primis octo diebus daretur in catulo supra exigentiam eius, & ideo, licèt esset naturalis quo ad substantiã, esset supernaturalis quó ad modũ, post illos vero dies daretur iuxta exigentiã catuli, & ideo esset naturalis non solum quo ad substantiam; sed etiã quo ad modum.

17 Ex his respondeo, carentiã visus in catulo fore eiusdem speciei in vtroque tẽpore. Ratio est; quia non est, vnde sumatur distinctio

ctio specifica carentiæ, nisi ex subiecto, à quo remouet formã, & ex ipsa forma remota sed in vtroque tempore eric eiusdẽ speciei subiectum, & forma ergo & carentia. imo & posset esse eadem num ro carentia, cum potẽtia visiua posset vnius catulo eâdẽ numero vnione in vtroque tempore.

18 Dices carentia potentiæ visiuæ includit carentiam vnionis, & receptionis ipsius potentiæ visiuæ sed receptio, quâ in primis diebus reciperetur potentia visiua in catulo, esset specie diuersa à receptione, quâ reciperetur sequentibus diebus ergo & carẽtia illius. Minor probatur: quia receptio habet connexionẽ essentialẽ cũ agente, à quo subiectũ recipit formam, vt dicemus lib. 3 sed agens potentiæ visiuæ catuli in primis octo diebus esset Deus, vt causa supernaturalis, cũ nullũ agens naturale possit illã producere in catulo pro illo tempore. post illos vero dies ipsa forma catuli produceret potentiã visiuam, quia ad hanc pertinet producere suas potẽtias vitales: ergo receptio esset specie diuersa. Respondeo, de potẽtia Dei posse fieri, quod anima catuli producat potentiã visiuã in primis diebus per eandẽ actionẽ, per quã ipsam produceret illis diebus transactis. Solũ esset hoc discrimẽ, quod in primis diebus determinaretur forma catuli ad illã actionẽ supra exigentiam ipsius, & ideo esset supernaturalis quoad modũ, post autem verò tẽpus determinaretur ad eandem actionẽ iuxta propriã exigẽtiam, & ideò actio iam esset illi naturalis etiam quoad modum. Qua ratione hæc fiant explicabitur ex professo lib. 2.

19 Ex hoc infertes, eandẽ numero carentiã posse induere rationẽ priuationis, & rationẽ negationis pro diuersis temporibus, suppositâ sententiâ, quam adstruximus circa catulum. Cum quo bene stat, quod priuatio, & negatio vt tales semper distinguantur in specie: quia negatio dicit essentialiter carentiã formę in subiecto inepto prout tali: sed subiectũ ineptũ prout tale inuolut aliquid essentialiter distinctum ab eo, quod inuoluit subiectũ aptum: ergo, &c. Minorẽ probo: quia subiectũ ineptũ prout tale inuolut ex naturâ suâ dispositionẽ ex natura rei incompossibilẽ cum formâ, vel saltẽ carentiã dispositionis requisitæ ad formã: at vero subiectum aptum prout tale neque inuoluit dispositionem, neque carentiam dispositionis requisitæ ad formam: ergo, &c.

SECTIO. III.

An forma, & eius priuatio opponantur immediatè?

20 NOnnulli docent, formã, & eius priuationẽ non opponi immediatè, sed inter eas mediare priuationẽ priuationis. Ex: gr. inter cæcitatem, & visum dicunt, mediare priuationẽ cæcitatis. Probãt: quia ea, quæ opponũtur immediatè, opponuntur cõtradictoriè: sed cæcitas, & visus non opponũtur contradictoriè ergo nõ opponuntur immediatè. Minor probatur: quia eorum, quæ contradicto-

rè

riè opponuntur, alterum necessario debet verificari de quâlibet re; etenim duo contradictoria, neq; possunt esse simul vera, neque simul falsa (sed neque cęcitas, neq; visus verificantur de Angelo, Angelus enim nec cæcus est, nec videns: ergo non sunt contradictoria.

21 Cæterum hæc ratio, si alicuius est momenti, probat quidē, priuationē cæcitatis non opponi immediatè excitati, & ideo esset assignanda alia priuatio inter excitatē, & eius priuationē, & sic in infinitū. Assumptū probo: ideo per te cæcitas nō opponitur immediatè visui, quia potest dari aliquid, quod neque sit cæcū, neq; videns, Angelus, v. g. sed etiā potest dari aliquid, quod neque sit cæcū, neq; priuatū cæcitate ergo cæcitas, & eius priuatio non opponuntur immediatè. Minorē probo: quia Angelus non est cæcus, vt concedis, deinde non est priuatus cæcitate, quia priuatio est carētia formæ in subiecto apto ad habendam ipsam formā, & Angelus nō est aptus ad habendā cæcitatē: ergo neque est cæcus, neq; priuatus cæcitate. ergo debet dari alia priuatio, quæ immediatè opponatur priuationi cæcitatis, & alia, quæ immediatè opponatur huic, & sic in infinitū.

22 Dico primo quæcunque carentia opponitur immediatè rei, cuius est carentia. Est cōmunis sententia nōstrorū Doctorū & aliorū plurium. Probatur: quia carentia entis est non esse entis: ergo carentia entis opponitur immediatè enti. Patet consequentia, quia nihil potest immediatius opponi alicui rei, quā non esse talis rei. Si ergo carentia entis immediatè opponitur ipsi enti: ergo & ens immediatè opponitur suæ carētiæ, quia, si nihil mediat inter carētiā entis, & ens, necessarium est, quod nihil mediet inter ens, & eius carentiā. Ex hoc infertur, carentiam vnionis (& idem esto de carentia receptionis) per quam forma vnitur subiecto, opponi immediatè cum eadem vnione, & è contra: quia si carentia entis immediatè opponitur cū ipso ente, & è cōtrà, necessariū erit, quod carētia talis entis, vnionis videlicet, immediatè opponatur cum ipsā vnione, & è contrà.

23 Dico secundo priuatio formæ immediatè opponitur ipsi formæ vt existenti in subiecto apto. Ratio est: quia priuatio formæ est carētia formæ in subiecto apto: sed carētia formæ in subiecto apto opponitur immediatè cū eâdē formā prout existētē in subiecto apto. ergo & priuatio. Minor probatur: quia carētia formæ in subiecto apto est carētia receptionis, & vnionis formæ cū ipso subiecto, vt diximus sect. 1. sed carētia receptionis & vnionis formæ cū subiecto apto opponitur immediatè cū ipsâ receptione, & vnione ergo & cū ipsâ formâ prout existente in subiecto apto. Cōfirmatur primo quia forma tolli nō potest adhuc de potentia Dei à subiecto apto, nisi per priuationē, neque priuatio nisi per formam ergo immediatè opponūtur respectu subiecti apti. Confirmatur secundo: quia nō potest non

verificari de subiecto apto priuatio formæ, seu ipsa forma: ergo se habent vt contradictoria respectu illius: quia ea, quorũ vnũ, vel alterum verificari debet de aliquo subiecto, sunt cõtradictoria: ergo immediatè opponuntur, quia oppositio contradictoria est immediata oppositio.

24 Ex hoc infero, quòd, licèt priuatio duo includat, nempe carentiã formæ in subiecto apto, & ipsum subiectũ aptũ, nihilominùs non opponitur cõtradictorie cum forma prout in subiecto, ratione ipsius subiecti apti; sed tãtùm ratione carentiæ. Hinc facilè soluitur argumentũ aduersariorũ adductũ initio huius sectionis. Distinguo minorẽ primi syllogismi: cæcitas, & visus non opponuntur cõtradictoriè ratione subiecti apti, quod inuoluitur in cæcitate, cõcedo minorẽ: ratione carentiæ, quàm dicit cæcitas, nego minorem; & deinde nego consequentiã. Ad probationem minoris distinguo maiorem: eorũ, quæ cõtradictoriè opponuntur, alterũ necessario debet verificari de qualibet re secundùm eam rationẽ, secundũ quã opponuntur cõtradictoriè, admitto maiorẽ: secundũ aliã rationẽ, nego maiorẽ. Deinde distinguo minorẽ: cæcitas nõ verificatur de Angelo secundũ totũ, quod includit, cõcedo minorem: secundùm eam rationẽ, secundùm quã opponitur cõtradictoriè cum visu, nego minorẽ. licèt enim Angelus dici non possit cæcus, eo quod nõ habeat aptitudinẽ ad potentiã visiuã, nihilominùs dicitur carens ea receptione, & vnione, per quã potẽtia visiua vniretur, & reciperetur in subiecto apto. Cum autẽ talis careti id, ratione cuius cæcitas opponitur cõtradictoriè cũ potẽtia visiua in subiecto apto, fit vt de Angelo verificetur cæcitas sub ea ratione, sub quâ cõtradictoriè opponitur cum potentia visiua.

DISPVTATIO. V.

De Vnione inter materiam, & formam substantialem.

1 VNionis nomine, omissis aliis significationibus à præsenti instituto alienis, significamus hìc nexum quendã interuenientẽ inter materiã, & formã substantialẽ ad constituendũ totũ substantiale. Etenim cũ ipsæ inter se se mutuo distinguantur, & dentur nonnunquã separatæ, necessariũ est ad hoc, vt vnũ cõpositũ cõstituant, quod inter se cõnectantur: neque enim ex pluribus interse distinctis vnũ potest resultare cõpositũ, si nexum aliquem non admittant, quo colligata in vnũ coeant. Hunc nexum appellarunt philosophi vnionem, eiusq; naturã inuestigat hæc disputatio: quia, licèt nõ sit principiũ entis naturalis; est tamen id, sine quo principia neutiquã ens naturale constituunt. Et quidẽ dari talẽ vnionẽ nullus est, qui dubitet: cõstat enim experientia, animã rationalẽ, dum hominem constituit, corpori copulari per aliquẽ nexũ,

qui

qui per mortem dissoluitur in diē communis resurrectionis restituendus.

SECTIO. I.

An vnio distinguatur realiter à materia, & forma?

2 DVplicitèr possunt res aliquæ realiter interse distingui. Primò, ita vt ad inuicem vnū possit esse in rerum naturâ sine alio, saltem supernaturaliter. Hâc ratione distinguuntur Petrus, & Ioannes, quia Petrus potest existere sine Ioanne, & è contrà; ita etiam distinguuntur materia, & forma substātialis, quia, licèt hæc naturaliter, si materialis sit, nō possit existere sine materiâ; potest tamen supernaturaliter, quia, si quātitas, cum sit accidens, potest existere in Eucharistia sine subiecto, non est, cur forma substantialis adhùc materialis non possit esse supernaturaliter sine materiâ. Secundo, possunt aliqua realiter inter se ita distingui, vt vnum possit existere sine alio; alterum verò nō possit existere sine primo adhuc de potentia Dei absolutâ. Hâc ratione distinguuntur modus, & res, cuius est modus; vt, sedens, & sessio; agēs, & actio, &c. homo enim, qui sedet, potest existere sine sessione, &, illud, quod agit, potest existere sine actione: sessio vero non potest existere sine illo, qui sedet; neque actio sine illo, quod agit. Prima distinctio dicitur absolutè realis, quia versatur inter entitates, quæ a philosophis res nuncupantur. Secunda verò dicitur modalis, quia versatur inter entitates, quarum vna est modus alterius.

3 Ratio discriminis inter hos duos modos distinctionis sumitur ex eo, quod inter entitates, quæ dantur ante operationem intellectus, nonnullæ sunt, quarum essentia non consistit in actuali exercitio alicuius potentiæ; sed in potētiâ alicuius muneris obeundi. Talis est materia prima, cuius essentia non cōsistit in actuali compositione totius, sed in potentiâ, & aptitudine componendi: talis est etiam anima rationalis, & calor, essentia enim huius non est exercitium calefaciendi, sed virtus calefactiua, seu productiua caloris: &, essentia illius non est constituere actu hominem; sed aptitudo ad illum constituendum. Aliæ entitates sunt, quarum essentia consistit in actuali exercitio alicuius potētiæ: nam, cum virtus causatiua caloris, v.gr. ex suâ essentiâ possit dari sine actuali calefactione, necessarium est, quòd illi addatur aliqua entitas, per quam constituatur actu calefaciens: vel ergo illa entitas ipsi calori addita ex suâ essentiâ est actualis calefactio, vel nō. Si primum: ergo essentia illius entitatis consistit in actuali exercitio potentiæ calefactiuæ. Si secūdum, ergo potentia calefactiua non constituitur actu calefaciens per illam entitatem, atque adeo necessarium erit addere aliam, & aliam, donec accedat aliqua, per quam virtus illa calefactiua cōstituitur

tuatur actu calefaciés, huius ergo essentiam dico, cõsistere in actuali exercitio potentiæ calefactiuæ.

4 Hinc recte infertur, non posse dari talem entitatem in rerum naturâ sine potentiâ calefactiua: quia, si essentia eius consistit in actuali exercitio potentiæ calefactiuæ: ergo non potest dari in rerum naturâ, quin sit actuale exercitium potentiæ calefactiuæ; cum nulla res dari possit sine suâ essentia: sed actuale exercitium potentiæ calefactiuæ, non potest esse in rerum naturâ sine ipsâ potentiâ calefactiua; quâ enim ratione dabitur actuale exercitium potentiæ calefactiuæ, quin ipsa potentia actu exerceatur? Hæc autem exerceri non potest actu, quin actu sit, quia *quod non est, quo modo* exerceri poterit, aut causare? ergo, &c. Has entitates quarum essentia consistit in actuali exercitio, vocarunt philosophi modos. Quæstio igitur est in præsenti; an vnio distinguatur realiter à materiâ, & formâ? &, si realiter, an tanquàm res â re; vel potiùs tanquàm modus à re?

5 Prima sententia asserit, vnionem, non esse realiter, aut ex naturâ rei distinctam ab vtrâque parte, materiâ scilicet, & formâ, sed esse idem realiter cum illis. Pro hâc adducitur Scotus in 2. dist. 12. quæst. 1. §. *Quando ergo quæritur.* Caiet. 1. part. quæst. 66. art. 1. § *In responsione.* Soncin. 8. Metap. quæst. 28. P. Valent. 3. part. quæst. 2. punct. 5. PP. Conimb. 1. Physic. capit. 9. quæst. 11. art. 2. §. *Siquis vero.* Hi tamen PP. solum videntur negare aliquid interiectum inter materiam, & formam, quod habeat rationem quandam corporis subtilioris, quàm est materia; vel, solũ negant vnionem, quæ mediet inter materiam, & formam, sicut punctum mediat inter partes lineæ, occupando videlicet diuersum locum ab vtraque parte; & fortasse aliquâ ex his rationibus possunt explicari reliqui authores. Adducitur etiam pro hac sententia D. Tho. 2. contra Gentes cap. 71.

Prima conclusio veræ sententiæ.

6 DIco primò: vnio cõnectens materiam, & formam est entitas realiter distincta ab vtraque. Ita P. Vazq. tom. 1. in 3. part. disput. 19. num. 23. & disp. 18. capit. 2. P. Soar. in Meta. disp. 15. sect. 6. præsertim num. 10. & tom. 1. in 3. part. disput. 8. sect. 3. concl. 3. & videtur expresse tradi à S. Thoma ibi quæst. 2. art. 7. loquente de vnione hypostatica. P. Hurt. in Physica disput. 5. sect. 1. num. 5. & alij plures. Probatur conclusio. quia materia, & forma possent actu existere, quin sint vnitæ: ergo vnio distinguitur realiter ab illis. Consequentia est certa: quia nullum est certius signum distinctionis realis inter duas entitates, quam realis separatio illarum, quandoquidem nihil potest realiter à seipso separari. Antecedens vero pro-

probatur p' nó in animo rationali, qui post mortem hominis perseuerat separatus à materia, & materia perseuerat etiam separata ab animo, & non sunt vnitæ interse ergo vtraque par manet sine vnione. Secundo probatur in forma equi, & alijs materialibus, quæ, licèt conseruari naturaliter nequeant â materiâ separatæ, possunt tamen supernaturaliter, vt admittunt authores oppositæ sententiæ, in quo casu existerent materia, & forma materialis sine vnione. Deinde, defacto contingit, in sentia Thomistarum (qui oppositæ sententiæ adstipulãtur) animam equi, v.g. dari separatam â materia, cum qua potest cõponere equum: quia cum in sententia horum authorum anima equi sit indiuisibilis, vt videbimus in lib. de Anim. eadem anima equi, quæ antea erat separata â materia alimenti, vnitur postea illi, dum equus augetur per nutritionem: ergo vnio huius formæ cum illa materia non est sola entitas materiæ, & formæ: alioqui non possent esse hæc forma, & illa materia in rerum naturâ, quin esset vnio illarum, ac per consequens neque existere possent, quin essent vnitæ quia, vt dicemus conclusione secunda, de essentia vnionis est actu vnire extrema.

Responsio aliquorum.

7 Mirum est, in quot distracti tuerint sententias aduersarij, vt hoc argumentum eludant. Dicũt aliqui, ad hoc, vt forma, & materia vniãtur, requiri extrinsecam voluntatem Dei decernentis, vt interse copulentur. Bene. Ergo iam vnio aliquid inuoluit præter materiam, & formam. inuoluit enim voluntatem extrinsecam Dei, sine qua non dantur extrema vnita, atque adeo iam vnio distinguetur a materia, & forma. Impugnatur tamen horum responsio quia vel materia, & forma copulantur seipsis, hoc est, immediatè per suas entitates, vel non. Si hoc vltimum: ergo non potest Deus efficaciter velle, quod copulentur, quin illis addat aliquam entitatem, per quam formaliter copulentur, & enim, me non existente calido, non potest Deus efficaciter velle, me esse calidum, quin mihi tribuat formam, per quam calidus efficiar: ergo, existentibus materia, & forma non copulatis, non potest Deus efficaciter velle, eas copulari, quin ipsis addat formam, per quam formaliter copulentur sed hæc forma non potest esse ipsa voluntas, seu volitio Dei: quia, cũ hæc feratur efficaciter in copulationẽ, necessariũ est, quod copulatio distinguatur ab illa, siquidem ea non fertur efficaciter in se ipsam: deinde, quis dicere audebit, voluntatem, seu volitionẽ Dei esse formã, qua materia, & forma intrinsecè copulantur? ergo debet esse aliquid à Deo productũ, per quod forma iter copulẽtur materia, & forma ab ipsis realiter distinctũ. Si verò dicas materiã, & formã seipsis copulari, sequitur, quòd, positis illis in rerũ natura, nõ sit necessaria vlla

volun

voluntas Dei ad hoc, vt copulentur, sicut, posito homine in rerum naturâ, noua voluntas Dei non est necessaria ad hoc, vt sit animal rationale: imò non poterunt esse in rerum naturâ, quin sint copulatæ, sicut non potest esse homo in rerum naturâ, quin sit animal rationale.

Aliorum solutio.

8 ALij docent, vnionem non esse ipsam materiam, & formam vtcunque sumptas; sed esse formam in materiâ prout in materiâ tanquam actum in suâ potentiâ. Sed contrà: vel hoc, quod est, esse formam in materia tanquam actum in sua potentia, est aliquid distinctum realiter ab entitatibus materiæ, & formæ; vel non. Si non est distinctum: ergo non possunt existere materia, & forma, quin forma sit in materia tanquã actus in sua potentia, ac per consequens nó poterunt existere, quin sint vnitæ. Si vero est aliquid distinctum ab entitatibus materiæ, & formæ: ergo vnio distinguitur realiter â materia, & forma.

9 Dices, tunc esse formam in materia tanquam actum in sua potentia, quando materia est vltimo dispositâ ad formam; & forma est intimè penetrata cum materia disposita. Sed contrà primò, ergo iam vnio distinguitur realiter à materia, & forma. Probo consequentiam; per te formam esse vnitam nihil aliud est, quàm esse formam in materiâ tanquam actum in sua potentia: sed esse formam in materia tanquam actum in sua potentia supra entitates materiæ, & formæ addit per te dispositiones in materia, & intimam præsentiam vtriusque: ergo esse formam, & materiã vnitas aliquid includit præter materiam, & formam: ergo vnio distinguitur realiter ab illis.

10 Contra secũdo: dispositiones, & intima præsentia materiæ, & formæ non possunt habere rationem vnionis actualis: ergo nulla est tua responsio. Probo antecedens, & primò de dispositionibus: quia vnio, vt dicam in secunda cõclusione, non potest dari in rerum natura, quin actualiter vniat extrema: sed dantur dispositiones, quin vniant materiam, & formam: ergo non habent rationem vnionis respectu illarum. Minor probatur in venerabili Eucharistiæ sacramento, vbi, prolatis verbis consecrationis, manent omnia accidentia panis, & vini, quæ erant dispositiones ad hoc, vt formæ panis, & vini vnirentur suis materiebus: & tamẽ non manent vnitæ cũ materia: ergo dantur dispositiones, quin vniant materiam, & formam. Idem probatur de præsentia intima materiæ, & formæ, qui effectus formalis præsentiæ non est facere vnum, vel vnitum; sed facere distans, & indistans. Deinde sequeretur, Christum Dominum non esse eundem in specie in cœlo, ac in Eucharistia: quia in Eucharistia materia Christi Domini habet præsentiam definitiuam, quæ est specie distincta à præsentia circumscriptiua, quã habet in cœlo: ergo

cum

cum intima præsentia materiæ, & formæ pertineat ad vnionem illarum, & vnio ad essentiam totius compositi, necessarium erit, quod Christus essentialiter includat in Eucharistia aliquid specie distinctum ab eo quod essentialiter includit in cœlo. Hæc autem quis non rideat?

11 Secundo probatur, dispositiones simul cum intimâ præsentiâ materiæ, & formæ non pertinere ad vnionem illarum. Pro quo suppono primo, vnionem materiæ, & formæ substantialis esse de intrinsecâ, & essentiali ratione totius substantialis ex illis resultantis. Id aperte constat in homine, qui dissolutâ vnione inter corpus, & animam rationalem perit, etiamsi perseueret corpus, & anima: ergo de ratione intrinsecâ, & essentiali hominis non solùm est corpus, & anima, sed etiam vnio illarum.

12 Suppono secundo, totum illud: quod est de intrinseca, & essentiali ratione totius substantialis, debere esse quid substantiale. Ratio est: quia, quæ sunt de intrinsecâ, & essentiali ratione totius substantialis, seu, quod idem est substantiæ completæ, pertinet ad primarium conceptum substãtiæ: atqui accidentia non sunt de primario conceptu substantiæ, sed de secũdario, & propterea appellantur entis entia, hoc est, affectiones eius quod absolute dicitur ens, quod quidem in sententiâ Arist. & omnium philosophorum est substantia. ergo ea omnia, quæ sunt de intrinsecâ, & essentiali ratione substantiæ cõpletę, non possunt esse accidentia: ergo debent esse substantiæ seu quid substãtiale, quia non datur medium.

13 Ex his sic argumẽtor. quid quid est de essentiâ totius substantialis, debet esse quid substantiale. sed intima præsentia materiæ, & formæ, & dispositiones non sunt quid substantiale: ergo non possunt pertinere ad essentiam totius substantialis: ergo, cum vnio ad illam pertineat, distinguatur necesse est à præsentia, & dispositionibus. Minor admittitur ab omnibus, & est certa. quia dispositiones nihil aliud sunt, nisi quãtitas, & temperamentum primarũ qualitatum, quæ quidem certum est, esse accidentia. Deinde præsentia pertinet ad prædicamentum *vbi* quod est vnum ex prædicamẽtis accidentium: ergo, &c.

14 Nonnullos recẽtiores audiui, qui huic argumento, respondebant, vnionem nõ esse de cõceptu essentiali substantiæ completæ; sed esse connotatum extrinsecum illius ad eam pertinens in obliquo, atque adeo non esse contra rationem substantiæ completæ, quod vnio sit accidentalis. Sed contrà. vnio est quid extrinsecum substantiæ completæ: ergo tota essentia substantiæ completæ saluatur sine vnione in solâ materiâ, & formâ ergo dissolutâ vnione in homine manet totum esse ipsius hominis, quãdoquidem manet corpus & anima rationalis. Ex quo sequitur, quòd, mortuo homine, per-

seue-

seueret ipse homo·quia homo nihil aliud est, quam totum suum esse, & hoc perseuerat per te.

Præluditur aliorum figmenta.

15 ALij aliam viam iniere, vt indistinctionem vnionis â materiâ, & formâ tuerentur. Dicunt enim, materiam, & formã secundum suas entitates esse vniõnẽ in ratione entis, seu in essendo; non tamẽ in denominãdo· Est dicere; entitatẽ vnionis nihil aliud esse, quàm entitatẽ materiæ, & formæ; tamen, vt denominentur vnitæ, necessarium esse, quòd ponatur aliquid ab eis distinctũ, quod quidem licèt non pertineat ad rationem formalem vnionis, requiritur tamen tanquam cõnotatũ extrinsecũ, vt materia, & forma denominentur vnitæ: hoc autẽ extrinsecum connotatum dicunt esse dispositiones. Hæc sententia sustineri nequit·quia, si materia, & forma, per suas entitates, etiam si nõ dentur dispositiones, sunt vniõ in ratione entis, seu in essendo· ergo si dantur materia, & forma sine dispositionibus, reuerã erunt vnitæ in ratione entis, seu in essendo. Patet consequentia: quia nihil aliud est dari partes vnitas in ratione entis, seu in essendo, quam dari esse seu entitates partium, & vnionis: sed sine dispositionibus dantur entitates partium, & vnionis, vt contingit in homine mortuo·ergo sine dispositionibus dantur vnitæ in ratione entis, seu in essendo.

16 Ex hoc infero: ergo ante dispositiones vere denominantur vnitæ. Patet consequentia: quia id, per quod formaliter denominantur vnitæ materia, & forma, vel est aliquid realiter distinctum ab entitate vnionis, vel non? Si hoc vltimum: ergo, eo ipso quod datur vnio quoad ad entitatẽ, datur etiam quoad denominationẽ. Si primum: ergo iam id, per quod partes denominantur formaliter vnitæ, est realiter distinctum ab ipsis partibus: ergo & vnio est ab illis realiter distincta. Est certum: quia partes non denominantur formaliter vnitæ nisi ab vnione, sicut nec subiectum denominatur formaliter album, nisi ab albedine·ergo, si id, per quod partes denominantur formaliter vnitæ, realiter ab illis distinguitur, etiam vnio distinguetur realiter ab ipsis.

17 Et quidem vellem à te audire, quid sit partes denominari vnitas? Vel enim est, quod intellectus vere ita eas appellet: vel quod exparte illarum detur fundamentum, vt intellectus tale nomen illis imponat. Si primum; eo ipso quod dentur partes, & vnio in ratione entis, etiamsi deficiant dispositiones, vere illas appellabit intellectus vnitas·quia tunc nomen impositum ab intellectu est verum, quando rem significat vt est in se: sed eo ipso quod dentur partes, & vnio, sunt in se vnitæ: ergo vere significantur hoc nomine. Si vero dicas secundum, nullum aliud fundamentum requi-

requirit intellectus ad hoc, vt vere illas nominet vnitas; nisi quis ipse reuerà dicatur vnitas essendo, hoc enim posito vere significabuntur hoc nomine: sed per te, etiam in non denotatur dispositiones, dantur partes vnitæ in essendo: ergo datur fundamentum vt intellectus illas vere nominet: ergo dantur vnitæ in denominando.

18 Dicunt, actum voluntatis Dei esse idem in ratione entis cum ipso Deo, & nihilominus nõ denominare illum volentem nisi ponatur aliquid extrinsecum: cur ergo in creatis idem dici non poterit de vnione? Quidquid sit de actu volũtatis diuinæ, de quo agitur in materia de voluntate. Certe ex his, quæ propter summi Dei perfectionem cogimur in illo admittere, non recte deducitur argumentũ ad creata, quæ imperfectionibus scatent: alioquin etiam possemus ex Mysterio Sanctissimæ Trinitatis deducere, dari posse in creatis Trinitatem personarum in vna essentia, quod quis audeat asserere?

19 Obijcies primò. Athanasius in suo symbolo ait *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, &c.* ergo sentit, hominem nihil aliud includere præter materiã & formam. Respondetur, Athanasium per hæc verba non excludere vnionem; sed solũm intẽdere enumerare partes, ex quarum vnione resultat homo, & has vnitas dicit esse hominem, sicut quando addit; *ita Deus, & homo vnus est Christus*, non excludit à Christo vnionem hypostaticã, hanc enim certum est fuisse interiectam inter verbum, & humanitatem; sed enumerat extrema, quæ copulata per vnionem hypostaticã constituunt Christum Dominum.

20 Obijcies secundò: materia, & forma vniuntur immediatè ad constituendum totum: ergo non intercedit vnio realiter distincta ab illis. Cõcedo antecedens, & nego consequentiã: quia quando materia, & forma dicuntur immediatè vniri non excluditur vnio interiecta inter illas, quæ tanquàm nexus vtriusque illas nectit, sed excluditur aliqua pars media inter materiam, & formã, cui immediatè vniantur, & mediâ vnione ad illam dicantur inter se vnita: sicut quando dicimus, calorem esse immediatam causam alterius caloris non intendimus excludere actionem mediã inter calorem producentem, & productũ; sed solùm causam aliquam mediã, quæ immediate causata ab vno calore causet immediate alium.

Secunda conclusio.

21 Dico secundò: vnio distinguitur a materia, & forma tanquã modus illarũ. Pro hâc conclusione stant autores citati pro 1. Probatur, quia essentia modi cõsistit in actuali exercitio alicuius potentiæ, vt diximus initio huius sectionis: sed essentia vnionis est actu vnire extrema vnibilia: ergo est modus. Probatur minor: quia, si vnio per suã entitatem non actu necte-

necteret extrema, deberet illi addi aliquid, per quod vniret. De hoc inquiro, an vniat per suam entitatẽ, aut per aliud? Si per aliud, idem inquiram de illo, & sic abeũdum erit in infinitum. Si vero vnit per suam entitatẽ erit vnio, & alia antecedens superfluet. Addo, hanc vnionem esse modũ substantialem, vt constat ex supradictis. Vnio vero, quæ versatur inter substantiam, & accidens, erit accidentalis, quia hæc est extra primarium conceptum substantiæ iuxta dicta, vbi suprâ.

SECTIO. II.

An vnio, quæ est inter materiam, & formam materialem distinguatur realiter à passione.

22 DIximus sectione præcedẽti, vnionem esse entitatem modalem ex naturâ rei distinctam à materiâ, & formâ. Modò inuestigandum, an distinguatur a passione? Pro quo in memoriam reuoca id, quod diximus disp. 3. sect. 3 videlicet formas substãtiales materiales produci per actionem dependentem à materia tanquam à subiecto illas recipiente, quæ quidem productio, prout se habet ex parte materiæ, dicitur receptio, & passio. De hac ergo passione, media qua materia recipit formã materialem, procedit quæstio præsens, an videlicet sit vnio; media qua totum resultat ex materia, & forma? Et quidem in homine certum est, vnionem non esse passionem, qua materia recipiat animũ rationalem: materia enim nullam passionem exercet circa animum rationalem; quandoquidẽ is independenter a materia producitur. Solum est quæstio de forma materiali.

23 Nonnulli recentiores Magistri ex nostris censuere, vnionem interuenientem inter materiam, & formam materialem esse idem realiter cum passione, per quã materia recipit eandem formam. Probant: quia per illud vnitur forma materiæ, per quod constituitur in materia: sed per passionem constituitur in materia: ergo per passionem vnitur. Maior videtur certa. Minor probatur: quia per illud cõstituitur in materia, per quod recipitur in illa; sed per passionẽ recipitur in materia: ergo per passionẽ constituitur in illa. Cõfirmant: quia per passionem forma actuat materiam: ergo per illam vnitur materiæ. Antecedens est certum: quia forma per receptionem reducit ad actum potentiam receptiuã materiæ. Consequentia probatur quia per id vnitur forma materiæ, per quod informat materiam, vnio enim, prout se habet ex parte formæ, est informatio, vt dicemus infra: deinde per illud forma informat materiam, per quod actuat ipsam materiam, vt patet. Ergo, cum forma actuet materiam per passionem, per eandem illi vnitur.

24 Vera sententia est, vnionẽ esse entitatem ex natura rei distinctã a passione. Ita authores citati pro 1. conclusione sectionis præ

præcedentis Vide P. Hurtad. in præsentem disputat. 5. sect. 2. Probatur quia passio, cui forma materialis recipitur in materia, non est vnio: sic enim forma cum materia quæreretur passio, neque vt talis passio: ergo nullo modo. Consequentia est bona apud aduersarios. Antecedens probo quoad primam partem: quia, si receptio formæ materialis esset vnio, quatenus est passio præcisè, omne illud, quod participaret rationem formalem passionis, esset forma aliter vnio: sed passio, per quam vnio hominis recipitur in materia, non est formaliter vnio: ergo, &c. Minorem probo: quia vnio hominis recipitur in materia per passionem ab ipsa distinctam, & tamen non vnitur per aliquid à se distinctum, sed se ipsa: sicut enim actio non oritur ab agente per actionem superadditam, neque passio recipitur per passionem superadditam, sed per se ipsas ita etiam vnio non potest vniri per vnionem superadditã, sed se ipsa ergo neq; receptio, per quã vnio hominis recipitur in materia est vnio ipsius cum eàdem materia ergo passio, per quam forma materialis recipitur in materiã, est vnio ipsius quatenus passio.

25 Deinde neque receptio formæ materialis est vnio quæ nùs talis passio quia talitas passionis non constituit formam in materiã, neque illas coniungit nouo modo, ac coniunctæ erant per cõceptum passionis, sed tantùm determinat conceptum passionis adhoc, vt versetur circa talem terminum: etenim, eo ipso quòd ratio passionis contrahatur adhoc, vt versetur circa talem terminũ, quocunque alio munere sublato, datur talis passio: ergo forma materialis non vnitur materiæ per passionem vt talem. Patet consequentia: quia ratio vniendi vnam partem cum alia est ratio coniungendi vnam cum alia: ergo, si materia, & forma per talitatem passionis non coniunguntur alio modo, ac coniunctæ fuere per rationem formalem passionis, necessarium est, quòd, si per rationem formalem passionis non vniuntur, neque vniantur per talitatem ipsius passionis.

26 Respondebit aliquis, vnionem hominis non recipi in materia, per passionem superadditam, sed se ipsa immediatè, sicut se ipsa immediate vnitur, atque adeo omnem receptionem formaliter esse vnionem. Sed contrà primo si vnio hominis se ipsa reciperetur in materia, & non per passionem superadditam, se ipsa dependeret etiam ab agente, & non per actionem superadditam, passio enim non est entitas realiter distincta ab actione, vt dicemus infra disputation. 20. sect. 2.; sed non potest vnio se ipsa ab agẽte dependere: ergo neque se ipsa recipi in materia. Minorem probo: quia remoto generante, à quo primo producta fuit vniò

animæ rationalis cum materia, perseuerat ipsa vnio conseruata à Deo: ergo neque se ipsa pendet á generãte, neque se ipsa pendet â Deo; sed per actionem superadditam; quæ variato agente variatur. Alioqui nunquam posset dari sine illo, aquo semel se ipsa dependeret: id enim quod se ipsa habet res, & non per formam superadditam, non potest non perseuerare ea perseuerante; vt ex se constat.

27 Iam, quod remoto generante perseueret vnio ab eo primò producta, facile probari potest primo: quia in communi omnium existimatione remoto generante, conseruat Deus id, quod primò productum fuit ab illo: sed *generans produxit in primo instanti* vnionem: ergo hanc conseruat Deus postea. Secundò: quia ex eo dicimus, conseruari nunc à Deo in hoc subiecto eandem formam ignis, quam generans produxit; quia hoc remoto perseuerat ignis in hoc eodem subiecto: atqui remoto generante perseuerat anima hæc rationalis vnita eidem materiæ, cui vnita fuit *in primo instanti* à generante: ergo perseuerabit etiam conseruata à Deo eadem vnio, quæ primò producta fuit à generante.

28 Secundò probatur conclusio: quia si vnio hominis recipitur in materia perse ipsam, vel recipitur per conceptum formaliter distinctum à conceptu formali vnionis, vel per ipsum conceptum formalem vnionis. Si hoc vltimũ; ergo anima rationalis vere recipitur in materia per veram passionem, sicut formæ materiales. Probo consequentiam: quia per te vnio, quæ datur inter materiam, & animam rationalem, quatenus vnio, formaliter est receptio: ergo idem extremum, quod per illam vnitur materię, per eandem recipitur in ipsa materia: atqui anima rationalis vnitur materiæ mediâ vnione: ergo media eadem recipitur in ipsa materia. Si Dicas primum: ergo conceptus formalis vnionis, & conceptus formalis receptionis adęquate distinguuntur in eadem entitate: ergo conceptus vnionis non est de formali cõceptu passionis: ergo bene stat, quod forma per passionem actuet materiam, & quod illam non informet per eandem passionem: quod erat argumentũ, quo tuam sententiam probabas de indistinctione vnionis à passione. Et vero si conceptus formalis passionis saluatur adæquatè sine formali conceptu vnionis in illa incluso, nullum est argumentum, quod adhuc apparenter probet, vnionem non distingui realiter à passione in compositis constantibus ex materiâ, & formâ materiali.

29 Ratio à priori nostræ conclusionis est: quia, cum materia, & forma sint entitates incompletæ ex naturâ suâ ordinatæ ad componendum totum, compleri, & terminari debent in suo esse per vnionem, mediâ quâ totum componunt,

ponunt: id autem, quod est terminus, & complementum alterius non potest supponi; ad illud; sed potius iam ipsum in suo esse constitutum consequitur, addendo illi perfectionem, quam entitatiue non habebat. Hinc fit, passionem, quæ quidem supponitur ad formam materialem tanquàm causalitas, mediâ quâ producitur, seu dependet à materiâ, non posse habere rationem vnionis ipsius formæ cum materiâ: quia, cum ex natura sua præcedat formam, non potest esse complementum illius, & ideo addenda est illi vnio alia, quæ ipsi existenti adueniens eandem compleat, & terminet in suo esse tanquàm terminus, intra quem totum esse formæ cõtineatur in ordine ad totum componendum. Hæc doctrina confirmari potest ex subsistentia, quæ, cum sit terminus, & complementum substantiæ completæ, non supponitur ad illam; sed potiùs ipsam supponit existentem, vt concedunt omnes.

30 Ex his poteris facile definire vnionem totius substantialis. *Vnio est nexus formæ substantialis cum materia illis existentibus adueniens, vt totum substantiale medio illo constituant*. Per primam particulam, *nexus* videlicet, conuenit cum vnione partium integrantium. Per sequentes, *formæ cum materia*, distinguitur ab vnione partium integrantiũ. Hæ enim non se habent vt materia, & forma respectu indiuisibilis illas cõtinuantis; sed solùm vt extrema. In eisdem verbis inuoluitur, vnionem totius substantialis esse talem, quæ petat dependere à materia per passionẽ. Diximus enim disput. 2. sect. 4. potentiam receptiuam vnionis totius substantialis esse de essentia materiæ primæ; ex quo sequitur, vnionem attingentem materiam vt nexum illius cum forma, ex natura sua petere dependere ab ipsa materia per passionem. Per *tò substantialis* distinguitur vnio totius substantialis ab vnione totius resultantis ex materia, & forma accidentali. Additur, *illis existentibus adueniens*: ad excludendam receptionem formæ materialis; quæ non aduenit formæ existenti; sed illam facit existentem. Per vltima verba exprimitur munus, quod exercet vnio in constitutione totius: se enim habet tanquàm actualis constitutio, per quam partes fiunt actu constituentes, seu componentes totum. Si autem velis vna definitione comprehendere vnionẽ subiecti cũ forma tam accidẽtali, quàm substãtiali, sic eam cõpone: *Est nexus formæ cum subiecto illis existentibus adueniens, vt totum medio illo constituant*. Cuius explicatio est facilis ex dictis.

31 Restat soluere argumenta adducta pro contraria sententia. Ad primum distinguo maiorem: per illud vnitur forma materiæ, per quod constituitur in materia dependẽdo ab illa tanquâm â causa, nego: informando illam, concedo maiorem. Deinde distinguo minorem: per passionem

constituitur in materia dependendo ab illa tanquàm à causa, concedo: informando illam, nego minorem: & nego cõsequentiam. Ad cõfirmationem distinguo antecedens: per passionem forma actuat materiam vt potentiam causatiuam, seu receptiuam ipsius formę, concedo vt extremum vnibile, seu ordinatum ad componendum, nego antecedens: & deinde nego consequentiam. Ad probationem consequentiæ dico, formam non informare materiam, per quemcunque actum, sed solùm per illum, per quem attingit ipsam materiam vt partem componentem præcise, vt constat ex doctrina traditâ pro nostra cõclusione.

32 *Obijcies primo:* Aristotel. non agnouit *modum* vnionis distinctum à passione; quia nunquàm illius meminit: ergo sine fundamento adstruitur. Respondeo, Aristotel. nunquam existimasse, passionem esse vnionem inter materiam, & formam substantialem. Hoc est mihi certum: quia vnio formæ substantialis cum materia pertinet ad essentiam substantiæ completæ, de cuius essentia nullum accidens esse potest, vt diximus sect. præcedente, & passim ostendit Aristoteles: deinde in sententia ipsius Aristotelis omnes passiones, seu receptiones sunt accidentia, cum eas ipse reducat ad prædicamentum passionis, quod est vnum ex prædicamentis accidentium. ergo in sententia Aristotelis passio non potest esse vnio formæ substantialis cum materia. Vnionis autem non meminit expresse, vel quia, cum ipse non cognouerit, formas materiales posse existere separatas à materia, putauit se ipsis vniri materiæ tanquam modos illius: vel quia res hæc tunc temporis indecisa erat.

33 Obijcies secundo: forma nectitur materiæ per passionem, stante enim passione, non potest forma euelli à materia: ergo passio habet rationem vnionis inter formam, & materiam. Distinguo antecedens. forma nectitur materiæ per passionem tanquam per dependentiam, per quam dependet ab ipsa materia, concedo: tanquam per complementum ipsius formæ, nego antecedens: & deinde nego consequentiam, quia non est vnio quilibet nexus; sed ille, qui aduenit partibus tãquam complementum illarum.

SECTIO. III.

Quotuplex vnio sit in composito substantiali?

34 DIximus, in composito substantiali dari vnionem modaliter distinctam ab vtraq; parte. Modò est inuestigandũ, an hæc vnio sit vna solùm, quæ nectat vtranque partem, vel an sit duplex, quarum vna se habeat ex parte materiæ, & altera ex parte

parte formæ? Quod autem dixerimus de vnione compositi substantialis, dictum puta de vnione cuiuslibet compositi accidentalis; imò & de vnione partium integralium P. Hurtado in Physica. disput 5. section. 7. docet, dari duplicem vnionem, vnam, qua materia vt subiectum (quod denominatur vnitum) vniatur formæ tanquàm termino, & hanc vocat materializationem: alteram, qua forma vt subiectum, (quod denominatur etiam vnitum) vniatur materiæ tanquam termino, & hanc vocat informationem. Ratio huius sententiæ est, quia materia vt subiectum vnitur formæ, & forma vt subiectum vnitur materiæ. ergo vnio debet subiectari in vtraque; sed vna, & eadem vnio non potest in vtraque subiectari: ergo adstruenda est duplex. Primum antecedens probat: quia vnio est perfectio intrinseca extremi vnibilis: ergo ea adueniente, aliter se habet ipsum extremum vnibile, ac per consequens mutatur: sed id, quod mutatur recipit in se formam, per quam mutatur: ergo extremum vnibile recipit in se vnionem. Minor probatur infra disputation. 19. section. 1. Quod verò vna vnio recipi non possit in vtroque extremo, sic probat quia in homine vna pars est materialis, & altera spiritualis. ergo debet dari duplex vnio, vna, quæ subiectetur in parte materiali, & sit materialis, quia in subiecto materiali non potest recipi forma spiritualis, altera spiritualis, quæ subiectetur in parte spirituali, quia in subiecto spirituali non potest recipi forma materialis. Hinc à paritate deducit, in reliquis compositis constantibus formis materialibus adstruendam esse duplicem vnionem.

35 Vera sententia asserit, vnicam tantùm vnionem dari in composito substantiali, quæ, prout se habet ex parte materiæ, sit materializatio, &, prout se habet ex parte formæ, sit informatio. Hæc sententia supponitur ab omnibus antiquis, eam tradit Pat. Vazquez, tom. 1. in 3. part. disputation. 19. capit. 2. numer. 24. P. Rub. 1. Physicor. tractat. 4. quæstion. 6. numer. 65. in eam inclinat P. Suarez in Metaphysic. disputat. 13. sect. 9. numer. 13. & est communis inter recentiores. Probatur: quia vnio est vinculum duorum; implicat enim, quòd vnum sit alteri ligatum, & alterum ipsi non coniunctum: ergo ex vi vnionis, quâ materia vnitur formæ, forma etiam vnitur materiæ: ergo per vnam solùm vnionem resultat compositum ex illis. Probo hanc consequentiam: eo ipso quòd materia vniatur formæ; & forma vniatur materiæ, datur cõpositum: ergo, si per vnam solùm vnionem materia vnitur formæ, & forma vnitur materiæ, per eandem resultabit compositum ex illis.

36 Confirmatur primò: quia materia, & forma constituunt totum per vnionem, per quam forma

ma informat, & materia materializat: sed per eandem vnionem id peragit vtraque ergo per eandem vnionem constituunt totum. Maior est certa: quia materia constituit totum per propriam causalitatem; causalitas autem materiæ circa totum est materializatio, forma etiam constituit totum per causalitatẽ causæ formalis, quæ quidem est informatio. Minor verò probatur: quia per illam vnionem forma informat, & materializat materia; per quam attinguntur vt tales: etenim materializare, & informare nihil aliud est, quam quod forma, & materia vt tales vniantur interse: sed per vnionem, quæ recipitur in materia, attingitur ipsa materia vt talis, vt concedunt aduersarij; attingitur etiam forma vt talis, quia per illam vnionem materia nectitur formæ vt propriæ comparti, forma autem compars est materiæ, quatenus forma est, vt patet: ergo per eandem vnionem forma informat, & materializat materia. Id magis robborabitur ex iis, quæ infra dicemus pro solutione argumenti adducti pro opposita sententiâ.

37 Confirmatur secundò: quia per eandem vnionem, per quam humanitas Christi Domini componit Christum cum Verbo Diuino, componit etiam Verbum Diuinum eundem Christum cum humanitate, nec enim fas est concedere in Christo Domino vnionem in aliquam se habentem ex parte Verbi Diuini, quæ in illo recipiatur: ergo per eandem vnionem per quã materia componit compositum cum formâ, componit etiam forma idem compositum cũ materiâ. Dices; ex parte Verbi dari vnionem aliam identificatam realiter cum illo, per quam ipsum vnitur cum humanitate. Sed contra primò, de conceptu essentiali vnionis est actu vnire extrema, vt nullus non fatetur: ergo, si Verbum vniretur humanitati per vnionem cum illo realiter identificatam, non posset dari Verbum, quin actu esset vnitum humanitati: atqui hoc est falsum, quia ab æterno fuit non vnitum humanitati: ergo, &c. Secundo, si Verbum fuit vnitum cum humanitate per vnionem realiter cum illo identificatam, cur non dicis idem de formâ, nempè, esse vnitam materiæ per vnionem cum ipsâ identificatam?

Rationi P. Hurtado satisfit.

38 VT ratiocinationi Pat. Hurt. respondeam, Noto 1. ex eodem Patre disput. 12. Physic. sect. 5. à num. 93. in vnione duo considerari posse, videlicèt esse receptam in subiecto, & esse illi vnitam. Est vnita subiecto immediatè per suam entitatem, vt dicebamus sect. præcedente; at verò non est recepta in subiecto immediatè per suam entitatẽ, sed per receptionem, aut passionem mediam inter ipsam, & subiectum, vt ibidem dicebamus. Noto secũdo ex eodem P. Hurt. in eodem loco

loco, quod vnio potest diuinitus creari, & quod, si crearetur, constitueretur compositum substantiale medià illâ, sicut modo conflatur. Probandum id est infra disputat. 15.

39 Ex his infero primò, non esse necessariam receptionẽ actualem vnionis in materiâ, seu informâ, vt totum componat. etenim si crearetur vnio, totum resultaret ex materia, & forma per ipsam vnionem, & tamen in nulla ex partibus reciperetur. Ratio à priori est quia eatenùs partes componunt totum, quatenùs vniuntur inter se sed vniuntur per ipsam vnionem immediatè, & non per receptionem illius, vt supponimus, & fatetur ipse P. Hurtad.: ergo &c. Infero secundò, receptionem vnionis necessariam non esse, vt partes actu perficiantur per ipsam vnionem. quia, eo ipso quod partes componant totum, ad cuius compositionem ordinantur ex natura sua, habent perfectionem, quam antea non habebant · sed componunt totum per vnionem praecise secundùm se sumptam, non vt receptam, vt paulò ante dicebamus ergo necessaria non est receptio, vt partes actu perficiantur per vnionem. Maior est certa quia, eo ipso quod partes componant totum, aduenit illis perfectio, quàm antea non habebant.

40 Hinc fit, formam perfici per vnionem, etiam hæc recipiatur in materia sola. Primo: quia vnio, et iam actu non recipiatur in materia, actu perficit ipsam materiam ex eo solùm, quòd illi vniatur immediate per se ipsam sed eadem vnio vnitur formæ per se ipsam immediate: ergo illã perficit Respondet P. Hurtad. sect 5. num. 65. materiam perfici per vnionem, quia, & si de facto non recipiatur in materia, petit tamen in illa recipi: putat enim adhoc, vt vna res sit perfectio alterius, necessarium esse, quod ex natura sua petat recipi in illa per passionem. Ex quo infert, formã non perfici per vnionem, quæ se habet ex parte materiæ, quia, licèt ea vnio vniatur formæ se ipsa; tamen non petit in illa recipi. Id confirmat exemplo Verbi Diuini, quod vnitum humanitati non perficitur per eam vnionem; non aliâ de causa, nisi quia talis vnio non petit recipi in ipso Verbo.

41 Multa hìc continentur falsa. In primis anima rationalis nõ petit produci dependenter â materia per passionem; & tamen nullus negabit materiam perfici per animam rationalem ergo falsò requiritur ad rationem perfectionis, quod petat recipi in re, quam perficit. Secundò receptio actualis vnionis in materia, necessaria non est, vt vnio actu perficiat materiam, vt fateris locis citatis· ergo vnio non est perfectiua materiæ ex eo solùm, quod est receptibilis in illa ergo adhoc, vt illam perficiat, impertinens est, quod ex natura sua sit receptibilis in illa. Probo primam consequentiam. quia, si vnio esset perfe-

ctiua materiæ ex eo solum, quod est receptibilis in illa, non esset perfectiua materiæ, nisi quatenus receptibilis in ipsa materia: ergo non posset actu perficere materiam, nisi per actum, per quem reciperetur actu in ipsa materia. Est manifestum: quia eiusdem potentiæ idem exercitium debet dari. Pergo: sed per te perficit actu materiam per actum diuersum ab eo, per quem actu recipitur in ipsa materia ergo non ex eo solùm, quod est receptibilis in materia est perfectiua illius. Minorem probo: quia in tua sententia materiam actu perficit vnio in quantum per suam entitatem immediate se vnit ipsi materiæ, in ea verò recipitur actu per passionem superadditam: ergo diuersus est actus, quo vnio perficit materiã, ab eo, quo recipitur in ipsa materia.

42 Tertiò: partes perficiuntur per vnionem, quatenùs per illam complentur in ordine ad componendum totum, ad cuius compositionem ordinantur ex natura sua: sed per vnionem, quæ iuxta tuam sententiam recipitur in sola materia, completur forma in ordine ad componendum totum: ergo perficitur per illam ipsa forma, etiamsi talis vniò non posset in illa recipi. Minorem probo: quia, dato, quòd necessariæ essent duæ vniones, non posset componi totum, quin forma ab vtraque attingeretur immediatè, vt tu fateris: ergo per vtranque compleretur in ordine ad componendum totum, tã per illam, quæ se haberet ex parte materiç, quàm quæ se haberet ex parte ipsius formæ: ergo per vtramque perficeretur. Hæc ratio conuincit rem contra P. Hurtado.

43 Hinc apparet manifestum discrimen inter Verbum Diuinum terminans vnionem humanitatis Christi Domini; & inter formam terminantem vnionem materiæ. Forma enim est entitas essentialiter incompleta, & ex natura sua ordinata ad componendum totum, atque adeo completur, & perficitur intrinsecè per illud, per quod actu componit totum: quia nihil potest esse magis de intrinseca perfectione, & complemẽto entitatis incompletæ, quàm id, per quod intrinsece componit totum, ad cuius compositionem ordinatur ex natura sua: cum autem forma concurrat ad componendũ intrinsece totum per vnionem terminatam ad ipsam, necessarium est, quòd compleatur, & perficiatur intrinsece per illam. At verò Verbum Diuinum est suppositum essentialiter completum, & perfectum omnimodo in suo esse, ita vt nihil illi deficiat perfectionis potentis ad illum pertinere, vt Fides docet; & ideò nullam potest illi afferre perfectionem vnio humanitatis denuò illi aduenies: neque enim vlla potest addi perfectio illi, cui nulla deesse potest. Hinc est, quòd Verbum Diuinum non ideò non perficitur per vnionem, quia est terminus illius præcise; sed quia est terminus omnino completus, & perfe-

perfectis in suo esse, atque adeo terminus ex natura sua incompletus qualis est forma, recte potest perfici intrinsece per vnionem ad ipsum terminatã, si hæc illi vniatur immediatè tanquam id, per quod cõcurrit ad intrinsece componendum totum, ad cuius compositionem ordinatur ex natura sua.

44 Ex his facile soluitur argumentum, quo nititur P. Hurt. Nego primum antecedens, nempe, quòd materiæ vnitur forma, vt subiectum, si loquatur de subiecto, in quo recipitur vnio: nam hoc solum est materia. Ad probationem distinguo antecedens: vnio est perfectio intrinseca extremi vnibilis, si sit ex naturâ suâ incompletum, & perfectibile concedo: si sit ex naturâ suâ completum, & habens omnem suam perfectionem, nego antecedens. Id dixerim propter Verbum Diuinum, quod taliter vnitur cum humanitate Christi Domini, vt non perficiatur per vnionem, non aliâ de causâ, nisi quia ad illam supponitur completum, & omnino perfectum in suo esse. Deinde concedo consequentiam, quoad primã partem, nempe, quòd, adueniente vnione, aliter se habeat extremũ vnibile. Nego tamen quod mutetur quia ad hoc, vt aliquid mutetur non sufficit, quod aliter se habeat nunc, quàm anteà Verbum enim Diuinum, quando vnitum fuit humanitati Christi Domini, reuerà aliter se habuit, ac anteà, & nihilominus non est mutatum. Deinde adhuc in sententiâ aduersariorum, dum forma terminat vnionem materiæ se ipsa immediatè attingentẽ ipsam formam, aliter se habet, quam anteâ, & nihilominus non mutatur per eam vnionẽ, vt vel ipsi aduersarij fatentur. Et ratio est: quia mutari non est vtcunque aliter se habere, sed per actionem, & passionem ad hoc autem, vt extrema vnibilia aliter se habeant per vnionem, necessarium non est, quòd in illis recipiatur, vt iam diximus, ac per consequens vniri possunt, quin mutẽtur. Perficiuntur verò per vnionem, si ex naturâ suâ fuerint entitates incompletæ, ex se ordinatæ ad totum componendum. Cum autem tales sint materia, & forma, vtraque perficietur per vnionem, etiamsi non recipiatur in vtrâque. An verò eadem vnio possit recipi in subiecto materiali, & spirituali simul? constabit ex dicendis in lib. de Ani. circa subiectum sensationum.

Soluuntur aliæ obiectiones.

45 OBijcies primò: in opinione adstruente relationes superadditas fundamento, & termino, vt duo extrema mutuo referantur, sunt necessariæ duæ relationes, quarum vna subiectetur in vno, & alia in alio: ergo in sententiâ adstruente vnionẽ distinctam à materiâ, & formâ, vt hæ partes mutuò vniantur interse, erit necessaria duplex vnio, quarum vna subiectetur in materiâ; altera

a'tera in forma Concedo antecedens, & nego consequentiã. Ratio disparitatis est clara quia forma vt tantũ subiecto tribuit suum effectum formalẽ, cui vnitur. Vnio autem, cum sit ratio vniendi duo extrema, se ipsa vnitur vtrique; & propterea vtrũque reddit vnitu Relatio verò solũ vnitur subiecto, in quo recipitur, non verò termino & ideó non tribuit termino suum effectum formalem, sed solùm fundamento, in quo recipitar. Vnde, si terminus referẽdus sit, necessaria erit alia relatio, quæ illi vnita constituat relatum. Quod autem relatio, qua refertur fundamentum, v. g. pater ad filium, non vniatur filio, qui est terminus huius relationis, cõstat, tum quia filius sæpe distat à patre, tum etiam, quia relatio non est ratio vniendi patrem cum filio, sed ratio referendi patrem ad filium. De conceptu autem rationis referendi non est vniri termino, ad quem refert, sed tantùm fundamento, quod per illam refertur.

46 Dices, sæpe sæpius sunt in eo lẽ loco fundamentum, & terminus relationis ergo tunc poterit relatio fundamenti vniri termino. Nego consequentiã. quia si semel contet, non esse de conceptu relationis, quod vniatur termino, etiã si terminus coniungatur cum relatione in eodem loco, non vnietur illi quia conceptus relationis non variatur ratione coniunctionis localis.

47 Objices secundò si vna tantùm vnio datur in homine, aut hæc est spiritualis, aut corporea. Si corporea, quomodo vniet animam spiritualem? si spiritualis, quomodo vniet materiam corpoream? Respondeo, esse corporeã, neque id esse inconueniens ad vniendam animam spiritualem, quia, si hæc ita est spiritualis, vt ordinetur ex natura sua ad constituendum totum, quod sit corporeum, quid mirũ, quòd petat vniri vnione corporea? Imo etiãsi daretur duplex vnio, necessarium esset, quòd vtraque esset corporea. quia etiamsi vna ex illis subiectaretur in anima, haberet cõnexionem intrinsecam cũ materia, quia deberet vniri illi, saltem tanquã termino. Res autem, quæ habet cõnexionem intrinsecam cum materia corporea, ita vt ab illa nequeat naturaliter seiungi, est corporea, vt dicã in lib. de Anim.

48 Objicies 3. materia, & forma sunt duæ causæ realiter distinctæ ergo debent habere duplicem causalitatẽ realiter distinctã: ergo & duplicẽ vnionem, quia vnio est causalitas materiæ, & formæ respectu cũpositi. Cõcedo antecedẽs, & nego consequentiã quia agens, & passum sæpe sunt causæ realiter distinctæ, & nihilominus habent vnam causalitatem realiter, vt dicemus disput. 20. sect. 2 Hic erat inquirendum; an vnio, quatenùs se habet ex parte materiæ, sit formaliter distincta à se ipsa, prout se habet ex parte formæ? Sed de hoc agam disput. 12. sect. 1.

SE-

SECTIO IIII.

Quod sit subiectum receptiuum vnionis?

49 EX dictis sectione præcedente constat, vnionem non indigere actuali receptione ad hoc, vt immus nectendi extrema actu obeat, vnit enim extrema immediatè per suam entitatē, indiget tamen receptione ad hoc, vt cōnaturaliter ponatur in rerū naturâ, quia, cum vnio producatur ab agente creato, quod quidē vires non habet ex naturâ rei ad creandum; vt dicam disput. 15. sect 6 sed suos effectus producit per eductionem identificatā realiter cum passione, seu receptione, fit, quòd non possit produci, quin recipiatur in aliquo subiecto Hoc inquirimus in hac sectione Quod autem vnio non petat creari ex naturâ suî, sed à creato agente producitur, probandū est rationibus, quibus disputat. 3. sect 3. idem cimus de formis materialibus.

50 P. Vazq. tom 1. in 3. par. disp 19 num 24 & P. Soarez in Meta. dispt 13 sect 9. num 13 docent, vnionem totius recipi in formâ tanquam in subiecto. Probat P Vazq quia forma est indifferens, vt sit in materia, vel extra materiam ergo debet determinari ad existendum in materia per vnionem in se receptam. Confirmatur quia ad existendum extra materiam determinatur forma per modum perfectatis in ipsa receptum, vt constat in anima rationali separata ergo ad existendum in materia determinari debet per modum vnionis in eadem forma receptum. Probatur consequentia quia modus perfectatis, & modus vnionis sunt oppositi, & , *oppositorum idem est subiectū.* Ratio P. Soar. est quia tota efficacia generantis tendit ad formam: ergo quidquid efficit, se tenet ex parte formæ · sed vnionem efficit per generationem: ergo vnio se tenet ex parte formæ, ac per consequens in illâ debet subiectâri.

51 Vtraq; ratio displicet. Prima, quæ est P. Vazq. quia indifferentia, quam habet forma respectu materiæ, est ad informandū, vel non informandū ergo tolli debet per informationem, vt informatio est sed vnio se ipsa est informatio, & non per receptionem: ergo se ipsa tollit indifferentiam formæ, & non media receptione non igitur necessaria est receptio in forma, vt auferatur eius indifferentia. Cōfirmatur, quia, sicut forma est indifferens ad hoc, vt sit vnita, vel non vnita materiæ, ita etiam materia est indifferens, vt sit vnita, vel non vnita formæ: vel ergo indifferentia materiæ tollitur per vnionem, illi vnitam, & non receptam in illa, vel per vnionem, quæ etiā recipitur in ipsa materia. Si hoc vltimum, vel assignare debes duplicem vnionem, vnam, quæ recipitur in materia, & alteram in forma. vel vnam totum, quæ

in

in vtraque recipiatur: quodcunque dixeris est contra te asserentem, dari vnam vnionem, & hanc recipi in solâ formâ. Si dicas primũ ergo etiam indifferẽtia formæ potest tolli eodem modo: vt quid ergo affirmas, necessariũ esse, quod in formâ recipiatur vnio ad hoc, vt tollatur eius indifferentiâ.

52 Ad argumentum P. Vazq. concedo antecedens, & nego consequentiã. indifferentia enim formæ sufficienter tollitur per vnionem illi vnitam, tiamsi in ipsa non recipiatur. Ad confirmationem nego primam consequentiam. Ad eius probationem distinguo vltimam partem antecedentis: contrariorum idem est subiectum receptionis, vel vnionis, concedo: idem est subiectum receptionis, nego antecedens Est dicere, vt aliqua dicantur opposita, necessariũ non est, quod habeant idem subiectum receptionis, a quo mutuò se expellant, sed sufficit, quòd versentur circa vnum tertium, in quo simul recepta, vel saltem simul vnita esse nequeant. Hâc ratione se habent vnio, & modus perfectatis respectu formæ, licèt enim non recipiantur in illa, quia tamen illi vnita simul esse nequeunt, recte dicuntur opposita respectu eiusdem formæ. Id tenetur admittere P. Vazq. in materia, quæ quidem, si separaretur à forma, haberet modum perfectatis in ipsa receptũ, & oppositum cum modo vnionis, qui quidem non recipitur in materia iuxta sententiam ipsius Patris: ergo ad hoc, vt aliqua duo opponantur circa aliud tertiũ, sufficit, quòd illi simul vnita esse nequeant, etiamsi non sit subiectum receptiuum vtriusque.

53 Ratio P. Soarez displicet, quia efficacia generantis non aliter dirigitur ad formã, nisi quia tendit ad illam vniendam materiæ, vt autem generans vniat formam cum materia, necessariũ non est, quòd vnionẽ in illâ producat; sed sufficit, quòd à generante producta formam attingat, vt extremum vnibile per ipsam. Ad argumentum ergo distinguo antecedens: tota efficacia generantis tendit ad formam vniendam, concedo: ad formam tanquàm id, in quo producat immediatum terminum generationis, nego antecedens. Deinde distinguo consequens: ergo quidquid efficit, se tenet ex parte formæ vt extremi vnibilis, concedo: vt subiecti, in quo vnio producatur, vel aliud munus exercetur, nego consequẽtiã.

54 Vera ergo sententia asserit, vnionem solùm recipi in materiâ. Ita P. Rubio 1. Physic. tract. 4. num. 65. & plures recentiores. Probatur quia in eodem subiecto, in quo recipitur productio vnionis, recipi debet ipsa vnio. sed productio illius recipitur in materia ergo & ipsa vnio. Minorem probo, quia actio, perquam producitur vnio, est generatio totius, vt dicam disp. sequenti sect. vltima: sed generatio totius recipitur in materia, vt diximus disput. 2. ex Aristot. ergo & vnio recipitur in materia. Confirma-

formatur, quia ratio formalis, per quam materia cõstituitur essẽtialiter in esse materiæ, est potentia receptiua vnionis totius substantialis, et diximus ea disputatione 2. sectio. 4. ergo materia est subiectũ, in quo recipitur vnio

55 Obijcies primò: non minùs intrinsecè vnitur forma, quam materia ergo tam intrinsecè debet esse vnio in formâ, quam in materiâ sed recipitur in materiâ ergo & in formâ debet recipi. Concedo primum antecedens, & distinguo consequẽs tam intrinsece debet esse vnio in forma, quam in materia vnitiue, concedo consequentiam. Est differentia quia materia, & forma vniuntur intrinsece inter se, necessariũ est, quod vnio intrinsecè vniatur illis at quia non vniuntur illis immediatè per suam entitatem, necessarium non est, quòd in vtraque recipiatur, sed sufficit, quod intrinsece attingat vtrumque tanquàm extrema vnibilia

56 Obijcies secundò in continuo subiectatur vnio in vtraque parte continuanda: ergo & in compositio. Nego antecedens nã, vt ostendam 6. Physic continuata vnum in neutra parte continuata subiectatur, imo iuxta doctrinam traditam suprà disp. 2 sect. 5 totum resultans ex subiecto, & forma, in eo debet distingui ab integrali, & a suis compositis, quod illud includit partes, quarum vna se habeat vt subiectum receptiuũ vnionis, & alia vt extremum; seu terminus. Integrale vero, & alia composita includunt partes, quarum nulla se habet vt subiectum receptiuum vnionis, sed vtraque vt extremum tantum vnibile. Id, quod diximus in hac disputat. de vnione totius substantialis, dictũ puta de vnione totius accidentalis Præterea, quæ diximus circa multiplicitatem, & vnitatem vnionis ipsius totius substantialis, dictum puta de vnione partium integrantium.

DISPVTATIO VI.

De composito substantiali.

COgnitis iam compositi principijs, & eorum natura, facilè erit cognitu ipsum compositũ, cuius naturam indicabimus in hac disputatione.

SECTIO I.

Vtrùm compositum aliquid aliud includat præter materiam, formam, & vnionem?

1 P. Vazq. tom. 1. in 3. part. disp. 19. à num. 26. vsque ad 33. docet, in compositis accidentalibus nihil aliud includi præter materiam, formã, & vnionem, in compositis verò substantialibus præter materiam, formam, & vnionem concedendum esse quoddam esse substantiale ab eis realiter distinctum, quod quidem à forma in genere causæ formalis deriuatur in materiam tanquam effectus ipsius

in vtraque recipiatur: quodcunque dixeris est contra te asserentem, dari vnam vnionem, & hanc recipi in solâ formâ. Si dicas primũ ergo etiam indifferẽtia formæ potest tolli eodem modo: vt quid ergo affirmas, necessariũ esse, quod in formâ recipiatur vnio ad hoc, vt tollatur eius indifferentiâ.

52 Ad argumentum P. Vazq. concedo antecedens, & nego consequentiã. indifferentia enim formæ sufficienter tollitur per vnionem illi vnitam, tiamsi in ipsa non recipiatur. Ad confirmationem nego primam consequentiam. Ad eius probationem distinguo vltimam partem antecedentis · contrariorum idem est subiectum receptionis, vel vnionis, concedo: idem est subiectum receptionis, nego antecedens Est dicere, vt aliqua dicantur opposita, necessariũ non est, quod habeant idem subiectum receptionis, a quo mutuò se expellant, sed sufficit, quòd versentur circa vnum tertium, in quo simul recepta, vel saltem simul vnita esse nequeant. Hâc ratione se habent vnio, & modus perfectatis respectu formæ, licèt enim non recipiantur in illa, quia tamen illi vnita simul esse nequeunt, recte dicuntur opposita respectu eiusdem formæ. Id tenetur admittere P. Vazq. in materia, quæ quidem, si separaretur à forma, haberet modum perfectatis in ipsa receptũ, & oppositum cum modo vnionis, qui quidem non recipitur in materia iuxta sententiam ipsius Patris: ergo ad hoc, vt aliqua duo opponantur circa aliud tertiũ, sufficit, quòd illi simul vnita esse nequeant, etiamsi non sit subiectum receptiuum vtriusque.

53 Ratio P. Soarez displicet, quia efficacia generantis non aliter dirigitur ad formã, nisi quia tendit ad illam vniendam materiæ, vt autem generans vniat formam cum materia, necessariũ non est, quòd vnionẽ in illâ producat; sed sufficit, quòd à generante producta formam attingat, vt extremum vnibile per ipsam. Ad argumentum ergo distinguo antecedens: tota efficacia generantis tendit ad formam vniendam, concedo: ad formam tanquàm id, in quo producat immediatum terminum generationis, nego antecedens. Deinde distinguo consequens: ergo quidquid efficit, se tenet ex parte formæ vt extremi vnibilis, concedo: vt subiecti, in quo vnio producatur, vel aliud munus exercetur, nego consequẽtiã.

54 Vera ergo sententia asserit, vnionem solùm recipi in materiã. Ita P. Rubio 1. Physic. tract. 4. num. 65. & plures recentiores. Probatur quia in eodem subiecto, in quo recipitur productio vnionis, recipi debet ipsa vnio · sed productio illius recipitur in materia ergo & ipsa vnio. Minorem probo, quia actio, perquam producitur vnio, est generatio totius, vt dicam disp. sequenti sect. vltima: sed generatio totius recipitur in materia, vt diximus disput. 2. ex Aristot. ergo & vnio recipitur in materia. Confirma-

firmatur, quia ratio formalis, per quã materia cõstituitur essẽtialiter in esse materiæ, est potentia receptiua vnionis totius substantialis, vt diximus ea disputatione 2. sect. 4. ergo materia est subiectũ, in quo recipitur vnio

55 Obijcies primò: non minùs intrinsecè vnitur forma, quam materia ergo tam intrinsecè debet esse vnio in formâ, quam in materiâ sed recipitur in materiâ ergo & in formâ debet recipi. Concedo primum antecedens, & distinguo consequẽs tam intrinsecè debet esse vnio in forma, quam in materia vnitiue, concedo: passiue, nego consequentiam. Est discrimen: quia materia, & forma vniuntur intrinsecè inter se, necessariũ est, quòd vnio intrinsecè vniatur illis: at quia non vnitur illis mediâte receptione, sed immediatè per suam entitatem, necessarium non est, quòd in vtraque recipiatur, sed sufficit, quòd intrinsecè attingat vtramque tanquàm extrema vnibilia

56 Obijcies secundò in contiuuo subiectatur vnio in vtraque parte contìnuanda: ergo & in composito. Nego antecedens nã, vt ostendam 6. Physicè continuatiuum in neutra parte continuata subiectatur, imo iuxta doctrinam traditam suprà disp. 2 sect. 5 totum resultans ex subiecto, & forma, in eo debet distingui ab integrali, & a suis compositis, quod illud includit partes, quarum vna se habeat vt subiectum receptiuũ vnionis, & alia vt extremum; seu terminus. Integrale vero, & alia composita includunt partes, quarum nulla se habet vt subiectum receptiuum vnionis, sed vtraque vt extremum tantum vnibile. Id, quod diximus in hac disputat. de vnione totius substantialis, dictũ putà de vnione totius accidentalis. Præterea, quæ diximus circa multiplicitatem, & vnitatem vnionis ipsius totius substantialis, dictum putà de vnione partium integrantium.

DISPVTATIO VI.

De composito substantiali.

COgnitis iam compositi principijs, & eorum natura, facilè erit cognitu ipsum compositũ, cuius naturam indicabimus in hac disputatione.

SECTIO I.

Vtrùm compositum aliquid aliud includat præter materiam, formam, & vnionem?

1 P. Vazq. tom. 1. in 3. part disp. 19. à num. 26. vsque ad 33. docet, in compositis accidentalibus nihil aliud includi præter materiam, formã, & vnionem, in compositis verò substantialibus præter materiam, formam, & vnionem concedendum esse quoddam esse substantiale ab eis realiter distinctum, quod quidem à forma in genere causæ formalis deriuatur in materiam tanquam effectus ipsius

sius formæ: &, prout se habet ex parte formæ dicitur informatio, receptio verò prout se habet ex parte materiæ. Munus huius effectus à formâ deriuati dicit, esse in viuentibus (instar quorum de aliis compositis substantialibus philosophandum esse docet) materiam viuificare, ita vt non solum anima viuat in composito, sed etiam materia viuificata per illum effectum à forma deriuatũ, ratione cuius materia principium sit operationum vitalium. Sequuntur P. Vazq nonnulli ex eius discipulis. Rationes huius sententiæ obijciam infrà

2 Vera sententia asserit, compositum substantiale nihil aliud includere præter materiam, formã, & vnionem. Idem dicito de composito accidentali,, imo & de integrali respectu suarum partium, & vnionis. Hanc sententiam tenet P. Suar. in Metaph. disp. 36. sect. 3. num. 7. P. Hurt. in Physic. disp 6. sect. 2. P. Pereyra lib. 7 suæ Physicæ cap. 2. in fine cum Diu. Thom. Alexand. Durand. & alijs, quos refert P. Suar. & est communis. Probatur, quia ex materia, & forma vnitis, præciso quocunque alio, resultat vnum compositũ substantiale: ergo hoc nihil aliud includit præter materiam formam, & vnionem. Antecedens probatur quia, vbi est vera compositio, datur vere compositum: sed inter materiam, & formam vnitas, precisо quocunque alio, datur vera compositio; quia hæc, vt concedunt omnes, nihil aliud est, nisi distinctorum vnio · ergo verè datur compositum. Hoc autem compositum erit vnum, cum vnam tantum includat compositionem duarum partium Deinde erit substantiale, quia constat materia, & forma, & vnione substantialibus. Præterea erit substantia completa; quia non ordinatur ad componendum aliud compositum substantiale ergo, &c.

3 Confirmatur, quia homo est verum compositum substantiale viuens: sed homo nihil aliud includit, præter corpus, & animam rationalem, & vnionem: etgo superfluè additur aliquid aliud ad componendum totum substantiale. Minorem probo, quia tota essentia hominis saluatur, si dentur corpus, & anima rationalis vnita, essentia enim hominis est esse animal rationale, hoc est, principium sensationis, rationationis, & vegetationis non solum actiuum; sed etiam passiuum · sed posita vnione animæ rationalis cum materiâ, ipsa anima rationalis est principium effectiuum harum operationum, & passiuum ratiocinationis, vt omnes concedunt, deinde materia est principium passiuum saltem inadęquatum sensationis, & vegetationis, vt dicemus in lib. de Ani.. totum ergo, quod requiritur ad essentiam hominis, continetur in corpore, anima rationali, & vnione, vt quid ergo addemus quidquam aliud? Id magis confirmabitur ex solutione argu-

rationum opposita sententia

4 Obijcit P. Vazq. primo in substantijs viuentibus materia est principium actum vitalium saltem materialium, v.g. in homine, & equo materia est principium actuum vegetationis, & sensationis. sed non potest materia has operationes efficere ratione suæ entitatis, quia hæc non est actiua: ergo eis efficit ratione vinificationis, quam participat ab anima. Maiorem probat primo, quia materia in compositis viuentibus diuerso modo se habet respectu operationum vitalium, ac in compositis accidentalibus respectu operationum, quę suæ propriæ formę accidentalis sed in compositis accidentalibus materia, seu subiectum solum se habet vt vehiculum formæ accidentalis, nullatenùs concurrendo cum illa ad ipsius operationes, vt apparet in aqua calida, quæ non concurrit immediatè ad calefaciendum manum sibi proximatam cū calore in se recepto, sed solùm se habet vt vehiculū caloris calefacientis ergo in viuentibus aliquid aliud præstare debet materia, nempe efficere immediatè simul cum forma operationes vitales Secundò probat maiorem illam ex Arist. qui primo de Anim. cap. 4 text. 64 asserit, sensationes non oriri solū ab anima, sed ab homine ergo sentit nō solum anima, sed etiam materiam immediatè concurrere ad has operationes Verba Philosophi sunt: *Dicere autem, animam irasci, vel timere, simile est, atque si quispiam, animum texere, dicat, vel ædificare, nam melius est fortasse dicere non animam sed hominem misereri, vel discere.*

5 Respondeo, negando maiorem primi syllogismi, ad primam probationem fateor, diuerso modo se habere materiam in viuentibus, ac se habet subiectum accidentis in toto accidentali, diuersitas tamen in eo consistit, quòd in viuentibus materia se habet vt subiectum adæquatum, vel saltem inadæquatum operationum vitalium materialium; nam, vt probabo in lib. de Ani. operationes vitales consistunt in actione, & passione ipsius viuentis. Vnde ad hoc, vt aliquid dicatur viuere, seu operari vitaliter, non sufficit, quod efficiat vitales operationes; sed necessarium etiam est, quod illas in se recipiat, cum autem sola anima, etiam si efficiat has operationes, illas tamen non recipiat saltem adæquate, ideo non dicitur sentire, seu irasci, &c. Secus vero compositum, quia eas agit, & simul recipit agit quidem ratione formæ, recipit vero saltē nō adæquate ratione materiæ. Ex quo apparet, in viuentibus, non se habere materiam solum vt vehiculum formæ viuentis, sed etiam vt comparticeps simul concurrens cū forma ad operationes vitales, non est actiuè, sed passiuè. Et ex hoc cōstat ad secundā probationē adductam ex Arist. Vento ad cōposita accidentalia, in quibus longe

ge aliter eueniunt res: nam aqua calefacta non concurrit cum calore in se recepto, ad calefaciendam manum applicatam, quia non concurrit efficienter, vt patet, nec de passiuè, cum calefactio orta à calore recepto in aqua non recipiatur in ipsa aqua, sed in manu applicata, quapropter respectu calefactionis solùm se habet aqua vt veiculum caloris calefacientis.

6 Vt autem appareat, quam parùm sanè P. Vasq. in hoc tractatu, sic arguimus. Positio in materia illa esse ab anima derivato, vel materia simul cum ipso, & anima concurrit efficienter ad opera vitæ vel nor, sed solũ anima & esse ab illa derivatum efficiunt tales operationes. Si dicas primum cum materia virtutem essendi & vsum operum vitæ mẽdicet ab illo esse derivato ab anima, quare non poterit eandem virtutẽ essendi & vsũ participare immediate ab anima illi communicata solũ per vnionem, sine tali viuificatione? Si dicas secundum: ergo cum opera vitæ non procedunt efficienter à toto composito. Probo consequentiam. quia materia est aliqua pars totius, & non est causa efficiens earum operationũ: ergo nec totum compositum; sed aliquid illius efficit opera vitæ, quod tu dicebas, esse contra Philosophum.

7 Obiicit secundò: homo est viuens corruptibile: ergo debet habere aliquam vitam corruptibilem. hæc non potest esse forma rationalis, cui a est incorruptibile, neque materia, quia ex se non est viuẽs, neque modus vniens, quia non est vitalis: ergo addenda est alia entitas, quæ sit vita corruptibilis derivata ab anima in genere causæ formalis, si quidem anima est id, quo viuimus. Respondeo, antecedens esse verum. Distingo tamen consequens. debet habere aliquam vitam corruptibilem quò ad suum esse, nego quò ad hoc, quod est informare, concedo consequentiam. Est dicere: ad hoc, vt homo sit viuens corruptibile, non est necessarium, quod constet vita secundùm suam entitatẽ corruptibili, sed sufficit, quòd constet partibus illum constituentibus per vnionem corruptibilẽ. hæc enim corrupta, corrumpetur homo, etiam si vtraque pars illius perseueret, neque necessariũ erit, quod corrumpatur esse aliquòd viuificans materiam ab anima derivatum. Et quidem nescio, qua ratione esse illud viuificans materiam, posset ab anima derivari tãquã effectus formalis illius: quia, cum forma vt talis nullo alio modo causet, nisi componendo, solùm compositum potest esse effectus formalis illius primarius. Vide, cum illud esse derivatum non esset compositum, sed quædã entitas adæquatè distincta ab ipsa forma, non posset esse effectus formalis illius.

8 Obiicit tertiò: anima non solum tribuit materiæ esse hominis; sed etiam esse animalis, viuentis, corporis, &c. (corpus sumitur

mitur hic pro substantia completa corporea resultante ex materia, & forma substantiali, quæ in prædicamento substantiæ est species opposita substantiæ spirituali completæ,) sed anima rationalis non potest solùm per suam entitatem materiæ vnitam tribuere ipsi materiæ esse corporis: ergo illud tribuit per aliquid ab ipsa derivatum. Minor probatur: quia anima est entitas spiritualis: ergo non potest per suam entitatem materiæ vnitam ipsi tribuere esse corporis.

9 Respondeo, maiorem propositionem esse veram, si per hoc, quod est animam tribuere materiæ esse hominis, animalis, &c. nihil aliud intelligitur, nisi quod ex animâ, & materiâ resultet totum, quod sit homo, animal, corpus &c. In hoc autem sensu nego minorem: quoniam totum resultans ex anima rationali, & materia vnita reuera est corpus, quia, vt dicemus in lib. de Anim. ratio corporis, prout distinguitur contra spiritum, consistit in eo, quod sit naturaliter impenetrabile proximè vel remotè cum alio. Compositum autem resultans ex anima rationali, & materia vnitis, remote est impenetrabile naturaliter cum alio, quia ita petit quantitatem, quæ est proximè impenetrabilis, vt non possit ab illa naturaliter separari, & ideò est verè corpus. Hinc edisces, cur homo non possit dici spiritus, cum constet anima spirituali Ratio ergo est, quia ratio spiritus constit in eo, quod possit naturaliter penetrari cum quolibet corpore, homo autem, etsi vnam partem spiritualem habeat, non potest naturaliter penetrari cum alio corpore, vt constat experientia, & ideò non potest dici spiritus.

10 Dices: hinc sequitur, hominem non esse vnum ocè corpus cum reliquis substantijs corporeis, qualis est equus, ignis, &c. Probatur sequela: quia, cum homo sit corpus ratione solius materiæ, est corpus incompletum; equus verò, cum sit corpus ratione materiæ, & formæ est corpus completum: rei autem completæ, & incompletæ non datur vnus conceptus vniuocus: ergo, &c. Nego sequelam. Ad probationem dico, hominem non solùm ratione materiæ; sed etiam ratione animæ esse corpus in ea acceptione, qua loquimur in presenti: quia ratione vtriusque partis ita petit habere quantitatem, quæ est proximè impenetrabilis, vt naturaliter nõ possit esse sine illa: licet enim anima rationalis secundum se sumpta possit separari naturaliter á quantitate, & propterea sit spiritus; nihilominùs dum constituit totũ, non potest separari naturaliter ab illa, quia indiget quantitate ad suas operationes vt proprias ipsius compositi, & ideo totum resultans non solum est corpus ratione materiæ, sed etiam ratione animæ.

11 Addo idem argumentum posse fieri contra P. Vazquez

quia homo in sententia illius non est corpus ratione animæ, sed ratione materiæ, & esse illius deriuati ab anima. ac per consequens nō est corpus ratione omnium entitatum, quas essentialiter includit: equus verò est corpus non solùm ratione materiæ, & viuificationis ab anima deriuatæ, sed etiã ratione ipsius animæ: ergo equus est corpus cõpletum, & homo incompletum: qua ergo ratione homo in tua sententia, & equus erũt vniuoce corpus?

SECTIO II.

An compositum realiter distinguatur à suis partibus, & vnione?

12 SVpposita doctrina sectionis præcedẽtis dissidium, quod restat in præsenti, videtur esse nominis; non rei. Pro decisione noto, partes, & vnionem posse sumi seorsim, & collectivè. Tunc sumuntur collectiuè in aliqua propositione, quando omnes significantur in recto; vt, si dicamus, *materia, forma, & vnio*. Seorsim verò sumuntur, quando quælibet significatur secundùm se præscindendo ab alijs: idem dicito, quando, etsi omnes significentur in propositione aliqua ex parte subiecti, aut ex parte prædicati, vna tamen ponitur in recto, & altera, vel aliæ in obliquo; vt, si dicamus: *materia vnita formæ*; vel, *materia, & forma vnitæ*. Ratio huius est: quia, quod ad veritatem propositionis attinet, perinde est dicere, materia est totum, ac, *materia vnita formæ est totum*: sed quando dicimus, *materia est totum*, sumimus materiam seorsim: ergo & quando dicimus, *materia vnita formæ est totum*, sumimus materiam seorsim. Maior probatur: quia in propositione non affirmamus identitatem eorum, quæ quouis modo ponuntur ex parte subiecti, & ex parte prædicati, sed tantum eorum, quæ tam ex parte subiecti, quàm ex parte prædicati ponuntur in recto; vt quando dico, *Petrus est albus* (quod est idem, ac *habens albedinem*) non affirmo identitatem inter Petrum, & albedinem, esset enim falsa propositio, sed inter Petrum, & id quod ex parte prædicati significatur in recto, id videlicet, quod est subiectum albedinis, seu habens albedinem: ergo, quod ad veritatem propositionis attinet, perinde est materiam significare solam ex parte subiecti in propositione, in qua affirmo esse idem cum toto, ac materiam significare in recto cũ reliquis in obliquo. His positis.

13 Dico primò: compositum distinguitur realiter à qualibet parte, seu vnione seorsim sumpta. Nullus est, qui dissideat ab hac conclusione. Ratio est clara: quia totum præter quamlibet ex illis tribus entitatibus, materiam videlicet, formam, aut vnionem, includit alias duas: ergo non est idem cum qualibet ex illis seorsim

sim sumpta, ac per consequens distinguitur ab illa. Hæc tamen distinctio est includentis ab incluso quia totum includit quamlibet ex illis entitatibus, & vltra illam alias duas. Idem dicito, si duæ ex illis sumantur seorsim ab alia, quod probatur eadem ratione. Et idem dicendum est, si totum comparetur cum omnibus illis entitatibus, ita tamen vt vna, vel duæ ponantur in recto, & aliæ duæ, vel alia ponantur in obliquo, iuxta doctrinam traditam numero præcedenti.

14 Dico secundò: compositum non distinguitur realiter à partibus, & vnione collectivè sumptis. Ita P. Suar. in Metaph. disputation. 36. section. 3. num. 6. vbi plures adducit, inter quos est Sanct. Thomas, libr. 4 contra Gent. capit. 81. ad 3. vbi nostram conclusionem expressè affirmat, & prima part. quæstion. 11. articul. 2 ad secundum. Alia testimonia Angelici Doctoris adducta pro contraria sententia explicat Pater Suarez loco citato. Eandem sententiam sequuntur P. Rubius, libr. 1. Physicor. capit 3. quæstion. 1. num. 66. & P. Hurtad. disputat. 6. section. 1 Et est iam communiter recepta inter nostros recentiores. Probatur quia, si totum distingueretur realiter a partibus, & vnione collectivè sumptis, idcò esset, quia adderet aliquid vltra illas, si enim nihil addit, nihil aliud est, quam ipsæ, atque adeò non distinguetur ab illis sed totum nihil addit vltra partes, & vnionem, vt probatum est sectione præcedenti: ergo non distinguitur realiter ab illis collectivè sumptis.

15 Confirmatur: quia id, quod addit totum vltra partes, & vnionem vel est tota essentia compositi, vel aliquid essentiæ. Non tota essentia: quia sequeretur, materiam, & formam non esse de essentia compositi ex illis coalescentis, quo quid absurdius? Neque est aliquid essentiæ: quia id nihil aliud esse posset, nisi illud esse à formâ derivatum in materiam, quod sectione præcedenti impugnavimus. Secundò, si aliquid daretur, quod simul cum forma, materia, & vnione essentiam compositi constitueret, iam totum compositum non distingueretur realiter à materia, forma, & vnione, & ab eo, quod addis, collectivè sumptis. Vndè sequeretur, rationes, quas præcipuè adducis pro tua sententia non magis esse contra nostram, quàm contra tuam, vt perpendenti singulas cõstabit.

16 Obiicies primò: Aristo. 5. Metap. cap. 14. text. 19 asserit, sex non esse bis tria, sed semel sex: *Substantia enim cuiusque ipsum semel, veluti ipsorum sex, non quibis, aut ter est, sed quia simul sex enim semel sex sunt*. Ergo sentit Philosophus totũ distingui à suis partibus. Respondeo, Aristot. mentẽ longè aliam esse ab ea, quã intendit obiectio. Ibi enim Philosophus

losophus distinguit duo genera qualitatum, vnum, quod sit differentia essentialis constitutiua rei in suo esse (differentias enim essentiales vocat Aristot. qualitates, & ideo dicit prædicari in quale quid.) Aliud genus qualitatum dicit esse, quod aduenit rei vltra differentiam constitutiuam sui esse. Primum dicit esse de essentia rei. Secundum verò extra essentiam, & id explicat in numero senario, in quo inueniuntur sex vnitates, quas possumus partiri in duos ternarios, vel in tres binarios, quæ partitio accidentalis est ipsis vnitatibus, & pertinens ad secundum genus qualitatum. Ait ergo Arist. de essentia, & primario conceptu senarij numeri, esse sex vnitates, quia sine istis non potest consistere, at vero bis tria, vel ter duo non esse de essentia senarij numeri; quia adhoc, vt senarius numerus componatur ex sex vnitatibus, per accidens est, quod intellectus eas reducat ad tres binarios, vel ad duos ternarios.

17 Obijcies secundo eundem Aristot. libr. 7 Metaph. cap 17. text 59 vbi ait, syllabam *Ba* non esse idem a *B* & *A*. Et lib 8. tex. 15 hæc habet *Omnium namque, quæcumque plures partes habent, & non est totum quasi coacervatio, sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes, est aliqua causa* Respondeo, Arist. his testimonijs nostram sententiam confirmare, cum asserat totum non esse partes solũ, sed addere aliquid aliud præter illas, nempè vnionem.

18 Obijcies tertio: materia, vnita formæ est quid distinctum à toto: ergo materia, forma, & vnio distinguuntur à toto. Consequentia probatur quia materia vnita formæ dicit materiam, formam, & vnionem. ergo, si materia vnita formæ distinguitur à toto, distinguentur etiam materia, forma, & vnio. Concedo primum antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens: materia vnita formæ dicit materiam, formam, & vnionem; primam in recto, & alias in obliquo concedo: omnes in recto, nego antecedens. Et deinde nego consequentiam iuxta dicta initio huius sectionis. Dices materia, forma, & vnio sunt idem cum toto ratione suarum entitatum, non quia hoc, vel illo modo significentur, ex eo enim, quod est vel non est res, propositio dicitur vera, vel falsa; nõ vero ex eo, quod res hoc, vel illo modo significetur ergo; si semel detur, quod materia, forma, & vnio sint idem cum toto, semper hoc erit verum, siuè significentur omnes in recto, siuè aliqua tantum in recto, & reliquæ in obliquo.

19 Respondeo, materiam, formam, & vnionem ratione suarum entitatum habere, & quod omnes simul sint idem cum toto, & quod quælibet seorsim distinguatur ab ipso toto. Cùm autem in propositione significantur omnes in recto, affirmatur totum esse idem,

cum

cum omnibus illis simul sumptis; cùm verò significatur vna tantum in recto, & alia in obliquo, affirmatur totum esse idem cum illâ tantùm, quæ significatur in recto iuxta dicta initio huius sectionis. Cæterum in primo casu propositio, in qua totum affirmatur de partibus, & vnione, est vera ex eo, quod res sint in se eo modo, quo significantur in propositione: in secundo verò casu, in quo totum affirmatur de materiâ positâ in recto cum alijs in obliquo, est falsa propositio, quia non sunt res in se eo modo, quo significantur in illâ. Vndè ad argumentum concedo antecedens, & nego consequentiam: quia, quando in propositione significatur vna pars in recto, & rel quę in obliquo, affirmatur totum esse idem cum illâ tantùm parte, quod quidem falsum est, cum res ita non se habeat.

20 Obijcies quartò: materia, & forma vnitæ causant realiter totum. ergo materia, & forma vnitæ distinguuntur à toto, quia omnis causa realis distinguitur realiter à suo effectu reali: sed materia, & forma vnitæ est idem, ac materia, forma, & vnio: ergo materia, forma, & vnio distinguuntur a toto. Concedo antecedens, & primam consequentiam; nego tamen minorem: quia, cum idem sit *materia, & forma vnitæ*, ac, *habentes vnionem*, iam in ea parte propositionis ponitur vnio in obliquo, atque adeo prædicatum illius minoris propositionis, vt vera esset, identificari deberet solùm cum materia, & forma, quæ ponuntur in recto ex parte subiecti: est autem falsum dicere totum (quod quidem est materia, forma; & vnio simul, & collectim sumptæ) esse idem cum materia, & forma solùm. Hinc est, quòd, licèt verum sit, quòd materia, & forma vnitæ, seu, quòd media vnione causent totum, ac per consequens, quòd ab illo distinguantur, dici tamen non potest, quod materia, forma, & vnio illud causent, & ab illo distinguantur; sed potiùs quod sint idem cum illo.

21 Rogas: an totum à suis partibus, & vnione collectivè sumptis distinguatur saltem per rationem? Nota, duplicem esse distinctionem rationis: vna, quæ duo distinguuntur; quia concipiuntur in ordine ad diuersa connotata; vt *animal* distinguitur à *rationali*, quia hoc concipitur in ordine ad ratiocinationem; illud verò in ordine ad sensationem. Alia distinctio rationis est, quando eadem prædicata concipiuntur expressè, vel confusè, vt contigit in *homine*, & *animali rationali*. Eadem enim prædicata, quæ concipimus per conceptum significantem *hominem*, concipimus per conceptum significantem *animal rationale*; sed iste conceptus significat prædicata hominis expressè; ille verò confusè: vnde *homo*, & *animal rationale* solùm distinguuntur, quia in *homine* involuitur natura hominis concepta confusè, in animali ve-

rò rationali eadem natura concepta expresse. Respondeo ergo, totum distingui à suis partibus, & vnione collectiuè sumptis per rationem hoc secundo modo, tanquàm confusum videlicèt ab expresso, non verò primo modo.

SECTIO. III.

Expediuntur aliqua de composito.

22 EX dictis facilè deducitur, materiam, formam, & vnionem esse integram essentiam totius, atque adeo quamlibet ex illis ad essentiam compositi pertinere. Ratio est: quia qualibet ablata tollitur è medio essentia compositi. De materia, & forma docet S. Thomas, opusc. de Ente, & essent. capit. 1. paulo post initium, & est certum. De vnione vero probatur: quia ablata vnione inter materiam, & animam Petri, desinit esse Petrus: ergo pertinet ad esse Petri alioqui, si materia, & forma solùm pertinerent ad essentiam Petri, cum post mortem existant materia, & forma Petri, existeret essentia Petri. Confirmatur: quia de essentia compositi, vt compositum est, est compositio, sicut de essentia albi, vt album est, est albedo: sed compositio, per quam totum componitur ex partibus, est vnio, vt iam sæpè diximus: ergo pertinet ad essentiam compositi.

23 Objcies Aristot. qui pluribus in locis absolutè docet, formã esse, *quod quid erat esse rei*: sed in phrasi Arist. idem est, *quod quid erat esse rei*, seu *quidditas rei*, ac, essentia ipsius rei: ergo iuxta mentem Aristot. sola forma est essentia compositi. Vidè P. Pereyr. libr. 6 suæ Physic. capit. 7. vbi congerit loca in quibus Philosophus hæc docet: præcipua sunt ex 7 Metaph. text. 9. & 10. & ex 8. Metaph. text. 12. Respondeo, Aristot. appellasse formã *quidditatem*, aut, *quod quid est esse rei*, nõ quia ipsa sit tota essentia compositi, sed quia materiam ex se indifferentem ad hanc, vel illam essentiam componendam determinat, vt hanc determinatè componat, propter quod vendicat sibi nomen quidditatis huius compositi, hoc est, partis non solum ex se determinatæ ad hanc essentiam, sed determinantis etiam materiam, vt hanc potiùs, quâm alteram constituat: neque enim in mentem alicuius philosophi vulgaris, nedum Principis philosophorum venire potuit, vt asseret totam essentiam hominis esse animam, præcipue cum ipse sæpe asserat, hominem esse animal rationale, quod soli animæ conuenire nequit, vt omnibus cõpertũ est. Dicamus ergo, vocari formã quiditatẽ cõpositi, nõ quia sit tota quidditas illius, sed quia est præcipua pars aliam partem determinans ad essentiam huius compositi potiùs, quam alterius componendam.

24 Maior difficultas est, an materia,

teria, forma, & vnio in individuo pertineant ad individuationem compositi, ita vt numero variata qualibet ex illis resultet distinctum numero compositum? Dico ergo in primis, materiam, & formam ita pertinere ad hoc numero compositum, vt qualibet ex illis numero variata, compositum sit diuersum numero. Moueor: quia hoc nomen *Petrus*; seu, *hic homo* verbi gratia, quæ imposita sunt ad significandum hoc individuum, determinate significant apud omnes hanc numero materiã, & hanc numero formam. Quod indè colligo: quia, cum Fides doceat, omnes homines in die iudicij eosdem numero surrecturos, inde sibi persuasum habent omnes fideles, coniungendam esse eandem numero animam cuiusq; cum eodem numero corpore, cui coniuncta erat in hac vita: quod quidem verum non esset, si hic numero homo solùm inuolueret determinate hanc numero animam, & non hanc numero materiam, sed vage hanc, vel illam. Vidè P. Suar. tom. 2. in tertiam partem, disputat. 44. sectio. 2. § *vt tamen non tantùm*, vbi adducit plures ex Patribus ad probandum in resurrectione restituendum esse idem numero corpus.

25 De vnione non est ita certum: an ad hoc numero compositum pertineat hæc numero vnio? quia, licèt certum sit, quod ad esse Petri pertineat vnio; non tamen est certum, quod debeat esse determinatè hæc numero, potest esse mm fieri, quod requiratur hæc, vel illa vage. Id explicari potest exẽplo satis ab omnibus recepto: nã suppositum coalescit ex subsistentia, & natura substantiali, & tamẽ ad hoc numero suppositum non requiritur hæc numero natura determinate, sed vage, hæc, vel illa, vt dicemus disp. 8. sect. 7. ergo idem posset dici de vnione respectu huius numero compositi. Dico ergo, incertum mihi esse, an hæc numero vnio determinate requiratur ad hoc mimero compositum, vel vagè hæc, vel illa? Crediderim tamen, hanc numero vnionem requiri determinatè ad hoc numero compositum.

26 Rogas: per quam actionem producatur totum? In primis certum existimo, necessarias esse tres actiones, vt producatur totum, quia continet tres entitates, quarum quælibet per diuersam actionem producitur, ac aliæ. Id certum est apud omnes de materia, & forma. De vnione verò probabo infra disp. 13. sect. vltim. produci per actionem diuersam à productione formæ. Est ergo difficultas in præsenti, quæ nam ex prædictis actionibus sit formaliter productio totius compositi?

27 Dico, actionẽ, per quã producitur vnio, esse productionẽ totiùs cõpositi. Ratio est, quia ea debet esse totius productio, qua posita ab agente nõ potest totũ nõ esse actu productum: sed talis est productio vnionis: ergo hæc est productio totius. Maior est certa nam, cum de essentia productionis, vt po è

quæ est modus, sit actuale exercitium causæ circa effectum, illa debet esse productio totiùs, per quam actu exercetur causa circa totum, illud producendo: implicat autem actu exerceri causam circa totum, illud producendo, & quod totum non sit productum. Minor vero probatur quia, posita productione vnionis, necessariò debet esse vnio, vt constat; item debent esse necessariò materia, & forma, quia, cum vnio sit modus materiæ, & formæ, non potest dari adhuc de potētia Dei, quin dentur materia, & forma: sed, datâ materiâ, formâ, & vnione, non potest non dari totum, vt constat ex dictis sectione præcedenti: ergo data productione vnionis non potest non dari totum productum.

28 Iam, quod, etiamsi dentur materia, & forma productæ, non sit necessarium, quod totum sit productum, patet quia, si dentur materia, & forma in rerum natura, & non detur vnio, non erit totum: ergo, etiam si producantur materia, & forma, dummodo vnio non producatur, non erit compositum productum: atqui produci possunt materia, & forma non productâ vnione, vt constat in homine, cuius materia, & forma dantur naturaliter sine vnione, & in reliquis compositis, quorum materia, & forma saltem de potentiâ Dei absoluta possunt dari sine vnione: ergo totum non producitur per productionem materiæ, & formæ præcisè, & formaliter, sed per productionem vnionis, aliis suppositis.

29 Ex hoc infero primò, cur totum dicatur generari, etiamsi vtraque pars producatur per creationem, vt contingit in homine. Ratio est, quia totū dicitur productū per actionē, per quā vnio producitur ergo per id genus actionis produci debet, per quod vnio producitur: sed vnio producitur per generationem, vt concedunt omnes. ergo & totum: ergo generatur. Infero secundò, quod si vnio crearetur, vt fieri posse probabo disput. 15. section. 4. etiamsi vtraque pars produceretur per eductionem, aut generationem; totū nihilominùs crearetur, quod quidem probatur eadem ratione, quâ præcedens corollarium.

DISPVTATIO VII.

De *Essentia, & existentia.*

PRopriam sedem habet in Metaphysica hæc disputatio, recentiores tamen occasione sumpta ex ea quæstione, in qua agitur; an materia habeat propriam existentiam, vel eam potiùs mutuo accipiat à forma? ex professo agunt in hoc lib. de Essentia, & existētia, eos sequar, & rem maximè difficilē, quoad fieri possit, conabor explicare.

SEC-

SECTIO I.

Aperitur ſtatus præſentis controuerſia.

PRo clariori deciſione quęſtionis oportet nonnullas voces explicare. Noto primò: eſſentiam hic ſumi pro connexione prædicatorum eſſentialium cum re ipſa, cui eſſentialia eſſe dicuntur; quæ cõnexio in eo conſiſtit, quòd res dari nequeat ſine talibus prædicatis ſecum identificatis, ita vt quotieſcunque detur res, dari debeant ipſa prædicata cum illâ identificata: hâc ratione *animal rationale* dicitur eſſentia hominis, quia, videlicet, dari nequit homo, quin ſit animal rationale. Exiſtentia verò ſumitur pro eſſe actuali rei, quo actu eſt in rerum naturâ. In hac igitur acceptione loquemur de eſſentia, & exiſtentia in hac diſputatione.

2 Noto ſecundò: eſſentiã creatam aliquando eſſe poſsibilem; aliquando exiſtentem. Tunc dicitur eſſe poſsibilis, quando verum eſt, poſſe a ſuis cauſis phyſicè produci. Exiſtens verò, quando actu eſt in rerum natura extra ſuas cauſas phyſicas, & reales. Ita tamen ſe habent hæc duo, vt cũ res eſt exiſtens, ſit etiam poſsibilis; quia, id quod actu eſt â ſuis cauſis, reuerà poteſt eſſe ab illis; non tamen neceſſarium eſt, quod quotieſcunq; res eſt poſsibilis, ſit exiſtens. Petrus enim ab æterno eſt poſsibilis, quia ab æterno verum fuit, poſſe produci à Deo, & tamen ab æterno non eſt exiſtens.

3 Notò tertiò; rem aliquam formaliter eſſe poſsibilem, nihil aliud eſſe, niſi quòd prædicata eius non repugnent ſecundùm ſe, ſeu non implicent contradictionem: prædicata autem ſecundùm ſe non repugnare, ſeu nõ implicare nihil aliud eſt, niſi quòd ſecundùm ſe talia ſint, quæ ſi aliquando fuerint in rerum natura, non erunt duo contradictoria, id enim ſignificat hoc, quod eſt, *non repugnare*, ſeu, *non implicare contradictionem*. Hinc colligo poſsibilitatem rei non diſtingui realiter à ſuis prædicatis eſſentialibus; ſed eſſe ipſamet prædicata ſecundùm ſe non repugnantia: quia poſsibilitas eſt id, quo res eſt poſsibilis, ſeu non repugnans: ſed prædicata rei poſsibilis ſunt ſe ipſis non repugnantia, & non per aliquid ſuperadditum, vt nullus non fatetur: ergo ſe ipſis ſunt poſsibilitas rei, cuius eſſentia eſſe dicuntur. Cæterum quando hæc poſsibilitas eſt rei creatæ, connotat ex natura ſua potentiam effectiuam, à quæ ponenda ſit in rerum natura, ſi forte ponenda ſit & ideo diſtingui ſolet duplex poſsibilitas; vna intrinſeca, quæ eſt ipſa non repugnantia intrinſeca prædicatorum eſſentialium inter ſe, altera extrinſeca, quæ eſt potentia effectiua, à qua hæc prædicata effici, ſeu produci poſſunt in rerum natura.

4 Noto quartò. duplicem eſſe potentiam communiter receptam apud Philoſophos; phyſicã videlicet, & obiectiuam, ſeu Logicam

gicam: Potentia physica dicitur quælcúet potentia realis, realiter proiectiua alicuius effectus realis aut ad illu ordinata ex natura sua. Ita is est virtus calefactiua ignis, & virtus receptiua, quæ est in materia respectu formarũ, & vnionis. Potẽtia obiectiua est posſibilitas intrinseca rei, seu non repugnãtia ad existendum hæc enim posſibilitas, seu non repugnantia rei ad existendu est quædã potentia, cuius proprius actus est existentia. Dicitur autẽ obiectiua potentia, quia est obiectũ omnipotẽtiæ Dei; hæc enim pro obiecto, seu termino habet totũ id, quod non implicat contradictionem. Præterea dicitur potentia logica, quia illã concipimus, & explicamus in ordine ad suum actum (existentiam videlicet) ac si reuerà esset potentia physica receptiua illius, cum reuerà non se habeat vt potentia physica respectu illius.

5 Noto quintò, essentiã in potentia aliquid importare, quod nõ importat essentia posſibilis secundũ se: essentia enim posſibilis solũ dicit prædicata intrinseca præcisè secundũ se sumpta, abstrahendo ab existentia, & negatione existentiæ. At vero essentia in potentia dicit essentiam posſibilem, & negatã existentia: particula enim *in potentia*; tam apud Aristot. & Philosophos, quam apud Theologos assumpta est ad significandam potentiam cũ negatione actus, ad quem ordinatur. Ex quo fit, quod de essentia aliqua existente potest vere affirmari, quod est posſibilis, seu potens existere: quia existẽtia actualis non destruit potentiã existendi, seu posſibilitatem, at verò non potest affirmari verè de essentia actu existente, quod sit in potentia ad existendũ; quia essentia in potentia ad existendũ involuit negationem existẽdi, quæ destruitur per ipsam existentiam.

6 His positis, certum est, essentiam in potẽtia prout in potentia distingui realiter ab existentia, eo modo, quo distinguitur negatio ab ente positiuo, quia essentia in potentia, vt diximus num. præcedenti, præter essentiam posſibilẽ dicit negationẽ existentiæ, quæ negatio distinguitur ab existẽtia realiter eo modo, quo negatio distingui potest ab ente. Solũ ergo procedit difficultas præsens de essentia posſibili secundùm se sumpta; ea enim, vt diximus num. 3. nihil aliud est, quã intrinseca prædicata rei secundũ se non repugnantiã. De hac ergo inquirimus, vtrũ distinguatur realiter ab existentia?

SECTIO II.

Opinio Thomistarum proponitur.

7 THomistæ omnes affirmãt, essentiam distingui realiter ab existẽtia. Ita Caiet. de Ente, & essen. cap. 5. quæst. 10. & 1. part. quæst 3. art. 4. Capreol. in 1. distin. 8. quæst. 1. Ferrar. 2. contra Gent. cap. 52 Soncin. 4 Metaph. quæst 12. Iauel. tract. de Trãsceñ. cap. 4. Bañez 1. par art. 4. dub. 2. Soto. 2. physic. quæst. 2. quibus subscripsit P. Molin. 1. p. quæst. 3. art. 4.

art. 4. disp. 2. & post illũ P. Albertinã in suis corollarijs. Aliqui ex his authoribus putant, existentiam distingui ab essentia tanquam modum a re. Alij verò tanquam rem à re. Omnes vero existimant ipsis patrocinari Angelicum Doctorem pluribus in locis, sed quo fundamento expendam infra.

8 Ratione probant suam sententiam. Primò quia ea, quæ realiter separantur, realiter distinguuntur: sed essentia separatur realiter ab existentia: ergo distinguitur realiter ab illa. Minorẽ probãt, quia essentia est ab æterno, ab æterno enim Petrus est animal rationale: existentia vero non est ab æterno; sed in tempore producitur à suis causis: ergo separatur essentia realiter ab existentia. Cõfirmatur: quia, si essentia non distingueretur realiter ab existentia, hæc esset propositio per se, & necessaria, *Petrus est existens*: at non potest esse necessaria, quia contingens est, quòd Petrus existat: ergo, &c. Maior probatur: quia propositio, in qua prædicatur essentia Petri de Petro, est per se, & necessaria, vt hæc; *Petrus est animal rationale* ergo quidquid est idem realiter cum essentia Petri prædicatur per se, & necessariò de Petro; sed per te existẽtia est idem realiter cum essentia. ergo prædicatur de Petro per propositionem per se, & necessariã.

9 Secundò probant: quia, si esse, seu existentia creaturæ est idem realiter cum essentia, sequitur, quod esse non sit realiter receptum in essentiã: si autem non est receptum (sermo est de esse, seu existentia creaturarum) erit esse illimitatũ, & infinitum, quod implicat, vt per se patet: ergo, &c. Minor probatur: quia, si existentia, seu esse Angeli non est receptum, sequitur, quòd sit esse subsistens ex vi suæ actualitatis: ergo est purus actus habens summam perfectionem in ratione essendi. ergo est esse infinitum, & illimitatum. Confirmatur: ideò essentia Dei est infinita, & illimitata, quia est suum esse realiter: ergo, si essentia creata est suum esse realiter, erit etiam infinita, & illimitata.

10 Tertiò: quia omnis creatura admittit verã, & realem cõpositionem; alioqui si daretur aliqua, quæ nullam cõpositionem realẽ admitteret, esset omnino simplex, quod videtur esse propriũ solus Deus: ergo debet habere cõpositionem realem ex essentia, & existentia. Probatur consequentia: quia, si potest dari creatura, quæ non sit realiter cõposita ex essentia, & existentia, poterit etiã dari creatura, quæ neque sit cõposita ex essentia, & subsistẽtia, neque ex essentia, & accidenti, si enim primũ non implicat, cur implicabit secundũ? Ergo poterit dari aliqua creatura, quæ nullam admittat cõpositionẽ realẽ, ac per consequens sit omnino simplex. Confirmatur quia vera potẽtia, & verus actus realiter distinguuntur: sed essentia est vera potẽtia, & existentia est verus actus: ergo realiter distinguuntur.

11 Quar-

11 Quartò quia Sacra Scriptura, & SS. Patres tribuunt essentiæ Diuinæ tanquam quid proprium ipsius, quod sit suum esse, hoc est, sua existentia: ergo non est hoc tribuendum essentiæ creatæ. Demq, quia humanitas Christi Domini non habuit propriam existentiam, quandoquidem existebat per existentiam Verbi. ergo essentia creata distinguitur realiter à sua existentia.

12 Animaduerte, hanc sententiam posse intelligi in duplici sensu. Primò, ita essentiam distingui realiter ab existentia, vt quando res in tempore producuntur, solùm producatur existentia; non verò essentia. Secundò, ita vt nó solùm producatur existentia; sed etiam essentia. Arbitror, authores huius sententiæ non loqui in primò sensu, licèt eorum rationes id videantur probare; sed solum in secundò; iuxta quem non omnes eodem modo philosophantur: quia nonnulli ex his putant, essentiam produci per diuersam actionem, ac existentiam. Ita communiter Thomistæ, qui materiã primam dicunt existere per existentiam formæ. Alij verò existimant, essentiam, & existentiam produci per eandem actionem, cuius terminus materialis sit essentia, terminus vero formalis existentia. Ita P. Molina, & Capreolus infra referendus.

SECTIO III.

Cõtraria sententia eligitur vt vera.

13 VEra sententia affirmat, essentiam creatam non distingui realiter ab existentia. Eam tenet Alensis, Aureol. Duran. Nominal. Scot. Gregor. Lichet. Aquil. Palac. Niph. & Herbæ. quos refert, & sequitur P. Suar. in Metaph. disp. 31. sect. 1. n. 12. His subscribunt fere omnes authores nostræ Societatis Pat. Vazq. tom 2. in 1. par. disp. 179. n. 6. P. Valen. & P. Pereyr. P. Rubio, quos refert, & sequitur P. Hurt. in Metaph. disp. 8. sect. 4. & est iam communiter recepta hæc sententia. vt autem clarius probetur, eam distribuam in varias conclusiones.

14 Dico primò: non solũ existentia creaturarum, sed etiam ipsarum essentia fuit in tempore producta à Deo. In hanc conclusionem consentiunt etiã Thomistæ; quia Cajet. & recentiores aliqui, 1. part. quæst 14. cap. 5. carpunt Scotũ, quem putabant asserere, creaturas habere aliquod esse æternum reale, & à Deo distinctum; quod ipse vocat esse quoddam diminutum ipsarum creaturarum. Deinde recentiores Diu. Thomæ expositores cũ Herbæo, & Soncinate 1. par. quæst. 20. artic. 3. & quæst. 46. artic. 1. inueniuntur in Henricũ, eo quod asseruerit, creaturas ex se habere quod dam esse essentiæ, quod ipse vocat esse reale æternum, & improductum conueniens creaturis independenter à Deo. Eandem conclusionẽ tradit Capreol. in 1. distinct 8. quæst 1. vbi, licèt aliquãdo videtur in contrariam sententiam inclinare, postea tamen se explic-

plicat paulo ante finem respon-
dendo ad quartum argumentum
Garronis, vbi docet essentiam
non creari prius, quam esse, seu
existentiam, sed eadem actione v-
tramq; produc.. & paulo post res-
pondens ad 1. argumentum alio-
rum negat, essentiã creaturarũ fuis-
se ab æterno extra Deũ, & addit
solũ fuisse tãquã id, quod intellectũ
est in intelligente. Idẽ docet ex-
pressis verbis Angelicus Doctor
q. 3. de pot. ar. 5. ad secundũ vbi
hæc habet: *Ad secundum dicendũ, quod ex hoc ipso, quod quidditati esse attribuitur, non solùm esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quia antequàm esse habeat, nihil est, nisi fortè in intellectu creãtis, vbi non est creaturã, sed creatrix essentia.* Vbi expressè affirmat, quando esse, hoc est, existentia tribuitur essentiæ per creationem, non solum esse, hoc est, existentiam; sed etiam essentiam produci.

15. Probatur primò conclusio ex capite *Firmiter* de summa Trinitate, & Fide Catholica, quod desumptum est ex Concilio Lateranens. secundo, in quo hæc habentur: *Deus sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam.* Ex quibus sic argumentor: in eo capite definitur, creaturas omnes spirituales, & corporeas productas fuisse à Deo in tempore: sed hæ creaturæ nihil aliud sunt, quam sua essentia: ergo essentia creaturarum producta est in tempore a Deo Huc facit illud ex primò Genes. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.*

16 Dices, creaturas dici a Deo in tempore productas; quia in tempore producta est illarum existentia. Sed contra primò: existentia creaturæ in tua sententia se ipsa est realiter distincta ab ipsa creatura: ergo distinctum quid est productam esse creaturam, ac productam esse eius existentiam: sed Concilium docet, creaturam esse conditam a Deo: ergo explicari nequit de productione existentiæ. Confirmatur: quia in sententia asserente, materiam existere per existentiam formæ, non dicitur materia absolute produci, seu fieri, quotiescunque in illâ fit noua forma, per quam denuò fiat existens; alioqui cũ ignis generat alium ignem in ligno, non solùm diceretur absolutè causa ignis; sed etiam materiæ, quam facit existentem per existentiam formæ denuò ab illo productam, quod nullus admittit: ergo ex eo solùm, quod producta fuerit a Deo in tempore existentia creaturarum, non possent dici ipsæ creaturæ absolutè factæ; sed solùm dicerentur fieri existentes, sicut materia dicitur fieri existens; quando in illa producitur existentia formæ.

17 Secundò: demus, quod sufficeret productio existentiæ, vt creaturæ dicerentur absolutè productæ, certè non possent dici productæ ex nihilo quia vt res aliqua dica-

dicatur ex nihilo produci, necessariũ est, quod nihil ipsius præsupponatur ad eius productionem; propterea, quando totum substantiæ modo generatur, non dicitur ex nihilo fieri, quia videlicèt, ad eius productionẽ præsupponitur materia, quæ est pars illius; sed in tua sententia ad productionem creaturæ; Angeli v. g. præsupponitur essentia ipsius Angeli prout distincta ab existentia, tanquam verum ens reale omnino improductum: ergo non potest dici Angelus ex nihilo productus: at hoc est contra Concilium Lateranense asserens, Deum ex nihilo condidisse creaturas in tempore: ergo, &c.

18 Dices, res dicì à Deo productas ex nihilo existentiæ, non ex nihilo essentiæ. Sed contra est, quo l etiam compositũ, quod producitur ex præsupposito subiecto, posset absolute dici fieri ex nihilo; quia licet non fiat ex nihilo materiæ, fit t men ex nihilo formæ. Et quidem, si semel admittamus, res posse dici absolute factas ex nihilo, eo quod factæ sint ex nihilo existentiæ, licèt non sint factæ ex nihilo essentiæ, nullum profecto argumentum desumi poterit ex sacrâ paginâ ad probandum, materiam non esse æternam & improductam, quod fide sanctum habemus ex illis verbis, *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Genes 1.

19 Secundò probatur conclusio ex SS. Patribus, & Doctoribus, qui aperte docent, quidquid à Deo factum non est, vel Deum esse, vel nihil esse. Ita Iustinus in expositione fidei, Cyrillus lib in Ioan. cap. 6. Augustin. lib. 1. de Trinit. cap. 6. & tract. 1. in Ioann. ad illa verba: *Omnia per ipsum facta sunt*, hæc habet aurea verba apud Maldon. cap. 1. in Ioan. num. 35. *Omnia per ipsum facta sunt* (ait Augustinus) *Quæcumque facta sunt in creaturis, omnia omnino, quæ fixa in cœlo sunt, quæ fulgent desuper, quæ volitant sub cœlo, & quæ mouentur in vniuersa natura rerum omnis omnino creatura.* Expende vltima verba: *Omnis omnino creatura*, quibus manifeste ostendit, nihil esse in creaturis, neq, ad creaturas pertinere intrinsece, quod non sit factum à Deo. Deinde nullus est ex sacris expositoribus, qui ad illa verba Ioannis, *Omnia per ipsum facta sunt*, admittat extra Deum aliquid, quod non sit factũ à Deo per Verbum, nisi peccatum quatenus tale Propterea Vuald. lib. 1. Doct. Fidei antiqu. cap. 8 merito refert inter errores Vvichlephi, quod dixerit, creaturas ab æterno habuisse aliquod esse reale distinctum ab esse Dei. Vide Toletum, & Maldonatum ad illa verba Ioannis: *Omnia per ipsum facta sunt.*

20 Ex dictis colligo, inania esse argumenta pro opposita sententia adducta sect. præcedente: quia, si Deus non solùm existentiam, sed etiam producit essentiam in tempore, necessarium est, quod essentia, adhuc vt distincta

ab

ab existentia sit contingens; quia quidquid Deus extra se producit, libere, & contingenter producit. Hinc fit primò contra primum argumentum, existentiam distinguendam non fore ab essentia ex eo, quod hæc sit æternæ, & necessariæ veritatis; secus illa. Fit secundò contra secundum argumentum, non bene colligi *esse*, seu existentiam creaturæ fore infinitam, si non reciperetur in essentia, quia ipsa essentia; quando à Deo producitur, non recipitur in alio, & nihilominùs non est infinita, & illimitata: cur ergo non posset idem dici de existentia?

21 Fit tertiò contra tertium argumentum; rectè posse creaturam admittere veram, & realem compositionem, etiamsi non sit cõposita; ex essentia, & existentia, quia, si essentia actualis, cum sit simplex, & in composita, adhuc vt distincta ab existentia non tollit omnimodam compositionem, cur eam tollet identitas essentiæ, & existentiæ? Fit quartò contra quartum argumentum, quod, si essentia prout distincta ab existentia potest esse suum esse actuale, quin ipsi concedatur aliquid, quod sit proprium Dei, etiam posset esse suum esse existens, quin aliquid Dei proprium haberet. Quâ vero ratione Deus à

SS Patribus, & Scriptura dicatur esse suum esse? dicam infra.

Secunda conclusio vera sententia.

22 DIco secundò: essentia possibilis ante actualẽ essentiæ productionem in tempore factam non est ens, quod simpliciter verè, & absolutè sit in rerũ natura ab æterno. Hæc conclusio haud difficilè colligitur ex præcedenti. Eam tamen denuo probo. Primò ex Arist. 9. Met. cap. 3. vbi hæc habet: *Non entibus, non attribuimus ipsum moueri; sed alias quasdam prædicationes, vt intelligibilia, & desiderabilia esse. Non entium enim quædam potẽtia sunt, non autem sunt* (intellige entia) *quoniam entelechia* (id est actu) *non sunt*: quibus verbis Arist. inter non entia enumerat ea, quæ, cũ possibilia sint, seu actu esse possint, non tamen actu sunt, & ex eo probat non esse entia, quia actu nõ sunt: ergo ex mente Arist. essentia possibilis, antequàm actu producatur, non est vere ens.

23 Secundò probatur ex S. Tho. 3. p. q. 10. ar. 3. in corpore vbi ait. *Dupliciter dicitur aliquid ens: vno modo simpliciter, quia, scilicet est ens actu, alio modo secundũ quid, quia est ens in potentia.* Vocat autem ens secundũ quid, non quia putet, essentiam possibilẽ, seu in potentia verè, & propriè habere aliquod esse in rerum natura, antequam actu producatur, id enim negauit S. Doctor adductus suprà conclusione præcedenti n. 14. sed quia, licèt pro eo tempore reuerà non sit, nihilominus potest esse, ita vt si ponatur in rerum natu-

tra, nullum sequetur contradictorium ex eius positione, in quo differt a chimæra, quæ non solum non est modò, sed neque potest esse, quia, si poneretur ex eius positione duplex contradictorium sequeretur, & propterea non dicitur ens secundùm quid. Eandem conclusionem tradit Anselmus in Monol. cap. 8. *Hoc igitur modo non inconuenienter intelligi potest, si dicitur creatrix essentia vniuersa fecisse de nihilo, siue quod vniuersa per illam facta sunt de nihilo, idest, quæ prius nihil erant, nunc sunt aliquid.*

24 Deinde probatur ratione: quia essentiam esse possibilem nihil aliud est, nisi quod non repugnet talis essentia, vt diximus sect. 1. & per se patet: sed in hoc, quod est non repugnare talem essentiam, nullum esse inuolvitur, quod verè, propriè, & absolutè sit in rerum natura antequam essentia producatur in tempore: ergo, &c. Minorem probo: quia hoc, quod est non repugnare, seu non implicare aliquam essentiam, nihil aliud est, nisi quòd, si talis essentia fuerit in rerum natura, non sequetur duplex contradictorium ex eo, quod sit: sed ad id necessariũ non est, quod essentia habeat in rerũ natura aliquod verum esse, antequã producatur ergo, &c. Minor probatur: quia, eo ipso quod quando producitur, vel est in rerũ natura, si aliquando producitur, vel est, non sequatur duplex contradictorium, vere affirmabitur ante eius productionẽ, quòd si poratur, non sequetur duplex contradictoriũ ex eius positione: ergo ad hoc, vt essentia creata non repugnet, non est necessariũ, quod habeat in rerum natura aliquod verum esse antequam producatur.

25 Confirmatur, quia vt Antechristus vere sit futurus, necessarium non est, quod modò habeat aliquod verum esse reale in rerum natura, quod dicatur esse futurũ, seu futuritio Antechristi; sed sufficit, quod reuerà habiturus sit existentiam tempore sequenti, ita vt, eo ipso quòd post quatuor, v. g. vel plures, vel pauciores annos existat, verissimè dicitur, *Antechristus est futurus*: ergo ad hoc, vt essentia aliqua, Petrus v.g. verè sit possibilis, necessarium non erit quod nunc, quando affirmo: *Petrus est possibilis*, sit in rerũ natura aliqua entitas Petri, quod sit esse possibile, seu possibilitas Petri, sed sufficit, quod, quando sit Petrus in rerũ natura, si fortè aliquando fuerit, non sequatur duplex contrariũ ex eius existentia. Probo consequentiam: quia ideò illa propositio de Antechristo futuro est nunc vera, etiamsi nunc non sit in rerum natura aliquod verum esse Antechristi, quia per illam non significatur esse nunc Antechristum; sed fore in alio tempore: atqui per hanc propositionem, *Petrus est possibilis*, non significatur, esse nunc Petrum, sed quòd, si aliquando fuerit in rerum natura, non sequetur duplex contradictoriũ ex eo, quod sit: ergo

talis propositio erit vera, etiamsi nunc absolutè non sit in rerum natura aliquod esse Petri, dummodò cum sit Petrus, si aliquādo fuerit, non sequatur duplex contradictorium.

26 Confirmatur secundò: ponetibi per possibile, vel impossibile, nullum modò dari esse Petri in rerum natura, & quod si eras produceretur à Deo nulla ex eius productione foret cōtradictio: certè hodie erit verū dicere, *Petrus est possibilis*, quia reuerà ex eius productione crastina nō sequetur duplex cōtradictoriū: ergo ad hoc, vt vere Petrus sit possibilis, nō requiritur per se loquēdo, quod quando vere affirmatur possibilis, actu sit in rerum natura; sed sufficit, quod quādo ponatur, si fortè ponitur, non sequatur duplex contradictorium ex eius positione.

27 Dices: ex eo, quod est res, vel non est, propositio est vera, vel falsa: sed ab æterno est verū dicere quod Petrus est possibilis: ergo ab æterno habet Petrus aliquod esse, ratione cuius sit vera ea propositio. Distinguo maiorē: ex eo quod res est, vel non est eo modo, quo affirmatur in propositione, propositio est vera vel falsa, concedo: ex eo, quod res est, vel non est absolutè in rerū natura, propositio est vera, vel falsa, nego maiorem. Est hoc obseruatione dignum, pro euitanda æquiuocatione in hac materia. Propositio semper erit vera, si res sit eo modo, vel tēpore, quod significatur in propositione, etiamsi nō sit eo tempore, quo profertur propositio, & ideò hæ propositiones, *Antichristus est futurus*, & *Petrus est mortuus*, sunt verę, etiamsi non sit Antichristus modò, neque Petrus, dummodo iste iam fuerit, & ille extiturus sit tempore venturo: quia per propositiones non affirmatur, quod sint modo; sed quod vnus erit, & alter iam fuerit. Idem ergo contingit in hac propositione: *Petrus est possibilis, seu non repugnans*, quæ quidē vera erit, etiā si nullum esse Petri modo de facto detur, dummodò quando Petrus fuerit, si forte fuerit, non sequatur duplex contradictorium, quia id tantum affirmatur per eam propositionem.

28 Vt autē id clarius intelligatur, aduertendū est, id esse discrimīnis inter propositiones de secūdo adiacente, & propositiones de tertio adiacē e (propositiones de secundo adiacente vocant dialectici eas, in quibus solùm verbum *sum es, fui*, prędicatur de subiecto, vt *Petrus, est fuit, vel erit*: propositiones de tertio adiacente dicunt illas, in quibus præter copulā aliud additur prædicatū distinctū ab ipsa, vt, *Petrus est albus, homo est animal*) quod in propositionibus de secundo adiacente, verbū *sum, es, fui* seruat propriā significationē, quæ est eadem, ac significatio verbi *existo*. Vnde *Petrus est, fuit, vel erit*, est idem, ac *Petrus existit, extitit, vel existet*. At verò in propositionibus de tertio adiacente verbum *sum* aliquādo deducitur à propria significatione ad alia significāda, ita contingit in his propositioni-

rum hæc *Petrus est mortuus*, & *non erit, fuit, & fuerit futurus*, in quibus particula *est*, quæ, si poneretur sine alio prædicato, significaret, Petrũ, & Antichristũ modo existere, quia tamẽ illi adduntur alia prædicata, prima significat, Petrũ extitisse, & nunc non existere, & secunda significat, Antichristũ non esse modo; sed fore tempore sequenti. Idem dicito in hac propositione, *Petrus est possibilis, seu non repugnans*; in qua particula *est* ratione prædicati adiuncti deducitur ad significandum, quod, si Petrus fuerit, nõ sequetur duplex contradictorium. Hanc vocant dialectici alienationem, quia ratione termini adiuncti trãsfertur copula à propriâ ad alienam significationẽ. Hoc idem observa circa propositiones, quæ sunt in materiâ necessariâ, vt, *Petrus est homo*, &c in quibus copula non significat actualem coniunctionem prædicati cum subiecto, sed solam necessariam connexionem vtriusque, ita vt sensus sit, *quotiescunque fuerit Petrus, debet esse homo*, & ideo est vera, etiamsi de facto non detur Petrus in rerum naturâ.

Soluuntur obiectiones aliquæ contra doctrinam traditam.

29 OBIICIES: nullum esse Petri datur in rerum naturâ, antequam producatur: ergo Petrus antequàm existat, est merum nihil. Respondeo *Id merũm nihil* duplicem sensum habere posse. Primum quod Petrus, antequã producatur sit negatio. Secundũ, quod non habeat, aliquod esse acto in rerũ naturâ ante sui productionẽ. In hoc secundo sensu consequens est verũ. In primo falsum, quia licèt Petrus possibilis nõ habeat esse, nunquam tamen est negatio alicuius rei. In quo distinguitur a chimerâ, quæ non solũ nõ est aliquid, sed etiã est mera negatio, vel saltẽ involuit meram negationẽ cũ sit impossibilis.

30 Obicies secundo. essentia possibilis antequàm producatur, verè cognoscitur à Deo: ergo antequàm producatur est verum ens cognoscibile. Duo hic distinguẽda sunt, & quod res antequàm producatur, verè sit cognoscibilis; & quod sit verũ ens in rerum naturâ. Hoc secundum non verificatur antequam res producatur, vt constat ex dictis in hac conclusione. Primum verò verificatur: quia sicut Deus non solùm potest vere cognoscere ea quæ actu sunt in rerum naturâ, sed etiam ea, quæ nondùm sunt, vel iam præterierè, ita etiam ipsæ res possunt terminare cognitionem Dei, non solùm quando actu sunt, sed etiam antequàm sint, & postquam fuere.

31 Hic est aduertendum, hanc propositionem *essentia est possibilis*, esse quasi conditionalem, quia, vt sæpè diximus, equipolet huic, *si Petrus vere fuerit, non erit duplex contradictorium*. Hæc autẽ est conditionalis, quia constat particula *si* tanquam copula, non tamen est propriè; sed quasi conditionalis, quia vt propriâ cõditionalis esset, necessariũ erat, quod conditio distinctũ quid esset ab illâ re, quę sub

stiam cadit: atqui in præsenti id, quod ponitur sub cõditione est, ipsa conditio, quia quod ponitur tãquam conditio, est existẽtia Petri. Præterea id, quod sub conditionẽ cadit, est non esse duplicis contradictorij, quod quidẽ non esse nihil aliud est quã ipsa existentia Petri, quia hæc est negatio, seu non esse suæ negationis, vt diximus disp. 4. sect. 2. & talis, qua ipsam negationem sui excludat. Dum autem negat suam negationẽ, & eam excludit, excludit, & negat contradictorium sui, ac per consequens excludit coniunctionẽ duplicis contradictorij. Ex quo fit, sensũ illius propositionis, propriè, & rigorosè loquendo esse hunc, *si Petrus extiterit, existet*, in quo distinguũtur possibilia ab his, quæ implicant; quia hæc sunt talia, quæ, si aliquando essent in rerum naturâ, non existerent solùm, sed existerent simul; & non existerent.

32 Ex his colliges, propositionem attingentem possibilitatem Petri, & propositionẽ attingentẽ existentiã ipsius Petri non distingui ex eo, quod vna ex parte obiecti attingat entitatẽ aliquam, aut prædicatũ, quod nõ attingat alia, sed solũ ex diuerso modo attingendi eadẽ prædicata; quia cognitio possibilitatis Petri attingit prædicata illius, vt existentia qualicõditionalis duplex contradictorij, vt dictũ est. cognitio vero existentiæ attingit eadẽ prædicata vt absolute existentia duplex illud cõtradictorij, quod quali cõditionaliter excluditur per possibilitatem.

SECTIO III.

Concluditur doctrina præcedentis.

33 Dico tertiò: essentia actualis non distinguitur realiter ab existentia (essentiam actualem voco illam, quæ producitur simul cum existentia, quando producuntur creaturæ, de qua egi cõclusione primâ.) Probatur conclusio; quia, si essentia actualis, & existentia Petri, v. g. distinguerentur realiter. vel quando Petrus producitur, produceretur essẽtia actualis, & existentia illius per diuersas actiones, vel per eandẽ. Si dicas primum: ergo essentia actualis, se ipsâ formaliter existit, & non per existentiam à se superadditã. Probo consequentiam: quia per illud formaliter est existens essentia, per quod formaliter est in rerũ naturâ extra suas causas: sed essẽtia actualis se ipsâ formaliter est in rerum naturâ extra suas causas: ergo, &c. Minorem probo, quia per illud formaliter essentia est extra suas causas, per quod formaliter terminat actionem suarum causarum: sed essentia actualis se ipsâ formaliter terminat actionem suarum causarum, hæc enim actio (vt supponimus) nullum aliud terminum habet præter essentiam actualem: ergo essentia actualis se ipsâ est formaliter existens, & non per existentiam à se superadditam. Si dicas secundùm: cum non solùm produci debeat per illam actionẽ existentia, sed etiam essentia actualis, sequitur, essentiam actualem

ſe, ſi terminare actionē ſuæ cauſæ, ac perconſequens ſe ipſa eſſe formaliter exiſtentem. Sequelam probo: quia ſe ipſo terminat productionem, id quo reverà producitur per ipſam productionē; ſed eſſentia actualis reuera producitur per actionem, vt tu fateris: ergo ſe ipſa terminat talem actionē: ergo ſe ipſa eſt formaliter in rerum natura exiſtēs extra cauſas. Ad quid ergo neceſſaria erit iſta tua exiſtētia ſuperaddita?

34 Reſpondent Thomiſtę nomine, verum eſſe, omnem eſſentiam ſe ipſa eſſe formaliter in rerum natura extra ſuas cauſas: at non eſſe exiſtentē ſe ipſa, quia exiſtere formaliter non eſt eſſe in rerum natura extra cauſas, ſed habere quoddam accidens cōſequens rem iam conſtitutam extra cauſas. Hæc reſponſio in primis deſtruit præcipua argumenta, quibus veteres Thomiſtæ probabant diſtinctionē realem inter eſſentiam, & exiſtentiā, qui quidem in eo præcipuè nitebātur, quod exiſtentia eſſet contingens, & temporanea, eſſentia verò neceſſaria, & æterna. Hi vero nouiores non fatentur eſſentiam actualem eſſe temporaneam, & contingentē ſicut exiſtentiam: vnde ergo probabunt addendum eſſe iſtud accidens rei iā cōſtituta extra cauſas.

35 Secundo habebuntur vocabulo exiſtentiæ, etenim apud antiquos exiſtentia illud dicebatur, per quod res creata eſt in rerum natura tranſlata de poſſibilitate ad actum eſſendi, & ideo illā appellabant eſſe rei, quia videlicet per illam res eſt in rerum naturā: id, quod expreſsè traditur a S. Thoma 1. part quæſt. 5. art 1. ad 1. his verbis: *nam, cum ens dicat aliquid propriè eſſe in actu actus autem propriè ordinem habeat ad potentiam; ſecundùm hoc aliquid dicitur ens,* (hoc eſt eſſe actu) *ſecundùm quod primò diſcernitur ab eo, quod eſt in potentia tantùm*, hoc eſt, in poſſibilitate: ergo, ſi eſſentia actualis ſe ipsâ formaliter eſt in rerum naturâ tranſlata de poſſibilitate ad actum, neceſſaria profecto non eſt alia exiſtentia ſuperaddita. Et quidem, ſi iſtud accidens addendū ſit rei iam conſtitutæ extra cauſas, vt formaliter dicatur exiſtēs, neſcio, cur non poſſimus aliud confingere, per quod dicatur formaliter cōſiſtens, & alia ſimilia?

36 Dico quarto: eſſentia poſſibilis non diſtinguitur realiter ab eſſentiâ actuali. Hæc concluſio faciè colligitur ex ſecunda concluſione. Probatur primo: quia eadē eſſentia actualis, quæ modo producitur, erat antea poſſibilis: ergo idē eſt eſſentia actualis, ac poſſibilis. Antecedens eſt certum tū quia eſſentia actualis, quæ modo producitur, potuit antea produci à Deo, vt per ſe patet tū etiā, quia, licèt deberet produci in hoc inſtanti, & nō antea, nihilominùs potuit affirmari antea de illa, quod produci poſſet in hoc inſtanti, quod quidem ſufficeret, vt toto tempore antecedenti verè diceretur abſolutè poſſibilis: quia ſicut Antichriſtus modo dicitur abſolutè futurus, etiamſi non ſit habiturus exi-

existentiam vsque ad certam differentiam temporis venturi, ita etiam non est, cur Petrus, qui produci potest in hoc instanti, non dicatur absolute possibilis toto tempore antecedenti.

37 Secundo, quia in sententiâ distinguentium essentiam ab existentiâ, existentia possibilis non distinguitur realiter ab existentiâ actuali: ergo neque essentia possibilis distingui debet ab essentiâ actuali. Antecedens probatur: quia si existentia possibilis realiter distingueretur ab actuali, hæc prout distincta ab illâ esset etiam possibilis, quia antequàm hæc produceretur, posset de illâ affirmari, quod esse posset in rerum naturâ. Vel ergo hæc possibilitas iterum distingueretur ab existentia actuali, vel non? Si hoc vltimum: ergo iam existentia actualis erit se ipsâ possibilis, neque necessariũ erit aliam possibilem confingere. Si vero dicas primum, dabitur processus in infinitum: dicendum ergò est, existentiam possibilem non distingui realiter ab actuali. Ex quo recte infertur, quod neque essentia possibilis realiter ab essentia actuali distinguatur: quia, si propter aliquam rationem distinguerentur, maxime, quiâ antequàm essentia sit actualis, est possibilis: sed existentia antequàm sit actu, est possibilis, & nihilominùs non distinguitur realiter ab existentia possibili per te: ergo neque essentia actualis distinguetur realiter à possibili, sed se ipsa erit possibilis sicut existentia.

38 Respondent Thomistæ, existentiam, cum sit ratio existendi, non indigere nouâ actualitate, per quã de possibili fiat existens; sed se ipsâ id præstare, sicut actio non fit per aliam actionem, neque vnio vnietur per aliam vnionem; sed se ipsis, quia illa est ratio agendi, & hæc ratio vniendi; at vero essentiam, cum non sit ratio existendi, indigere actualitate superadditâ, per quam reducatur ad actum. Sed contrà: vel existentia, quando est possibilis, est ratio existẽdi actualiter; vel non? Si primum: cum ab æterno fuerit possibilis, ab æterno fuit ratio existendi actualiter: ergo ab æterno fuit essentia existens, quando quidẽ ratio existendi actualiter non potest actu esse, quin illud cuius est ratio existendi, actu sit existens per illam; hoc autem quis concedat? Si verò ab æterno existentia possibilis non fuit ratio existendi actualiter, sed tantum potentialiter: ergo sicut non fit actualiter existens, per aliquid realiter distinctum ab existẽtia possibili, sic etiam essentia nõ fiet actualis per aliquid realiter distinctum ab essentia possibili. Neque exemplum de actione, & vnione fauet aduersarij, quia vnio (& idem est suo modo de actione) ita est ratio vniendi, vt nunquam esse possit in rerum naturâ, quin actu vniat, & ideò se ipsa sine vnione superadditâ id præstat, at vero existentia est possibilis, antequam actu existat, sicut essentia est possibilis antequam actu sit. Vnde, si illa potest

de possibili fieri existens se ipsa formaliter sine actualitate superaddita, essentia etiam poterit de possibili fieri actualis se ipsâ sine actualitate superaddita.

Satisfit obiectis contra praecedentem conclusionem.

39 OBIICIES primò essentia possibilis coniungitur cum negatione essentiæ actualis, seu existentiæ, quod idem est, vt diximus conclusione tertia: sed essentia actualis non potest coniungi cum negatione existentiæ, vt per se patet: ergo essentia actualis, & possibilis distinguuntur realiter. Maior videtur certa: quia antequam produceretur aliqua essentia, Petrus, v.g. verè erat possibilis, & nõ erat actualis, seu existens: ergo cõiungebatur tunc essentia possibilis cum negatione essentiæ actualis, seu existentiæ. Hoc argumentum, si probat, essentiam possibilem distingui ab essentia actuali, probat etiam existentiam possibilem distingui ab existentia actuali, quia existentia possibilis potest coniungi cum negatione existẽtiæ actualis; secus ipsa existentia actualis: ergo, si prædicta ratio probat distinctionem essentiæ possibilis, & actualis, probat etiam distinctionem existẽtiæ possibilis, & actualis; quam distinctionẽ negat mordicus obijciens.

40 Respondeo ergo ad obiectionem; hîc duo posse considerari, & quod verè affirmari possit, Petrum esse possibilẽ, & quod ipse Petrus possibilis, sit in rerũ natura. Primum quidẽ coniungi potest cum negatione existentiæ Petri, quia, vt sæpè diximus, vt verè affirmetur de Petro, quod est possibilis, necessariũ non est, quod ipse sit in rerũ naturâ. Secundũ verò nunquam coniungitur cum negatione existentiæ Petri, & ideo argumentum adductũ recte probat, propositionẽ affirmantẽ Petrũ esse possibilem distingui realiter ab existentia ipsius Petri, non tamen probat, ipsum Petrum possibilẽ distingui realiter à suâ existentiâ quia quotiescumque non est in rerum naturâ existentia Petri, non est in rerũ natura Petrus possibilis.

41 DICES: ex hoc videtur sequi negationẽ existentiæ Petri esse cõtradictoriũ ipsius Petri possibilis: hoc autem est falsum, quia darentur duo contradictoria simul vera cũ simul verificetur, quod Petrus sit possibilis, & quod non sit existens. Sequelã probo: quia contradictorium alicuius entitatis positiuæ est illa negatio, per quam destruitur, & removetur a rerum naturâ: sed per te per negationẽ existentiæ Petri removetur Petrus possibilis ab hoc, quod est esse in rerum naturâ: ergo est eius contradictorũ. Respondeo, dupliciter cõsiderari posse Petrũ possibilẽ. Vno modo, quatenus est in rerũ natura. Altero, vt est obiectũ huius propositionis; *Petrus est possibilis*. Si consideretur vt est in rerum naturâ, contradictorium eius est negatio existentiæ ipsius Petri, quia non est in rerum natura, nisi per existen-

tentiam identificatã realiter cum illo: at verò, si Petrus possibilis, consideretur vt obiectum illius propositionis, *Petrus est possibilis*, cum ad hoc vt sit vera talis propositio, necessarium non sit, quod, quando ipsa datur, Petrus habeat aliquod esse in rerum natura, sed solùm quod, si aliquando fuerit Petrus non inuoluat duplex contradictorium; fit, vt contradictorium illius non sit negatio existentiæ Petri, sed ea tantum, quæ negat, quod, si Petrus fuerit, non inuoluet duplex contradictorium, quod est negare Petrum esse possibilem.

42 Obijcies secundò. Petrus possibilis est indifferens ex se, vt sit actu, vel non sit actu in rerum natura: ergo, sicut quando est actu, realiter coniungitur cum sua existentia, ita etiam, quando non est actu, realiter coniungitur cum negatione suæ existentiæ. Distinguo antecedens: Petrus possibilis est indifferens vt subiectum prædicationis, concedo: vt subiectum receptionis, nego antecedens. Est dicere: Petrus possibilis non est indifferens ad existentiã, & nõ existentiã eo modo, quo potentia physicè receptiua est indifferens ad recipienda duo opposita accidentia; vt, paries respectu albedinis, & nigredinis; ideò dicitur indifferens, quia de illo potest in vera propositione affirmari esse existens; vel, non esse existens. Diuerso tamen modo se habet in his propositionibus, quia in hac propositione, *Petrus possibilis est non existens*: *Petrus possibilis* non significatur vt subiectũ, quod in se recipiat negationẽ existendi, vel cum illa realiter identificetur; sed vt obiectum, quod per negationẽ remouetur ab hoc, quod est esse in rerũ natura, vt, quando dicimus, *Petrus est mortuus*, nõ significatur in hac propositione *Petrus* vt subiectum recipiens mortẽ, vel vt identificatũ cũ ipsa morte, sed vt obiectum, quod per mortẽ remouetur à rerum natura. At verò in hac propositione, *Petrus possibilis est existens*, significatur *Petrus*, vt quid identificatũ realiter cum existentia qua significatur vt habens iam esse in rerũ natura, quod quidẽ habet per existẽtiam secum realiter identificatã; vt in superioribus probatum est.

SECTIO V.

Solumntur argumenta Thomistarũ.

43 EX dictis facilè soluũtur argumẽta cõtrariorũ adducta sect. 2. Ad primũ nego minorẽ, nẽpè, quod essentia separetur realiter ab existẽtia. Ad probationẽ nego, quod essẽtia sit ab æterno; quia licèt ab æterno verè affirmetur, quod Petrus est animal rationale, tamẽ copula in hac propositione, & similibus nõ significat Petrũ esse actu animal rationale, sed solũ significat cõnexionẽ talẽ inter Petrũ, & animal rationale, vt nullo modo possit esse Petrus in rerũ natura, quin sit animal rationale. Vnde sensus illius propositionis est; *quotiescũq; fuerit Petrus, erit animal rationale*, vt iuprà dictum est.

44 Ad confirmationem negõ

maiorem, videlicet, quod si essentia non distingueretur realiter ab existentiâ, hęc esset propositio per se, & necessaria, *Petrus est existens.* Ad probationem distinguo antecedens · propositio, in quâ prædicatur essentia Petri de Petro, est necessaria, si copula denotet coniunctionem absolutam, & actualē essentiæ Petri cum Petro, nego antecedens si denotet tantum coniunctionem conditionalē, vel quasi conditionalē, hoc est, *quod, quando*, vel, *si Petrus fuerit, necessario erit animal rationale*, concedo antecedens. Et distinguo similiter consequens · quidquid est idem realiter cum essentiâ Petri, prædicatur per se, & necessario de Petro, si copula denotet coniunctionem *absolutā* prædicati cum subiecto, nego · si denotet tantùm coniunctionem conditionalem, concedo consequentiam. Cum autem iuxta communem acceptionē in hâc propositione, *Petrus est existens*, copula denotet cōiunctionē, seu idētitatem actualē, & absolutam inter Petrum, & existentiā, &, hæc absoluta, & actualis identitas detur cōtingenter in rerū naturâ, ideo propositio est cōtingens. In alia verò propositione; *Petrus est animal rationale*, copula *est* solum importat sensum cōditionatum, vt diximus loco citato, & ideo propositio est necessaria.

45 Ad secundū argumentū respondeo, esse creaturarū, etiamsi nō recipiatur in essentia, nequaquàm esse illimitatū, & ideo nego minorem primi syllogismi. Ad probationem dico, ex hoc non sequi existentiam, seu esse Angeli, subsistens esse ex vi suæ actualitatis: quia ex eo, quod existentia identificetur cum essentia, non sequitur, quod subsistentia debeat etiā realiter identificari cum illa, vt dicemus num. sequente · ex quo etiā cōstabit, esse creaturæ non fore illimitatū, & infinitum, etiāsi identificaretur realiter cum subsistentia. Ad confirmationem dico, ideo essentiā Dei esse infinitam, quia est suū esse à se independens ab alio in genere efficientis; non verò quia identificetur realiter cum sua existentia.

46 Circa tertiū argumentum, in quo dicitur, omnē creaturā admittere veram, & realē cōpositionē, P. Suar. in Meta. disp. 31. sect. 13. num. 26. docet, non esse satis exploratū, neque demonstrari posse, possibilē non esse creaturā, quæ neque admittat cōpositionē in sua entitate, neq, ad illā ordinetur. Et quidē ratio formalis creaturæ saluaretur omnino ex eo, quod esset ens ab alio producibile, seu productū, licèt esset omnino simplex: per hoc enim, quod est ab alio esse, sufficienter distingueretur à Deo, qui est ens a se omnino independens ab alio. Sed, quidquid sit de hoc, admitto antecedens, nempè, quod omnis creatura inuoluat veram & realem compositionem, vel quia in se est entitas composita, vel quia ordinatur ad aliquā compositionem, nego tamen consequētiam, nempe quod creatura debeat habere compositionē ex essentia, & existentia. Ad probationem dico:

co; ex eo, quod detur creatura, quæ non sit composita ex essentiâ, & existentiâ, non inferri, quod possit dari creatura, quæ nec cõpositionem admittat ex essentiâ, & subsistentiâ, nec ex essentiâ, & accidentibus: quia ad hoc, vt asseramus primum, habemus efficacissima argumenta, vt constat ex sectionibus præcedentibus, quæ quidem argumenta non probant secundum, quod ex illo primo inferunt aduersarij.

47 Ad confirmationem distinguo maiorem: vera potentia obiectiua, & verus actus obiectiuus realiter distinguuntur, nego maiorem: vera potentia physica, & verus actus physicus realiter distinguuntur, concedo. Essentia autem est vera potentia obiectiua, seu logica, &, existentia verus actus obiectiuus, seu logicus, vt diximus sect. 1 & ideo non debent distingui realiter. Ratio disparitatis est: quia potentia logica nihil aliud est, quàm non repugnantia prædicatorum essentialium; hæc autem non repugnantia necessario inueniri debet in ipsis prædicatis existentibus, ita vt nõ distinguatur ab ipsâ existentiâ, vt satis probatum est in præcedentibus: at verò potentia physica vel est causa sui actus physici; vel saltem dicit ordinem essentialem ad illum, vt dicemus infra disp. 10. fieri autem non potest, quod aliquid sit causa sui ipsius, vel essentialem ordinem dicat ad se ipsum: & ideò potentia physica distingui debet realiter à suo actu, secus potentia logica.

48 Ad quartum argumentum respõdeo, duplici modo posse intelligi, quod Deus sit suum esse, aut sua existentia. Primo, ita vt essentia Dei, & existentia sint idẽ realiter; & hâc ratione nõ est proprium solius essentiæ Diuinæ esse suam existentiam; quia etiam conuenit creaturis, vt probauimus. Secundò, ita vt essentia Diuina taliter existat, vt per locũ ab intrinseco repugnet, quod nõ sit in rerũ naturâ, & hâc ratione est propriũ Dei esse suam existentiam, quia ex suis intrinsecis prædicatis repugnat illi non existere, quod quidẽ non conuenit creaturis.

49 Ad vltimum respondeo, humanitatem Christi Domini assumptam fuisse à Verbo cum propriâ existẽtiâ, neque extitisse per existentiam Verbi. Dum verò SS. Patres dicunt, non extitisse in se, sed in verbo, nõ intendunt docere, humanitatem verbi non habuisse propriam existentiam: etenim aliud est, quod humanitas habeat propriam existentiam; & aliud, quod existat in se: quia habere propriam existentiam est, quòd ipsa prout à Verbo distincta; sit vera entitas realis extra suas causas terminans productionem illarum, vt sæpe diximus; hoc autem habet humanitas Christi Domini per suam entitatem. at vero humanitatem existere in se nihil aliud est apud Patres, nisi quod existentia eius sit terminata propriâ subsistentiâ: cum autẽ humanitas Christi Domini non fuerit terminata propria subsistẽ-

tu, sed subsistentia Verbi, ideo dicuntur a Patribus non extitisse in se, sed in Verbo.

50 Ex hactenus dictis facile colligitur, an existentia creaturarũ sit simplex, vel cõposita? Nam, si essentia fuerit cõposita, vt, essentia hominis, quæ cõponitur ex materiâ & formâ vnitis, existentia etiam erit composita, quia est idẽ cum essentiâ. si vero essentia fuerit simplex, vt, essentia Angeli, existentia etiam erit simplex. Secundò colligitur, eandẽ causam, quæ producit existentiã creaturæ, producere etiam essentiã ipsius creaturæ, & quæ existentiã corrumpit, corrumpere itidem essentiam. Dũ autem communiter dicitur, essentias rerum creatarum esse ingenerabiles, & incorruptibiles, sano modo est intelligendũ quia duobus modis potest intelligi, quod essentiæ producantur, & corrumpantur Primo, quòad id, quod est esse, vel non esse actu in rerum naturâ Secundò, quoad hoc, quod est constare, vel nõ constare talibus prædicatis ex suppositione, quod dentur in rerũ naturâ. Primo modo sunt producibiles, & corruptibiles essentiæ, quia ab agente concurrente per actionem habent esse actu in rerũ natura ex, quæ antea no erãt, &, dũ agens cessat ab earũ cõseruatione, destruuntur. Secundo vero modo non sunt producibiles, & corruptibiles, qua, eo ipso quod sit homo in rerũ naturâ, necessarium est, quod sit animal rationale, ita vt nullâ potentiâ fieri possit, quod detur, & non sit animal rationale.

SECTIO VI.

Indagatur mens Angelici Doctoris.

51 PRæcipuum Thomistarum asylum ad adstruendã distinctionem realem inter essentiã, & existentiam creaturarũ est Doctor Angelicus, quem quidem in hâc sectione monstrare conabor stare pro nobis. Et in primis id cõstat ex lect. 2. super. 4. lib Metap. circa 3. text. Arist. vbi Arist. docet, idem esse, *vnus homo*, & *ens homo*, & *homo*, quod ex eo probat, quod quotiescunque generatur, & corrumpitur *homo*, generatur, & corrumpitur *ens homo*, & *vnus homo*. Verba Philosophi sunt eo text. *Idem enim vnus, & ens homo, ac homo, & non significat diuersum aliquid sed nsum dictionem repetitam, idest, homo, & homo, & vnus homo. Patet autem, quod non separatur ens, neque in generatione, neque in corruptione: similiter, & in vno, quare manifestum est, quod additio in his idem significat, & quod vnum nihil aliud est præter ens.* Hæc sunt verba Aristot. quibus apertè docet *ens*, & *vnum* in homine esse idem cum ipso homine; & probat, quia non potest generari neque corrumpi *homo*, quin *ens*, & *vnum* generentur, seu corrumpantur.

52 Incidens autẽ in hæc verba Philosophi Doctor Angelicus loco supra citato explicat, & confirmat rationem adductam Aristotelis suis verbis. *Quod quid* ***im*** *probat*

bat sic, idem enim est generari, & corrumpi hominem, & id quod est homo · quod ex hoc patet, quia generatio est via ad esse, & corruptio, mutatio ab esse ad non esse: unde nunquam generatur homo, q in generetur ens homo, neque unquam corrumpitur homo, quin corrumpatur ens homo. Quibus verbis ex eo, quod generatio terminetur ad *esse* (quo nomine significatur existentia apud S. Thomam) deducit, nunquam generari hominem, quin generetur *ens homo*, & *esse* ipsius hominis: addit enim, *quæ autem simul generantur, & corrumpuntur sunt unum*, vt ostendat esse vnum quid hominem, & esse hominis. Præterea paulo inferius docet, ita esse vnum re essentiam, & esse, vt sint diuersa secundum rationem: ait enim; *patet autem ex prædicta ratione non solum quod sunt vnum re, sed quod differũt ratione nam si nõ differunt ratione, essent penitus synonyma, & sic nugatio esset cum dicitur ens homo, vel vnus homo.* Vt autem explicet qua ratione differant addit, *sciendum est enim, quod hoc nomen homo imponitur a quidditate siue à natura hominis, hoc nomen res imponitur à quidditate tantum, hoc verò nomen ens imponitur ab actu essendi, &c.* & demque concludit. *unde ista tria res, ens, & vnum significant omnino idem, sed secundum diuersas rationes:* Quibus verbis expresse docet S. Thom. actum essendi, qui denotatur per hoc nomen *ens*, esse idem realiter cum quidditate, seu naturâ; differre tamen per rationem.

53 Post hæc cum explicuisset rationem aliam, qua Aristoteles probauerat *ens*, & *vnum* non distingui à substantiâ, seu quidditate, refert opinionem Auicennæ, quæ est eadem eisdem verbis cum sententiâ, quam defendunt Thomistæ circa distinctionem essentiæ, & existentiæ, & statim eam improbat. Verba S. Thomæ sunt: *sciendum est autem, quod circa hoc Auicena aliud sensit, dicit enim, quod vnum, & ens non significant substantiam rei, sed significant aliquid additum, & de ente quidem hoc dicebat, quia in quali bet re, ona habet esse ab alio, aliud est esse rei, & substantia, siue essentia eius: hoc autem nomen ens significat ipsum esse, significat igitur, vt videtur aliquid additum essentiæ. De vero autem hoc dicebat quia, &c* Ecce prop sita a S. Thomâ sententia; & ratio Auicennæ eisdem verbis, quibus Thomistæ modo adstruunt distinctionem realem inter essentiam, & existentiam. Audito impugnationem ipsius Angelici Doctoris *sed in primo quidem* (in eo, videlicet quem citerat Auicena de ente.) *non videtur dixisse recte, esse enim rei, quamuis sit aliud ab, eius essentia, non tamen est intelligendum, quod sit aliquid superadditum ad modum accidentis, sed quasi constituitur per principia essentiæ, & ideo hoc nomen ens, quod imponitur ab ipso esse significat*

fiat idem eum nomine, quod imponitur ab ipsa essentia. Perpende hæc vltima verba. Certe si nostrã sententiam vellet tradere, & oppositam impugnare ex professo, non posset vti verbis clarioribus pro nobis.

54 Idem tradidit. 1 par. quæ. 5 art. 1. ad 1. vbi at: *Nam, cum ens dicat aliquid proprie esse in actu, actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam, secundum hoc aliquid dicitur ens, secundum quod primo discernitur ab eo, quod est in potentia tantum. Hoc autem est esse substantiale rei vnius cuiusque vnde et ipsum esse substantiale dicitur vnumquodque ens simpliciter.* Quibus verbis D. Thomas primò docet, vnumquodque dici ens simpliciter per id, per quod primo dicernitur ab hoc quod est esse in potentiã tantùm, hoc est, a merâ possibilitate. Secundò docet, esse cuiusq, rei esse id, per quod discernitur ab hoc, quod est esse in potentiâ tantùm, nempe a merâ possibilitate. Cum autem in sententiâ S. Thomæ, vt vidimus supra num. 14. Essentia ipsa rerũ prodicatur in tempore, fit; vt antequàm illi addatur nouus alius modus, sit iam seipsâ primo discreta à possibilitate, ac perconsequens, quod ipsa essentia actualis in sententiâ S Thomæ sit suum esse realiter, hoc est, sua existentia.

55 Ex his colligo primò, quo d, quandò S. Thomas asserit, essentiam creatam distingui â suo esse, &, creaturas componi ex essentiâ, & esse, intelligendus est de distinctione, & compositione non reali; sed rationis. Hanc autem distinctionem Deo denegat, cum dicit, Deum esse suum esse, secus creaturis. quia, vt dicemus sectione sequente in fine. cum Deus sit ens à se, non potest aliquo modo concipi connexio prædicatorum essentialium Dei, quin ipsa prædicata concipiantur existentia, & ideo essentia Dei non distinguitur adhuc formaliter à suo esse; sed est formaliter suum esse: seu existentia. Creaturæ verò, cum sint entia libere, & contingenter producta, possunt concipi secundùm connexionem prædicatorum essentialium, quin concipiatur earum existentia, & ideo essentia creaturarum non est formaliter sua existentia. Secundò colligo, vbicunque docet S. Thomas, essentiam, & esse creaturarum se habere tanquam potentiam, & actum, loqui de potentia, & actu obiectiuis, & logicis, non vero physicis, hoc est, de potentiâ recipiente per passionem, & actu recepto.

Satisfit obiectionibus.

56 Sed obijciunt ipsum Doctorem Angelicum opusculo de Ente, & essentia, vbi videtur manifeste docere, essentiam, & esse distingui in creatis tanquam potentiam physicam, & actũ physicum Nam. cap. 4. postquã dixerat, in Deo non esse aliud essentiã ab esse, sed essentiã Dei esse ipsum esse Dei, addit postea, diuerso modo inueniri essentiã in creaturis,

tam

tam ſpiritualibus, quam materialibus; & de ſpiritualibus hæc habet *Secundo modo inuenitur eſſentia in ſubſtantijs creatis intellectualibus, in quibus eſt aliud eſſe, quam eſſentia earum, quamuis eſſentia ſit ſine materia.* Vbi aperte docet eſſentiam, & eſſe diſtingui in creaturis adhuc intellectualibus. Quod autem loquatur de diſtinctione reali, quæ datur inter potentiam phyſicam, & actum phyſicum, videtur monſtrari ex ſubſequentibus: *Vnde earum eſſe non eſt abſolutum, ſed receptũ, & ideo limitatum, & finitum ad capacitatem naturæ recipientis: at natura, vel quidditas earum eſt abſoluta non recepta in aliqua materia.*

57 Ex quibus hic poteſt deduci argumẽtũ S. Thom docet eſſe, ſeu exiſtentiam recipi in naturâ: ergo ſentit diſtingui ab illâ, tanquam actum à potentiâ receptiuâ: ſed potentia receptiua eſt potẽtia phyſica, quia materia prima nulla alia de cauſa eſt potentia phyſica, niſi quia eſt potẽtia receptiua formarum: ergo diſtinguit eſſentiam ab exiſtentiâ tanquam potentiâ phyſicam ab actu phyſico. Confirmatur, quia eam receptionem concedit S. Thomas exiſtentiæ, quam negat naturæ, ſed naturæ negat recipi in aliquâ cauſâ materiali: ergo affirmat exiſtentiam recipi in naturâ tanquam in cauſa materiali ſed cauſa materialis ſe habet vt phyſica potentia reſpecta rei receptæ, ergo eſſentia, &c.

58 Nullum non mouent lapidem Thomiſtæ vt Doctorem Angelicum pertrahant ad ſententiã, à quâ procul abfuit. Adſis tantiſper oſtendam ex verbis S. Thom. nihil deduci poſſe, quod ipſis faueat. Noto primo, hoc, quod eſt eſſe receptum, duo poſſe denotare: poteſt enim denotare efficiens, à quo recipitur; & poteſt denotare materiã in quâ recipitur. Rurſus dupliciter poteſt dici aliquid recipi in materiã. Vno modo, quia materia ſe habet vt ſubiectũ recipiens illud in genere cauſæ materialis per veram paſſionem. Alio modo, vt denotetur, id, quod recipitur ab alio eſſe ſecundũ naturam ſuam materiale: ſic ſolet hiſpanè dici, *è recebido eſtos dueſdos en libros*; nõ quidem, quia accipiantur ſcuta libris inuoluta; ſed, vt denoret quis, ſe accepiſſe libros, qui ſint valoris centum aureorum.

59 Dico ergo, quod, dum S. Thomas docet, eſſe ſubſtantiarum intellectualium eſſe receptum, & limitatum ad capacitatem naturæ recipientis, nihil aliud eis verbis ſignificare, niſi quod creatura intellectualis ſuam entitatem acceperit à Deo tanquam à cauſâ efficiente. Neque ad verificandum hanc locutionem eſt neceſſaria diſtinctio realis inter naturã recipientem, & eſſe receptum. ſicut enim, propriè loquendo, Deus dicitur ſe ipſum donaſſe hominibus, licèt nulla diſtinctio realis ſit inter Deum, & ſe ipſum, ita etiã propriè loquẽdo dicitur natura creata ſuum eſſe, ſeu ſuam entitatem recipere à Deo, licèt nulla ſit diſtinctio

stinctio realiter inter naturã creatam, & esse, seu entitatem receptã. Quod autẽ D. Thomas in hoc sensu loquatur, statim ostendam.

60 Deinde quando S. Thomas addit, *naturam, seu quidditatem sub tantarum intellectualium non esse receptam in aliqua materia*, non negat, esse receptam in materia tanquam in causa materiali, sed tantum negat, illam naturam, seu quidditatem, quam docuerat anteà recipere suam entitatem a Deo, hanc inquam, negat, recipere entitatem, quæ secũdum suam naturam sit materialis, seu corporea. Constat aperte hæc explicatio ex verbis S. Thomæ in eodem capite circa finẽ, vbi assignans tertium modum, quo se potest habere essentia, *hæc habet: Tertiò modo inuenitur essentia in substantijs compositis ex materia, & forma in quibus ipsum esse est receptum, & finitũ propter hoc, quod ab alio esse habent.* Et addit *& iterum natura, vel quidditas earum est recepta in materia signata.*

61 Ex quibus verbis vltimis sic argumentor eo modo negant Doctor Angelicus, substantiam intellectualem recipi in materiã, quo concessit, naturam, vel quidditatem substantiæ corpoream esse receptã in materiã signatã, siquidem in hoc distinguit naturam intellectualem á corporeã quod illa non est recepta in aliquã materiã, & hæc est recepta in materiã signata: sed in sententiã S. Thomæ natura, vel quidditas substantiæ corpoream non est recepta in materiã signatã tanquàm in subiecto, seu potẽtiã receptiuã per passionem ergo in prioribus verbis non negat, naturam intellectualem esse receptam in materiã tanquam in subiecto. Minor patet: quia in sententiã S. Thomæ natura, seu quidditas corporeæ substantiæ est totum compositum; materia videlicet, & forma: sed compositum ex materia, & formã non recipitur in aliquã materiã tanquàm in subiecto recipiente per passionem: ergo, &c. Maior constat ex eodem opusculo de Ente, & essentia cap. 1. paulo post principium, vbi, cum docuisset, essentiam pluribus nominibus significari, quia, videlicet, dicitur *quidditas, forma, & natura*, hæc addit aurea verba. *In substantijs ergo compositis materia, & forma notæ sunt, vt, in homine anima, & corpus. Non autem potest dici: quod alterum illorum tantùm essentia esse dicatur, quod enim materia sola non sit essentia rei planum est, &c. Non autem forma tantùm est essentia substantiæ compositæ, quamuis quidam hoc asserere conentur.*

62 Ecce verba S. Thomæ, quibus ipse probat meãm maiorem propositionem, nempe, quòd materia, & forma simul, sint essentia, seu quidditas substantiæ corporeæ cum autem certum sit, totum compositũ non recipi in materiã aliquã tanquàm in subiecto recipiente, reliquum fit, quod quando S. Thomas docet, naturã, seu quidditatem substantiæ corporeæ

porez eſſ· receptam in materiâ ſi-gnatâ, nõ loq iatur de receptione in materiâ tanquam in ſubiecto; ſed ſo ùm velit, recipi talem natu rã in materiâ ſignata, quia à Deo tanquàm ab efficiẽte recipit quid ditatem, & eſſentiam talis naturę, quæ ſecundum ſe ſit materialis, & corporea. Ex hoc autem conſtat, quod quan lo S. Thomas in eo loco dicit, *eſſe*, ſeu *exiſtentiam* creaturarum, non eſſe abſolutam, ſed receptam ad capacitatem naturæ recipientis, loquitur de eſſe recepto à Deo tanquam ab efficiente, non vero de eſſe recepto in naturâ tanquàm in ſubiecto illud recipiente per paſsionem. Cuius ratio colligitur ex dictis: quia illũ modum receptionis cõcedit exiſtentiæ naturæ intellectualis, quẽ negat ipſi naturæ intellectuali: at huic non negat receptionem in materiâ tanquam in ſubiecto recipiente, vt probatum eſt; ſed ſolùm, negat ſubſtantiam intellectualem recipere â Deo tanquam ab efficiente eſſentiam, quæ ſecundum ſe ſit materialis, & corporea: ergo ſolum concedit exiſtentiæ, quod recipiatur â Deo tanquam ab efficiente, nõ vero, quod recipiatur in ſubiecto.

SECTIO. VII.

Quomodo eſſentia ab exiſtentia diſtinguatur.

63 PRobata iam idẽtitate reali inter eſſentiam, & exiſtentiã, examinare oportet, an, & quo modo diſtinguantur per rationem? Et quidem certum eſt, non ita diſtingui, vt vna ſine altera eſſentia abſtrahi poſsit à poſſibilitate, & exiſtẽtia quia illa debet eſſe prima, & abſtractiſsima ratio entis, per quam primo ſeparatur a chimæra ſed per poſsibilitatem, ſeu nõ repugnantiam primò ſeparatur à chimæra: ergo poſsibilitas eſt prima, & abſtractiſsima ratio entis, ac perconſequens ab illa non poterit alia ſuperior abſtrahi. Minor probatur quia ratio formalis chimerę, eſt eſſe intrinſecè impoſsibilem ſed qod primo, & immediatè opponitur huic rationi eſt intrinſeca poſsibilitas, ſeu non repugnãtia: ergo per hanc primò ſeparatur ens quodlibet, ſeu quælibet eſſentia à chimæra: ergo eſt prima, ſuprema, & abſtractiſsima ratio entis. Solum ergo procedit difficultas de diſtinctione rationis inter eſſentiam poſsibilem ſecundùm ſe ſumptam, & actualem, ſeu exiſtentiam.

64 Pro deciſione ſuppono primò id, quod apud logicos eſt certum, nempe, duplicem eſſe diſtinctionem rationis: vnam rationis ratiocinatæ; aliam rationis ratiocinantis. Hæc eſt, quæ à noſtro intellectu fit abſque vllo fundamento in rebus ipſis, illa vero, quæ per intellectum fit cum fundamento aliquo in rebus ipſis, in quibus talis fingitur diſtinctio. exempla ſunt obuia apud logicos. Suppono ſecundo id, quod dixi in Log. diſp. 4. nempe diſtinctionem rationis ratiocinatæ non contingere per præciſionem obiectiuã, ſed per præciſionem formalem.

Vt ſean-

Videantur, quæ ibidem sect 1. & 2. dixi circa præcisionem obiectiuam, & formalem.

65 Suppono tertiò, distinctionem rationis ratiocinatæ, vnã esse adæquatam, alteram vero inadæquatam. De his late egi in Log. disp. 13. sect 7. Adæquata est illa, quæ versatur inter duo extrema, quorum quodlibet potest expresse concipi sine alio: talis est quæ datur inter animal, & rationale, quia & animal potest expressè concipi, non concepto expressè rationali, & è contra. Inadæquata vero est illa, quæ datur inter extrema, (si ita vocare liceat) quorum vnum potest concipi expressè non concepto alio expresse; non vero è contrà talis est, quæ datur inter ens, & eius attributa, nempe verum, bonum, vnum, quia ens potest expressè concipi, quin concipiantur expressè attributa, quia possumus concipere ens, quin recordemur, an sit verum, vnum, &c non vero è cõtra, neque enim possimus concipere verum, aut bonum, &c. quin concipiamus esse aliquid, ac perconsequens quin concipiamus ens. Eandem distinctionem dixi loco citato, versari inter ens ex vnà parte, & differentias substantiæ, & accidentis ex aliâ parte. His positis.

66 Certum est primò, dari aliquam distinctionẽ rationis inter essentiam possibilem, & actualem, seu existentiam: quia reuera potest concipi Petrus possibilis, quin concipiatur actualiter existere, vt per se patet. Certum est secundò, hanc distinctionem esse rationis ratiocinatæ: quia antequàm Petrus realiter existat, verè est possibilis: ergo ex parte obiecti est aliquod fundamẽtum vt concipiamus essentiam Petri possibilem, quin illam concipiamus existentem. Solùm ergo est difficultas, qualis sit hæc distinctio rationis ratiocinatæ, an adæquata, vel inadæquata? Omissis aliorũ sententijs, quæ videri possunt apud P. Suar. quem iam refero.

67 Ipse P. Suar. in Metaph. disp 31. sect. 6 num. 23. docet, in eo distingui essentiam ab existentia, quod res dicatur, & sit essentia, quatenus constituitur sub tali genere, & specie: existentia vero, seu existens, quatenus est extra causas in rerum naturâ. In eandem fere sententiam recidunt P. Vazq. 1. part. disp. 104. num. 12. & disp. 182. num. 9. 10. & 14. & Basilius Legion. in quodl. quæst. 8. scholastica capit. 8. & resol. 5. Hanc sententiam existimo veram, vt tamen eam explicite tradam.

68 Dico primo: essentia possibilis secundum se sumpta, & existentia distinguuntur per rationem inadæquatè tantùm. Ita P. Hurt. in Metaph. disp. 8. nu. 71. Probatur quia ea distinguũtur per rationem inadæquate, quorum vnũ potest expresse concipi non concepto expresse alio; nõ verò è cõtra, vt diximus num. 5. sed essentia possibilis potest concipi expressè sine existentia; non vero è contrà: ergo distinguuntur inadæquate.

quatè: Minorem probo: quia in primis Petrus possibilis potest concipi exprese non concepta eius existentia; potest enim concipi vt non repugnans, quin concipiatur existens, vt per se patet: deinde existentia Petri nõ potest expresè concipi, quin Petrus concipiatur vt possibilis; quia ratio formalis possibilitatis cõsistit in eo, quod prædicata sint talia, quæ quatenùs ex se est componi nequeant in rerum natura cum duplici contradictorio, nempè cum hoc, quod est simul esse, & non esse: sed, eo ipso quod Petrus concipiatur vt existens, concipitur vt incompossibilis, quatenus ex se est, cum duplici illo contradictorio: ergo concipitur formaliter vt possibilis. Minorem probo: quia Petrum esse formaliter existentem, seu extra causas recte explicatur per hoc, quod est de facto excludere à rerum naturâ negationem suæ existentiæ: ergo, eo ipso quod concipitur vt existens, concipitur vt de facto excludens à rerum natura negationem suæ existentiæ. atqui id præstat se ipso, & non per aliquid superadditum: ergo concipitur vt destruens se ipso negationem suæ existentiæ: ergo concipitur vt incompossibilis, quatenus ex se est, cum illo duplici contradictorio, nempè *esse simul, & non esse* illa eo ipso, quod destruit se ipso negationem suæ existentiæ, tollit ex se coniunctionem sui cum negatione suæ existentiæ, vt per se patet: ergo concipitur formaliter vt possibilis.

69 Dices: tunc concipimus essentiam aliquam, Petrum verbi gratia, præcise vt possibilem, quando illum concipimus vt excludentem quasi sub conditione duo contradictoria, vt diximus supra sect. 4. sed quando concipimus existentiam Petri, non concipimus Petrum vt excludentem quasi sub conditione duo contradictoria; sed Petrum vt absolute, & de facto illa excludentem: ergo in conceptu existentiæ non involuitur conceptus possibilitatis. Nego minorem: nam ideò dicitur Petrus possibilis excludere quasi sub conditione duo contradictoria, quia quando illum concipimus præcise vt possibilem, nihil aliud concipimus, nisi quod, si fuerit, non erit duplex contradictorium, nempè esse simul & non esse: hoc autem nihil aliud est, nisi quod prædicata eius talia sint, quæ quatenus est ex se excludant duplex contradictorium, præscindendo ab eo, quod de facto excludant, vel non excludant. Dum vero concipimus existentiam absolute excludere se ipsa duo contradictoria, necessarium est, quod concipiamus, habere id formaliter ratione huius, quatenus est ex se, ac per consequens in existentia concipimus ipsam possibilitatem formaliter.

70 Dico secundo: essentia possibilis non abstrahitur ab existentia tanquam conceptus superior

rior ab inferiori: Ita P. Suarez, in Metaph disputat. 31. sect. 6. numer. 14. 15 & 23. Probatur: quantùm vnus conceptus abstrahitur ab alio vt superior ab inferiori, quandò non solum potest contrahi per illud, sed etiam per aliam differentiam: sed essentia possibilis non potest contrahi, nisi per existentiam solam: ergo non est quid superius respectu existentiæ. Minor probatur: quia nihil aliud potest participare rationem entis, seu essentiæ possibilis, nisi ens, seu essentia existens, vt satis constat ex sectione 3. & 4.

71 Dico tertiò: essentia possibilis, & existentia se habent, (nostro modo concipiendi) vt essentia metaphysica, & attributum, seu propria passio illius, ad eum modum quo se habent ens, & verum, bonum, &c. Ita P. Suarez supra citatus. Probatur, quia illud se habet vt essentia metaphysica in aliqua entitate, quod à nobis concipitur vt primum constitutiuum illius entitatis; deinde illud se habet vt attributum, quod à nobis concipitur vt additum illi primo constitutiuo: sed ita se habet nostro modo concipiendi essentia possibilis Petri, verbigratia, & eius existentia: ergo se habebunt vt essentia metaphysica, & attributum illius. Maior datur ab omnibus, qui admittunt, necessarium non esse, vt totum illud, quod identificatur realiter cum aliqua entitate pertineat ad essentiam metaphysicam illius: hi alitem sunt ferè omnes Philosophi, & Theologi. Minorem probo: quia id concipitur à nobis vt primum constitutiuum alicuius entitatis, per quod ipsa entitas primò constituitur in aliquo determinato genere, aut specie: sed Petrus per suam essentiam possibilem constituitur primò in specie determinata, & separatur ab omnibus aliis speciebus; quia, vt ego concipiam, hominem esse particularem, speciem ab aliis distinctam, nihil aliud necessarium est, nisi quod concipiam esse possibile, seu non repugnare principium aliquod, quod sit sensitiuum & ratiocinatiuum, & sine hoc conceptu nó cognoscam esse peculiarem speciem: deinde existentia concipitur à nobis, vt quid additum homini post possibilitatem, prius enim est (nostro modo concipiendi) quod homo sit possibilis, quam quod sit existens, vt per se patet: ergo essentia possibilis, & existentia se habent vt essentia, & attributum.

72 Dices primo: essentia non potest dari sine attributo. sed potest essentia possibilis esse sine existentia: ergo hæc non est attributum illius. Distinguo minorem, potest essentia possibilis esse in rerum natura sine existentia, nego, esse obiectiue in intellectu sine existentia, concedo minorem. Quod autem possit esse in intellectu obiectiue sine existentia, non solùm non obest, vt existentia possit esse attributum illius,

dius; sed potiùs est necessarium
bàs, si sola essentia possibilis
non posset concipi sine exi-
tia, vtraque pertineret ad primam
rum conceptum rei.

173 Dices secundò: id quod concipitur vt essentia, debet esse perfectius eo, quod concipitur vt attributum, essentia enim semper est perfectior, quam passiones, & attributa ipsius; sed existentia est perfectior, quam essentia possibilis, quia existentia est vere, & simpliciter ens; at verò essentia possibilis est tantum ens secundùm quid: ergo non potest (adhuc nostro modo concipiendi) se habere essentia possibilis vt essentia metaphysica rei, & existentia vt attributum. Respondeo, maiorem esse veram, quando essentia, & attributum sunt duo conceptus se mutuò excludentes, secùs, quando conceptus essentiæ non involuit conceptum attributi; conceptus verò attributi involuit conceptum essentiæ: cum autem hac ratione res se habeat in essentia possibili, & existentia, rectè possunt se habere vt essentia, & attributum.

174 Ea, quæ hucusque diximus, de distinctione rationis, essentiæ possibilis, & existentiæ, vera tantum sunt in creaturis, quia in Deo nullo modo est distinguenda essentia possibilis ab existentia. Ratio est, quia de conceptu formali, & intrinseco Dei, vt talis est, & distincto à creaturis, est esse ens à se, ergo de ratione Dei vt talis, est esse necessariò existentem; quia vt implicet contradictionem non existere, ergo non possunt concipi intrinseca prædicata Dei, vt sint Dei, quin concipiantur vt existentia: ergo nec ratione nostra potest in Deo distingui essentia possibilis ipsius Dei ab existentia eiusdem. Confirmatur: quia quando Deus concipitur vt possibilis, concipitur vt non repugnans existere a se: ergo vt non repugnans ita necessariò existere, vt implicet contradictionem non existere: sed non potest concipi vt non repugnans necessariò existere, quin concipiatur vt existens, vt vel ex ipsis terminis constat: ergo non potest concipi possibilitas Dei sine existentia eiusdem: ergo essentia possibilis, & existentia non distinguuntur in Deo adhuc per rationem.

175 Ipsum est advertendum, possibilitatem creaturarum aliquam dependentiam habere ab omnipotentia Dei, & ideo hanc esse quasi naturam priorem creaturis adhuc possibilibus. Ratio est, quia quamvis creaturæ non producantur à Deo, quoad hoc quod est esse possibiles (ad hoc enim, vt verè sint possibiles, necessarium non est, quod de facto detur aliqua productio actualis, per quam à Deo participetur possibilitatem, vt constat ex dict. sect. 3. & 4.) nihilominus ipsæ non essent possibiles, nisi non daretur omnipotentia Dei, in cuius virtute continetur, tanquam in potentia proxima illarum: quia, cùm essentialiter sint per participationem ab

habent connexionem essentialem cum Deo; a quo huiusmodi esse participare debent: Vnde necessarium est, quod aliquam dependentiam habeant adhuc vt possibiles ab omnipotentia Dei, ac per cōsequens, quod hæc sit aliquo modo prior illis. Omnipotentia vero Dei secundum se sumpta nullā connexionem seu dependentiam habet à creaturis, vt dicemus disput. 10.

DISPVTATIO VIII.

De Supposito, & subsistentia.

SVbsistentia est vltimum complementum compositi substantialis in suo esse substantiali, atq; ideo oportet ad calcem huius primi libri Physicorū (ad quem pertinet explicatio eorum, quæ ad essentiam, & integritatem compositi substantialis conducunt) essentiam, & naturam subsistentiæ inuestigare.

SECTIO I.

Explicatis nominibus definiuntur, suppositum, & subsistentia.

1 CIrca significationem huius nominis *hypostasis*; quod græce est idem, ac latine *subsistentia*, magna fuit olim inter Ecclesiæ Patres disceptatio, qui videri possunt apud P. Vazquez tomo 2. in primam part. disputat. 124. nunc autem de ea solùm agimus sub ea significatione, quæ communiter est, iam admissa apud Theologos, & Philosophos, quod, vt melius fiat, oportet aduertere discrimen, quod est inter *personam*, *suppositum*, *subsistentiam*, & *naturam substantialem*. *Natura* enim *substantialis* est substantia illa, siue simplex, siue composita ex materiâ, & formâ, quæ est apta terminari, & compleri per subsistentiam ad componendum suppositum. Dicitur autem *natura*, quia est prima radix proprietatum, & operationum, quæ inueniuntur in supposito, vel ab illo procedunt ad extra (subsistentia enim, si ad operandum requiritur, solum se habet vt conditio nō vt radix prædictarum operationum) & propter eandem rationem dicitur essentia substantialis. Hinc est, quod in Deo sola Deitas dicatur *natura*, seu *essentia Diuina*, quia ipsa est, quæ concipitur vt radix attributorum, & est principium operationum, quas Deus habet extra se. personalitates verò, verbi gratia *Paternitas*, *Filiatio*, & *Spiratio* dicuntur esse formaliter extra essentiam, quia ipsæ non pertinent ad rationem principij productiui operationum ad extra, creaturarū videlicet, sed ad rationem radicis attributorum.

2 *Subsistentia* est quædam perfectio substantialis, quæ consequitur naturam substantialem tāquam complementum, & vltima perfectio illius in esse substantiali. *Suppositum* dicitur totum quod resultat ex *subsistentiâ*, & *naturâ* substantiali siue viuente, siue

siuè non vniente, siuè rationali, siuè non rationali. *Persona* verò dicitur suppositum, quod constat natura rationali, atque adeo *suppositum, & persona* se habent quasi superius, & inferius: suppositum enim se extendit adquamlibet naturam substantialem, persona verò solùm ad rationalem, atque adeo sola subsistentia, quæ est terminus, & complementum naturæ rationalis dicitur personalitas. Hæc nominum explicatio. Essentiam verò rerum significatarum per hæc nomina, explico in sequentibus.

3 Et quidem, cum in cognitionem *subsistentiæ*, seu *personalitatis*, deuenerimus ex cognitione *personæ*, oportet personæ definitionem enodare, vt inde quid sit *personalitas*, & *subsistentia* facilè colligamus. Boetius libr. de duabus naturis, pagin. 3. sic definiuit personam: *Persona est individua substantia rationalis naturæ*. Verum, si hæc definitio intelligenda est, vt verba sonant, non rectè explicat rationem personæ: quia essentia Diuina prout præcisa a personalitatibus non est persona; & nihilominùs est, *rationalis natura*, vt patet, & *substantia individua*, quia est individuum substantiæ, non ratio aliqua communis: ergo non rectè explicatur persona per illam definitionem. Hac de causa Ricardus de Sancto Victor. libr. 4. de Trinitat. capit. 22. loquens de persona Diuina aliter eam definiuit his verbis: *Est naturæ diuinæ incommunicabilis existentia*, & capit. 23. alia addidit, ex quibus colligitur definitio communis omni personæ, quæ talis est: *Rationalis naturæ incommunicabilis existentia*: quam definitionem maximè commendat Scotus in primo distinct. 23. quæstion. 1 §. *Ad quæstionem*: eaque vsus est in Concilio Florentino sessione 19. post medium Ioannes quidam Theologus pro Ecclesia Latina disputans cum Græcis, iamque admissa est ab omnibus Theologis. In hanc recidit definitio Boetij, quia vt P. Vazquez docet tom. 2. in 1. part. ad quæstion. 29 S. Thomæ artic. 1. idem intellexit Boetius, per illa verba *individua substantia*, &c. Ricardus per illa, *incommunicabilis existentia*.

4 Porrò oportet aduertere, hic non sumi existentiam à Ricardo pro esse, seu actu, quo natura rationalis est in rerum natura existens (de quo egimus disput. præcedenti 5) sed pro toto substantiali resultante ex natura rationali, & subsistentia. Expressit id ipse Ricardus 4. de Trinitate, capit. 12. agens de etymologia huius nominis *existentia*, & clarius capit. 26. vbi loquens de Sanctissima Trinitate hæc habet: *Communem autem existentiam diximus, vbi intelligitur esse habens ex proprietate communi*. Ecce existentiam, per quam essentia Diuina est actu in rerum natura. Deinde addit. *Incommunicabilem verò, vbi intelligitur esse habens ex proprietate incommuni-*

cabili: Ecce existentiam, quam ponit in definitione personæ, eamque dicit, esse illud, quod provenit naturæ Diuinæ ex personalitate, quod quidem nihil aliud est, nisi totum resultans ex naturâ Diuinâ, & ipsâ personalitate. Et idem dicendum est in reliquis personis.

3. Idem probatur ratione: quia non est de conceptu personæ vt sic, quod existentia, per quam formaliter existit natura rationalis fiat per subsistentiam incommunicabilis: ergo non potest hæc existentia intelligi in definitione tradita à Ricardo. Antecedens probatur: quia existentia, per quam formaliter existit natura Diuina non redditur incommunicabilis per Paternitatem, quæ est subsistentia, seu personalitas Patris: imò potiùs positâ Paternitate manet communicabilis Filio, & Spiritui Sancto: ergo non est de ratione personæ, quod existentia, per quam formaliter existit natura, sit incommunicabilis. Hoc autem conuenit toti resultanti ex natura, & personalitate ergo de hoc toto intelligenda est definitio Ricardi, & non de aliâ existentiâ. Non melatet, in suppositis, seu personis creatis non solùm suppositum esse incommunicabile; sed etiam naturam substantialem positâ subsistentiâ non posse communicari alteri supposito ex naturâ rei, quia natura substantialis creata, tantum est capax vnius subsistentiæ. Vndè verò illi proueniat hæc incommunicabilitas dicam infra.

6. Ex his colligo, sensum definitionis *Personæ* esse hunc: *Persona est totum substantiale resultans ex naturâ rationali taliter, vt non sit vltra communicabile.* Per tò *ex naturâ rationali*, intelligunt Theologi substantiam completam rationalem, qualis est substantia Angelica, Humanitas, & Natura Diuina, non verò incompletam, qualis est anima rationalis; quia nullus dixit, animam rationalem separatam à corpore constituere personam; etiamsi habeat modum perfectionis, & vnita sit alicui personæ, vt fuit anima Christi Domini in triduo mortis. Quæ vero debeat esse incommunicabilitas conuenies personæ, constabit ex sect. 3.

7. Ex prædictâ definitione deduxerunt Theologi, & Philosophi definitionem suppositi in hunc modum: *Suppositum est substantialis naturæ incommunicabilis existentiâ*; quæ eodem modo ac definitio personæ tradita à Ricardo explicanda est. Hinc definies subsistentiam: *Est vltimus terminus, & complementum naturæ substantialis, quod simul cum illâ constituit vnum substantiale incommunicabile.* Quæ definitio ex dictis partim explicata manet, & partim explicabitur ex dicendis.

SEC-

SECTIO. II.

Vtrùm subsistentia sit aliquid positiuum?

7 SVppono, subsistentiam in rebus creatis distingui realiter à naturâ substãtiali, quod quidem ex mysterio Incarnationis nobis innotuit, cum Fide sanctum sit, Verbum Diuinum assumpsisse humanitatem, & non suppositum humanum: si autem subsistentia esset idem realiter cum humanitate, non posset realiter assumi humanitas, quin assumeretur realiter subsistentia, ac per consequens suppositum humanũ. Neque potest dici, humanitatem esse realiter suam subsistentiam in ratione essendi; non tamen denominari subsistentem in Verbo per propriam subsistentiam, quia ad hoc, vt taliter denominetur, requiritur, quod nõ sit vnita alteri supposito. Hoc, inquam, nullius est momenti: quia ad hoc, vt forma, quæ in ratione essendi est subsistẽtia, tribuat suam denominationẽ subiecto, sufficit, quod illi applicetur vel per identitatem, vel per vnionem ergo, si subsistentia propria humanitatis est idem realiter cum ipsa humanitate, tribuet illi sẽper suã denominationẽ; siuè vniatur, siuè nõ vniatur alteri supposito. Vide, quę diximus, disp. 5. sect. 1. circa distinctionem vnionis ab extremis.

8 Ex distinctione subsistentiæ ab humanitate rectè infertur distinctio realis subsistentiæ à reliquis naturis substantialibus irrationalibus: quia, si homo, cum sit perfectior, admittit compositionem realem in suo esse substantiali ex naturâ, & subsistentiâ, cur non admittent substantiæ multò imperfectiores homine? De Angelis verò est maior difficultas: nam ex vna parte non potest deduci argumentum ab homine ad Angelos: quia, cum Angeli sint multò perfectiores homine, rectè poterunt carere compositione, quam propter suam imperfectionẽ habet homo: ex aliâ verò parte non videtur implicare natura creata indistincta realiter à subsistentiâ, ratio enim creaturæ sufficienter seruaretur in eo, quod penderet ab alio tanquam ab efficiente. Si autem non implicat talis natura, non est fundamentum ad asserendũ Angelũ non esse talẽ.

9 Nihilominꝰ probabiliꝰ existimo, naturam Angelicam distingui realiter à suâ subsistentiâ, neq; esse possibilem naturam creatam, quæ sit idem realiter cum suâ subsistentiâ Ratio est, quia nulla dari potest substantia creata, quæ sit idem realiter cum suâ operatione: ergo neq, cum suâ subsistentia. Antecedens cõmuniter admittitur à Theologis. Cõsequentia videtur legitima quia ex communi philosophorum consensu operari sequitur esse, quod quidem saltem est verum, quoad perfectionem, & simplicitatem; experitur enim, quod, quo simplicior, & perfectior est res quoad esse, eo simplicior, & perfectior est eius operatio, vt apparet in viuẽtibus respectu nõviuẽtiũ, & in rationalibus respectu irra-

tionaliũ: ergo, si nulla potest esse creatura, quæ ita perfectã, & simplicé operationẽ habeat, vt sit idẽ realiter cum ipsa, nulla poterit dari, quæ esse habeat ita perfectum, & simplex, vt nullam inuoluat distinctionem realem.

10 Bene video, esse aliquos, qui putent, non implicare creaturam, quæ sit idem realiter cum sua operatione. Verum hi aduersantur prorsùs communi Theologorum sensui asserentium, hanc identitatem Deo conuenire propter summam eius perfectionem: cùm autem nulla creatura summa polleat perfectione, esse idem nõ poterit cum sua operatione. Supposito ergo, quod natura substantialis, & subsistentia distinguũtur realiter in creatis, examinandum est, in subsistentia sit aliquid positiuum, vel potiùs negatiuum?

11 Scotus in 3. distin. 1. quæst. 1 § *Non asserendo*, & alibi adductus a P. Suarez in Metaph. disputat. 34. sect. 2. num. 8. docet, suppositum creatum nihil positiuum addere supra naturam substantialem, sed solùm duplicem negationem, in qua formaliter constituit subsistentia. Vna est negatio aptitudinalis dependentiæ, alia negatio dependentiæ actualis. Ex defectu primæ dicit, animam rationalem separatam, non esse suppositum, quia est apta dependere à toto composito, etiam si acta non sit in illo. Ex defectu secundæ ait, humanitatem Christi Domini non esse suppositum creatum: quia licet non sit apta, vel, vt melius dicam, non petat dependere ab alio suppositô, actu tamen dependet a Diuino, quia actu est in illo. Rationes Scoti infrà soluentur.

12 Hæc sententia est falsa: quia ex ea deduci videtur in Christo Domino remansisse defacto idem suppositum creatum, quod esset, si humanitas assumpta non fuisset à Verbo, hoc autem contradicit Fidei. Sequelam probo: quia in Christo Domino fuit humanitas cum negatione dependentiæ aptitudinalis, vt fatetur Scotus: deinde fuit etiã cum negatione dependentiæ actualis, quia humanitas postquã assumpta fuit à Verbo, fuit actu independens ab ipso Verbo, neque enim ab illo dependebat in genere causæ materialis, aut formalis, vt perse patet, neque in genere causæ efficientis, quia, vt docent omnes Theologi, personalitas Verbi in humanitate assumpta nullum effectum causat in genere causæ efficientis ipsi soli respondentem; neque dependet humanitas à Verbo tanquam a termino, seu conditione, sine qua ex natura rei non posset conseruari, quia per se naturaliter conseruaretur hæc humanitas sine vnione ad Verbum: non igitur habet dependentia actualem a verbo, ac per conseques in Christo habet duplicem illam negationem, per quam dicis, constitui suppositum creatum.

13 Respondebis pro Scoto, suppositum creatum præter illam duplicem negationem inuoluere etiam

etiam negationem, seu carentiam vnionis ad aliud suppositum, quæ quidem carentia destruitur in humanitate Christi Domini per vnionem ad Verbum, atque adeo destruitur etiam suppositum creatũ. Sed contra hoc est, quod in sententia omnium Theologorum subsistentiæ Verbi vnita humanitati subrogata est illi loco propriæ subsistentiæ vt suppleret vices illius: sed non potest supplere vices carentiæ vnionis: ergo carentia vnionis non inuoluitur in subsistentia propria humanitatis. Minor probatur: quia vnio Verbi ad humanitatem est contradictorium carentiæ vnionis: atqui vnum cõtradictorium non potest supplere vices alterius, quandoquidem omnino destruit omnes effectus illius, vt certum est in præsenti, nam carentia vnionis separat naturam à quocunque supposito; vnio verò coniungit illam supposito. carentia reddit naturam interminatam; vnio vero constituit terminatam, &c ergo subsistentia Verbi vnita humanitati non potest subrogari pro carentia vnionis, ad suppliendas vices illius.

114 Vera ergo sententia asserit, subsistentiam creatam esse aliquid positivum additum naturæ substantiali. Ita P. Vazq. tom. 1 in 3 par disp. 31. cap. 6. P. Suar. in Metaph disput 33. sect. 2. P. Vlent tom 4 disp. 1 quæst. 4. punct 1 P. Hurt. in Metaph. disput. 11. s. & 3 & communiter authores nostræ Societatis. Probatur primò: quia in Diuinis subsistentia est aliquid positivum: ergo & in rebus creatis. Secundò, quia subsistentia est vltima perfectio, & vltimum complemẽtum naturæ substantialis in suo esse substantiali, vt concedunt omnes: est ergo aliquid positiuum. Consequentia probatur, quia perficere aliud est illi addere aliquam perfectionem: sed negatio nõ potest addere naturæ substãtiali aliquam perfectionem, quandoquidem nihil aliud communicat naturæ nisi se ipsam: ipsa autem non est perfectio; sed potiùs carentia perfectionis, cum sit carentia entis, & reuera nihil: ergo si subsistentia est perfectio naturæ substantialis, necessarium est, quod sit aliquid positiuum. Tertiò: quia homo prout hoc nomine significatur, est vera substantia pertinens ad prædicamentum substantiæ, vt fatentur omnes: ergo quidquid includit, prout hoc nomine significatur, debet esse substantiale, quia, vt sæpe diximus, quidquid est de conceptu substantiæ, debet esse substantiale: sed homo, prout hoc nomine significatur, non solùm dicit humanitatem, sed etiam subsistẽtiam, vt concedunt omnes. ergo subsistẽtia est aliquid substantiale; at negatio dependẽtiæ, & vnionis non est quid substantiale, cum reuerà sit nihil: ergo, &c. Hinc refutata manet sententia aliquorum Thomistarum asserentium, suppositum constitui per proprietates quasdam characteristicas accidentales.

115 Obijcies primò: humanitas

tis Chriſti Domini fuit aſſumpta cum omni entitate poſitiuâ ſibi debita (teſte Damaſcen. lib 6) ſed non fuit aſſumpta ſubſiſtentia propria humanitatis ergo non eſt aliquid poſitiuum. Diſtinguo antecedens fuit aſſumpta cũ omni entitate poſitiuâ nõ repugnante vnitati ſuppoſiti, concedo repugnante, nego antecedens. Itaq, ea omnia fuerunt aſſumpta, quę pertinẽt ad humanitatem vt diſtinctam à ſuppoſito.

16 Objicies ſecũdò: ex hoc videtur ſequi humanitatẽ Chriſti Domini eſſe violentã, quia per vnionem ad Verbũ fuit illi ablata entitas poſitiua, quã exigit ex naturâ rei. In primis admitto ſequelã: videri enim poſſet, nõ eſſe aliquod abſurdum, quod humanitati facta ſit aliqua violentia, dũ illi aufertur entitas, quam petit ex naturã ſuâ, ſed felix violentia, quæ tanto dono compenſatur! Nihilominùs, vt certũ habeo, non eſſe violentam humanitatẽ, quia, licet per vnionẽ ad Verbũ auferatur illi propria ſubſiſtẽtia, quã petit ex naturâ ſuâ, ſubſtituitur tamen loco illius alia multo perfectior, quæ ipſam terminat, & cõplet perfectiori modo: cum autem propriã ſubſiſtẽtiã petat nõn ad aliũ finẽ, niſi vt per ipſam terminetur, & compleatur, & hoc habeat perfectiori modo per ſubſiſtentiã Verbi, nullam patitur violentiam: pateretur tamen, ſi finem, ad quem petit ſuſibſtentiam propriam, non obtineret per Diuinam.

17 Rogas: an ſubſiſtẽtia creata ſit res, vel modus? Reſpondeo non eſſe efficax argumentum, quo probetur non eſſe rem: quia non eſt aliqua repugnantia in eo, quod hæc entitas vniretur naturæ ſubſtantiali medio aliquo modo vnionis tanquam res ab illa diſtincta. Sicut enim Verbum Diuinum vnitum humanitati per vnionem interiectam terminat, & complet ſubſtantialiter humanitatem ipſam: ita etiam poſſet ſubſiſtẽtia creata ſuos effectus præſtare naturæ ſubſtantiali per vnionem interiectam. Nihilominus veroſimilius iudico, eſſe modum, tũ quia non ſunt multiplicandæ entitates, ſeu perfectiones ſine fundamento. ſed hic nullum eſt fundamentum ad aſſerendum, ſubſiſtentiam creatam eſſe rem. Quandoquidem ea, quæ nouimus ex myſterio Incarnationis rectè conſtant, ſi ſubſiſtentia creata ſit modus. Tum etiam, quia in rebus extenſis terminus extenſionis eſt modus, vt fatentur omnes: deinde complementum, quo accidens in ſuo eſſe accidentali completur eſt modus ergo etiam ſubſiſtentia, quæ ex vna parte eſt terminus eſſentiæ ſubſtantiæ, & ex alia complementum illius in ſuo eſſe ſubſtantiali erit modus. Verbum autem Diuinum in humanitate Chriſti Domini ſuppleuit vices ſubſiſtentiæ creatæ, quo ad munus terminandi, non vero quo ad munus modificandi.

SEC-

SECTIO III.

De effectu formali subsistentiæ.

18 Ex dictis constat, subsistẽtiam creatam esse formã positruã modalem, quæ naturam substantialem terminat, & cõplet in suo esse substantiali tãquam terminus, & cõplementum vltimum essentiæ illius. Nunc agendum est de effectu formali huius subsistentiæ. Et quidem dubiũ non est, effectum formalem primariũ subsistentiæ esse suppositũ verum quia sect. 1 diximus, suppositum esse, *substantialis naturæ incommunicabilẽ existentiã*, oportet examinare, qualis sit hæc incommunicabilitas, & qua ratione eam accipiant a subsistẽtia, tum ipsum suppositum, tũ etiam naturâ substantialis creata, quæ, cum hæc non possit duplicẽ subsistentiam simul habere naturaliter, posità vnâ; est incommunicabilis aliis ex naturâ rei.

19 Et vero cum incommunicabilitas sit opposita cõmunicabilitati tot excogitari poterunt incõmunicabilitates, quot sunt modi se alteri communicãdi. Non loquimur hìc de communicatione per modum efficientis, qua ratione Deus dicitur se communicare creaturis producendo in illis multas perfectiones, quæ sunt quedam participationes Diuinarum perfectionum, sed loquimur de communicatione, qua vna res ex naturâ suâ secundùm suam entitatem communicatur alteri per vnionem, perquam non solum dicitur cõmunicari parti, cui vnitur, sed etiam toti ex illis resultanti. Talis autem cõmunicatio potest contingere realiter; vel per rationem. Per rationem contingit, quando intellectus naturam, seu prædicatum, quod abstraxerat ab inferioribus cum fundamento in ipsis rebus, iterum contrahit ad eadem inferiora illud in ipsis cognoscendo; seu de ipsis prædicando. Hæc communicatio potest dici, ex natura rei conuenire illis prædicatis, non quia ipsis conueniat ante operationem intellectus; sed quia illis conuenit per intellectum habentem fundamentum in ipsâ naturâ rerum inferiorum ad hoc, vt & ab illis abstrahat ea prædicata, & iterum eadem in ipsis cognoscat. Hæc communicatione carent individua, & singularia, quia non possunt ab aliis inferioribus abstrahi, & de illis prædicari, vt diximus in Logicâ.

20 Realiter verò potest multis modis contingere cõmunicatio prædicta. Primò enim potest vna res communicari alteri vt parti substantiali essentiali. Hâc ratione communicãtur inter se materia, & forma substantialis tum per receptionem, si sint formæ materiales, tum per vnionem, vt ex illis resultet compositum substantiale, seu natura substantialis. Secundo possunt duæ res inter se cõmunicari tanquam essentia, & terminus, seu complementum ipsius essentiæ. Hac ratione communicãtur inter se natura substantialis, &

subsi-

subsistẽtia, hæc enim est terminus, & complementũ essentiæ illius. Fertò potest aliquid communicari alteri vt parti integrali, cum qua componat totum integrale. Hanc sortiuntur communicationem partes integrales hominis, vt caput, pedes, brachia &c. Quarto possunt aliqua cõmunicari tãquam subiectum, & forma accidẽtalis. Hac ratione communicantur substantia creata, & accidẽtia, quæ in illa recipiuntur vt formę, cum quibus componit totum accidentale. Ex his facile constat, omnem entitatem realiter cõmunicabilem aliquo ex prædictis modo esse realiter incompletam, cum ex se ordinetur ad aliquid componẽdum cum eo, cui communicatur, ac per consequẽs quidquid est incommunicabile realiter aliquo ex prædictis modis, erit realiter completum in eo genere, in quo est incommunicabile. His positis.

21 Suppono primò, suppositum creatum non esse incommunicabile accidentibus, nulla enim substantia creata dari potest, quæ non admittat compositionem aliquam accidentalem, vt diximus sect. præcedenti num. 8. Suppono secundò, suppositum includere naturam substantialem singularem, ac proinde non communicabilem pluribus individuis. Ita docet P. Molina 1. part. quæst. 29. artic. 2. disp. 1. & probat ex Cyrill. Alexandrino lib. 1. Dialogorum de Trinit. duobus foliis ante finẽ libri, & ex cõfessione Iustiniani Imperatoris, quæ habetur ad finem primi tomi Conciliorũ post Cõcilium Toletanum secundum. Idẽ docet S. Thom. 1. part. quæst. 29. art. 2. P. Suar. in Meta. disp. 34. sect. 5. num 54. P. Vazq. 1. part. disput. 130. cap. 2. & probatur ex communi modo loquendi: quia licèt frequẽter dicamus, omnes homines habere eandem naturã hominis, eo quod conueniant per intellectum in ratione hominis, nihilominus nunquam dicimus habere vnam personam ergo hæc involuit naturam singularem.

22 Suppono tertiò, suppositum esse incõmunicabile alteri vt subiecto receptionis, & vt parti substantiali essentiali: quia neque potest recipi in subiecto, neque ex natura rei cõponere totum aliud, seu naturam substantialem, vt fatentur omnes. Has tamen incommunicabilitates participat suppositum à natura substantiali: quia, huic secundùm se adhuc separatæ à subsistẽtia repugãt, & esse in subiecto receptionis, & componere cum aliâ parte aliquam naturam substantialem. ergo ex natura immediate oritur negatio communicationis alteri vt subiecto, & vt parti essentiali, ac per consequẽs ratione naturæ substantialis conueniunt supposito tales negationes. Ex his refutati manent, qui asserebãt, effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam independẽtem ab alio tanquã à subiecto receptionis, etenim id, quod natura habet ex se non potest à forma superaddita recipere.

23 Suppono quartò: suppositum

tum esse incommunicabile alteri subsistentiæ, seu supposito: quia suppositū est substantia omnino cōpleta in ratione substantiæ, vt concedunt omnes: ergo non potest ex naturâ rei ordinari ad componendum cum aliâ substantia aliud totum substantiale; ac per consequens neque ex naturâ rei illi communicari. Hæc vero incommunicabilitas conuenit supposito ratione subsistentiæ; quia, hâc deficiente, natura substantialis est communicabilis subsistentiæ, seu supposito. Imò in subsibstātijs creatis non solum suppositum; sed etiam ipsa natura substantialis fit per subsistentiam, quam habet, incommunicabilis alteri supposito, seu subsistentiæ, quia componi nequeunt in eâdem naturâ creatâ duæ subsistentiæ simul, saltem ex natura rei. Ex dictis colliges, de ratione formali suppositi esse incommunicabilitatem alteri, vt naturæ inferiori, de qua prædicetur, &, vt subiecto in quo recipiatur &, vt parti, cum qua componat totum, seu naturam substantialem; &, vt subsistentiæ, cum quâ constituat alterum suppositum. Hæc tamen incommunicabilitas, non est quid negatiuum; sed illa ratio positiua, ratione cuius repugnat supposito communicari alteri.

24 Obijcies: effectus formalis subsistentiæ est suppositum: ergo quidquid est de ratione formali suppositi, prouenit illi à subsistentia, quæ est forma illius; sed de ratione formali suppositi est incommunicabilitas alteri vt subiecto receptionis, & vt parti substantiali essentiali: ergo conuenit illi ratione subsistentiæ, & non ratione naturæ substantialis. Nego primam consequentiam; neque enim necessarium est, quod quidquid est de ratione formali suppositi (& idem dico de quouis composito) illi conueniat immediatè ratione formæ. Cuius ratio est: quia suppositum non solùm includit essentialiter subsistentiam; sed etiam naturam substantialem: ergo sicut per subsistentiam communicatur supposito id, quod est de ratione formali subsistentiæ, ita etiam per naturam substantialem cōmunicabitur supposito id, quod est de ratione formali naturæ substantialis: sed de ratione formali naturæ substantialis sunt duæ illæ, incommunicabilitates: ergo conueniunt supposito ratione naturæ. Ex hoc inferes, quod, quando dicitur esse de ratione formali subsistentiæ, constituere vnum omnino incommunicabile, non ideò dicitur, quòd ad subsistentiam pertineat tribuere immediatè omnem incommunicabilitatem, sed; quod necessarium sit, quod subsistentia coniungatur cum extremo tribuēte suppositō incommunibilitatem, quas ipsa non potest tribuere, vt inde resultet vnum omnino incommunicabile.

25 Restat modò difficultas circa tertiam incommunicabilitatē; an videlicet de ratione formali suppositi sit esse incommunicabile alteri vt parti integrali? Circa quam

quã P. Vazq. tom. 1. in 3. p. disp. 32. cap. 3 & 4. docet, suppositum nullam admittere cõmunicatio-nem à huc integritatis, quod ita sint ligit vt partes integrales, nõ sint suppositum, quãdo actu componunt totum integrale, quia tunc dicuntur esse in alio, at quando actu non cõponunt, dicuntur suppositum, quia tunc sunt per se, & non in alio. Vnde pars terræ, v. g. quæ quando vnita aliis partibus terræ suppositum non constituebat cum parte subsistentiæ in illa existente, quia tunc erat in toto integrali, quod componebat cum aliis partibus terræ, si separetur ab aliis, iam cõstituit suppositum, non quia detur illi alia noua subsistentia, sed quia tam ipsa, quam pars subsistẽtiæ, quam habebat antea, cum iam non componant totum integrale, non sunt in alio, sed per se. Huic doctrinæ subscribit, P. Suar. in Meta. disp. 34. sect. 5. à nu. 57 quia, licẽt ipse subsistentias partiales admittat, non tamẽ admittit, dari suppositа partialia: existimat enim esse de ratione suppositi omnimodam incommunicabilitatem.

26 Hæc sententia mihi displicet, quia vel est de ratione suppositi, non posse ex natura rei communicari alicui parti, vel alii actu non communicari. Si primum sequitur, partem terræ, non solum non posse actu componere totum integrale cum aliis; sed etiam quãcumque separatam ab aliis, non posse habere rationem suppositi, quia tunc ex natura rei potest communicari aliis partibus. Si dicas secũdum, sequitur, quod anima rationalis separata, sit suppositum, quod non admittunt P. Suarez, & P. Vazquez. Sequelam probo: quia anima rationalis separata habet modum perfectionis, vt concedunt aduersarij; per quẽ est ita per se, vt non sit actu in alio: ergo habet totum, quod requiritur ad rationem suppositi.

27 Existimo ergo, suppositum non esse incommunicabile alteri vt parti integrali. Ratio à priori est: quia non est de ratione formali suppositi, esse completum integraliter. ergo neque est de ratione formali illius esse incommunicabile parti integrali. Consequentia est bona, vt constat ex dictis. Antecedens probatur: quia homo pede, vel brachio truncatus est incompletus integraliter, vt constat, & nihilominus vere est persona, & suppositum: neque enim vllus vnquam sanæ mentis hominem orbatum brachio personam appellare remisit: ergo integra datur ratio formalis personæ, seu suppositi cum incompletione integrali.

28 Obiicit primò P. Vazquez, suppositum absolutè, & simpliciter est ens per se: sed id, quod totum integrale componit, non est per se, sed in alio. ergo non potest habere rationem suppositi: ergo suppositum inuolvit incommunicabilitatem, alteri, vt parti integrali. Distinguo ma-

rem, non est perse; sed in aliud, quod absolute, & simpliciter sit aliud; nego quod secundum quid sit aliud, concedo minorem: & demde nego consequentiam: quia sicut non est contra rationem entis perse absolute, & simpliciter, quod suppositum cum forma accidentali componat concretum accidentale, in quo ipsum suppositum includatur tanquam pars illius; ita neque est contra rationem entis perse absolute, & simpliciter, quod cum parte integrali componat totum integrale, in quo includatur tanquam pars illius. Ratio vtriusque est: quia ex accidenti, seu parti integrali aduenientibus supposito, non resultat totum quoddam, quod absolute, & simpliciter sit aliud à supposito præexistente, sed tantum aliud secundum quid. De accidenti est certum. De parte integrali facile probatur: quia adueniente aliqua parte integrali Petro non dicitur resultare alia substantia distincta à Petro; sed ipse Petrus fit maior: ergo ex parte integrali demum aduenientem non resultat totum, quod sit aliud absolute, & simpliciter distinctum à substantia præexistente; sed tantum totum, quod sit aliud secundum quid.

29 Vbi maximè obseruandum est discrimen, quod datur inter partes essentiales, & integrantes. nam ex materia aduenit forma, resultat ex vtraque totum, quod in ratione substantiæ sit absolute & simpliciter aliud, & diuersum à materia: Demde, si compósito ex materia, & forma, quod dicitur natura substantialis, aduenit subsistentia, resultat aliud totum substantiale, quod non est natura substantialis, sed suppositum, quod quidem in ratione substantiæ absolute est distinctum à sola natura, seu composito substantiali at vero, si Petro iam existenti aduenit pars aliqua integralis, resultat quidem totum integrale non tamen distinctum simpliciter in ratione substantiæ à Petro, quia cum hæc pars denuò adueniens sit pars Petri, ex illa, & partibus præexistentibus Petri resultat totum, quod sit etiam Petrus, & ideo non resultat substantia simpliciter diuersa à præexistente, sed ipse Petrus præexistens fit maior, quod est esse aliud secundum quid, & propterea partes, quæ antea integrabant Petrum, dicuntur modò esse in alio, quod est aliud secundum quid, non vero simpliciter, ac per consequens erunt simpliciter, & absolute ens per se, etiam si facta sint in toto integrali demum resultante ex illa parte superaddita.

30 Obijcet secundo: Suppositum, vt ex Ricardo vidimus sect. 1. definitur per negationem communicabilitatis ergo excludit omnem communicationem adhuc respectu partium integralium Petri consequens: quia negatio distribuit terminum per se existentem: ergo com-

bilitas negata in definitione extenditur ad omnem communicabilitatem, quæcunq; sit Nego primam consequentiam Ad probationem fateor, negationem, si propriè, & in tota sua latitudine sumatur, distribuere terminum, quem afficit, at aliquando iuxta subiectam materiam intelligitur, restringi à philosophis, ita vt non extendatur ad omnia inferiora contenta sub termino negato; sed tantum ad ea, quæ in communi acceptione intelliguntur, negari per talem negationem. Id debet necessario ab aduersarijs concedi in præsenti, quia licèt negatio posita in definitione supposiri ex se neget omnem communicabilitatem; nihilominus in eâ definitione non negat communicabilitatem respectu accidentium, vt concedunt etiam aduersarij; quia certum erat apud omnes subiectum posse accidentibus communicari. Idem dico, de communicabilitate circa partes integrales propter eandem rationem, nempe non negari in hac definitione talem communicabilitatem; quia notum est nobis supposirum esse cõmunicabile partibus integralibus, cum negare possit nullus, Petrum, qui in omnium consensu est suppositum, posse augeri ex natura sua per aduentum nouarum partium integralium, & ideo in præsenti definitione solùm negatur communicabilitas alteri entitati substantiali, ex qua resultet totum aliud substantiale simpliciter diuersum in ratione substantiæ, à supposito.

31 Ex dictis facile colligitur, quis sit effectus formalis primarius subsistentiæ, & quis secundarius. Primarius enim est constituere suppositum, hoc est, totum quoddam substantiale omnino cõpletum in ratione substantiæ. Cũ autem de ratione substantiæ sit esse primam radicem suarum operationum, effectus primarius subsistentiæ erit complere substantiam in ratione primæ radicis. Quod non aliter præstare potest, nisi habẽdo se tãquam quid intrinsece, & per se requisitum ex parte naturæ substantialis ad omnes eius operationes eliciendas, vt dicemus infra sectione 7. Hinc est quod repugnat supposito, saltem ex natura rei, communicari alteri entitati substantiali, cum qua totum aliud substantiale simpliciter diuersum ab ipso supposito cõstituat: quia, eo ipso, id quod est omnino cõpletum in ratione substantiæ, non potest ex natura rei admittere completionem aliquam substantialem, vt satis constat ex dictis. Effectus formalis secundarius subsistentiæ est negatio, seu carentia communicationis cum altero supposito: quia hæc tantum negatio datur in supposito ratione subsistentiæ, siquidem reliquæ à natura substantiali

proueniunt, vt dictum

est in superio-

ribus.

SEC-

SECTIO. IIII.

1 An dentur partiales subsistentiæ?

32 DIstinctum quid est subsistentia partialis, ac pars subsistentiæ, si oropriè loquendum sit. Pars enim subsistentiæ est, quæ cõponit subsistentiam totalem, siue participet rationẽ formalem subsistentiæ vt sic, siue non participet. Subsistentia vero partialis dicitur illa, quæ tali modo componit subsistentiam totalem vt partipet rationem formalem subsistentiæ vt sic, quæ per differentiam partialis contraharur ad particularem speciem subsistentiæ. Id potest explicari exemplo partium essentialiũ hominis, & partium integralium aquæ. Partes enim hominis quales sunt materia, & anima tali modo componunt hominem, vt nulla ex illis participet rationem formalem hominis. Partes vero integrales aquæ ita componunt aquam, vt quælibet ex illis sit formaliter aqua. Propterea istæ non solum dicuntur partes aquæ, sed etiam aquæ partiales: illæ vero non dicuntur homines partiales; sed solum partes hominis. Inquirimus ergo in hac sectione, an in subsistẽtia suppositi inuenientur partes, quę, cum habeant rationem formalem subsistentiæ dicantur subsistentiæ partiales? Vel an id repugnet? Et loquimur de subsistẽtia propriè sumpta, hoc est, de illo modo substantiali, in cuius cognitionem deuenimus ex cognitione, & definitione personę, seu suppositi.

33 Suppono primó, subsistentias substantiarum materialium habere partes integrantes. Consentiunt in hoc P. Suar. in Meta. disp. 34. sect. 5. num. 5. P. Vazq. tom. 1 in 3. part. disp. 32. cap. 4. num. 20. P. Hurt. in Phys. disput. 2. sect. 6. num 105. & communiter recentiores. Ratio est; quia, cum subsistentia substantiarum materialium subiectetur in illis, vt dicemus infra, debet cum eisdem commensurari: atqui substantia materialis habet partes integrales extensionis: ergo & subsistentia illarũ. Neque enim aliud argumentum habemus ad probandum, albedinẽ, & reliqua accidẽtia materialia, quę subiectantur in quantitate, habere partes extensionis integrales.

34 Suppono secundó, subsistentiam substantiæ compositæ ex materia, & forma habere partes, quarum vna respondeat materiæ, & altera formæ. In hoc sequor P. Suar. sup num. 7. & sequentibus, & P. Hurt contra P. Vazq. qui oppositũ docet supra num 21. Probatur primo quia, si ex diuersitate partium integralium subiecti colligimus, formam illud afficientem habere diuersas partes integrales diuersis partibus subiecti respondentes; cur non dicemus, quod, quãdo subiectum habet partes essentiales, forma illud afficiẽs habet etiam partes, quarum vna respondeat materiæ, & altera formæ? Præsertim si ad unum exercendum

gumentum in oppoſitum, vt non ex ait in præſenti. Secundo, quia ex vnione Verbi Diuini ad humanitatem Chriſti Domini deue nit ens in cognitionem ſubſiſtentiæ creatæ ergo ex modo, quo Verbum vnitum fuit humanitati, colligendum eſt, qualis ſit ſubſiſtentia propria humanitatis: ſed vnio Verbi ad humanitatem habet partes, per quarum vnam Verbum fuit vnitum animæ Chriſti Domini, & per aliam corpori. ergo & ſubſiſtentia propria humanitatis habet partes, quarum vna reſpondeat animæ, & altera corpori. Minor conſtat ex eo, quod Verbum in triduo mortis manſit vnitum animæ, & corpori inter ſe ſeparatis, quod quidem fieri non poterat niſi per diuerſas vniones, quæ quidem vnitæ eſſent inter ſe, quando corpus, & anima erant vnita, & ſeparatæ, quando ea erant ſeparata.

35. Suppono tertiò, in ſubſiſtentia compoſiti ſubſtantialis eſſe aliquid, quod reſpondeat etiam vnioni ipſius compoſiti, quod ex dicto numero præcedenti facile colligitur: quia in qualitatibus affi cientibus ſubiectum diuiſibile quoad extenſionem, non ſolum dantur partes reſpondentes partibus ſubiecti, ſed etiam indiuiſibilia, quæ & afficiunt indiuiſibilia ſubiecti, & vnitur partes ipſius qualitatis inter ſe: ergo in ſubſiſtentia compoſiti ſubſtantialis non ſolum erunt partes reſpondentes partibus eſſentialibus ipſius compoſiti; ſed etiam aliquid aliud, quod & afficiat vnionem compoſiti, & vniat partes ipſius ſubſiſtentiæ inter ſe, vt ex eis reſultet vna ſubſiſtentia totalis. Hæc autem ſubſiſtentia totalis recipitur in toto compoſito ſubſtantiali tanquam terminus vltimus eſſentiæ illius, ita vt pars, quæ reſpondet materiæ, recipiatur in materia, & quæ reſpondet formæ, in forma, & quæ correſpondet vnioni, in vnione.

36. Ratio eſt: quia forma, quæ producitur per eductionem, recipitur in ſubiecto, quod informat, vt probari poteſt a paritate qualitatum ſubſiſtentia autem non producitur per creationem, ſed per eductionem quia, vt diximus diſput. 2. ſect. 5. de ratione partium eſſentialium prout diſtinguuntur ab integralibus, eſt, quod vna ſe habeat vt ſubiectum, ex quo educitur, ſeu in quo recipitur vnio, per quam totum ex vtraq; reſultat: ſubſiſtentia verò componit, ſuppoſitum cum natura ſubſtantiali tanquam terminus, & complementum non integritatis; ſed eſſentiæ ipſius naturæ ſubſtantialis, & ideo ſubire debet leges compoſitionis eſſentialis. Vnde cum natura vniatur immediatè per ſuam entitatem, vt pote quæ eſt modus illius, & non per vnionem ſuperadditam, neceſſarium eſt, quod ipſa entitas ſubſiſtentiæ educatur ex natura ſubſtantiali, & in illa recipiatur. Ex hoc infertur, partes ſubſiſtentiæ correſpondentes materiæ, & formæ non vniri inter ſe vt materiam & formam, quia non vniuntur vt partes, quarum vna ſe ha-

habeat vt subiectum vnionis ad alteram. [illegible]

137 His positis examinanda est difficultas initio sectionis proposita, circa quã acriter pugnant P. Suar. & P. Vazq. Ille enim in Meta. disp. 34. sect. 5. num. 27. & sequentibus docet, in substantijs compositis dari vnam subsistentiam partialem, quæ respondeat materiæ primæ, & aliam quæ respondeat formæ, si sit spiritualis, qualis est anima rationalis; si vero forma sit materialis, ait, nõ respondere illi subsistentiam partialem, sed modum quendam substantialem, qui cum subsistentia partiali materiæ componit vnam totalem, per quam totum suppositum subsistit. Docet præterea, in partibus integralibus suppositi materialis dari veras subsistentias partiales; ex quibus resultet vna integraliter totalis. Hanc sententiam sequitur P. Hurt. in Physica disp. 2. sect. 7. à num. 90. Contrariam sententiam tenet P. Vazq. tom. 1. in 3. part. disp. 132. cap. 2. 3. & 4 vbi, etsi admittat partes subsistentiæ saltem integrales, nullam tamen admittit subsistentiam partialem. Subscribunt plures ex discipulis. [illegible]

138 Dico primò: partes subsistentiæ correspondentes materiæ primæ, & formæ adhuc rationali, non sunt subsistentiæ partiales. Sequor P. Vazq. & eius discipulos. Probatur primo ratione P. Vazq. quia hoc nomen subsistentiæ ab imperitis olim ab antiquis Patribus tam Græcis, quàm Latinis adsignificã-

dum suppositum, & inde scholastici hoc nomen transtulere ad significandam formam, per quam constituitur suppositum, quæ est suppositalitas sed nullos hucusq, concessit, materiam, & formam esse supposita partialia, etiamsi sint partes suppositi, vt admittunt aduersarij: ergo concedi nõ debet, partes subsistentiæ illi respondentes esse subsistentias partiales. Consequentia est certa: quia dum repugnat effectus formalis alicuius formę, talis forma debet repugnare: sed repugnat quod materia, v.g sit suppositũ partiale, quiquidem deberet esse effectus formalis partialis subsistentię illi respondentis: ergo repugnat etiã subsistentia partialis. Secundò probatur; quia suppositũ, vt cõstat ex sect. præced. in fine, est vnum quid incõmunicabile alteri toti substantiali simpliciter distincto: sed materia prima per partem subsistentiæ ipsi respondentẽ non constituitur incõmunicabilis alteri toti substantiali simpliciter distincto, imò potius potitur illâ manet materia ordinata ad hoc, vt cũ formâ; & parte subsistentiæ illi respondẽte cõponat suppõsitũ, quod est totum substantiale simpliciter distinctum à materiâ cum sua parte subsistentiæ, vt constat: ergo pars subsistentiæ illi respondens materiæ primæ nõ est subsistentia partialis. Idem dicitur de parte subsistentiæ respondẽte formę etiã rationali.

139 Obijcit primò P. Suar. S. Thomam 1. part. quæst 45 art. 4 vbi docet, creationem esse subsistentiam ergo cum materia, &

anima rationalis producantur per creationem vere habebunt ſubſiſtentias partiales. Reſpondeo, Sanctum Thomam non loqui de ſubſiſtentia prout ſumpta, de qua hic agimus; ſed de ſubſiſtentia late ſumpta, vt ſcilicet prout ſignificat independentiam a ſubiecto receptionis: ac ſi diceret, creatio eſt rerum, quæ non dependent a ſubiecto, quod eſt quaſi explicare creationem per ſuam definitionem.

40 Obijcit ſecundo S. Thomã 3. part. quæſt. 7. art 13. aſſerentem, actiones eſſe ſuppoſitorum, & Ioannem Theologum Eccleſiæ latinæ, in Concilio Florentino, qui ſeſſ. 18. vt probaret contra Græcos, perſonã Patris generare; aſſumſit idem principium, nempe: *actiones ſunt ſuppoſitorum*, quod receptum eſſe docet ab vniuerſa philoſophorum ſchola· ergo, cum anima rationalis operetur per ſe ipſam indepẽdenter à corpore, neceſſarium eſt, quod iuxta horum Patrum doctrinam habeat ſubſiſtentiam. Reſpondeo, hos Patres nullatenus fauere contrariæ ſententiæ. quia ipſi non dicunt actiones eſſe ſubſiſtentium; ſed ſuppoſitorum, at in ſententia P. Suarez, etiamſi anima rationalis habeat ſubſiſtentiam, non poteſt dici ſuppoſitum: nihil ergo illi fauent adducti Patres. Dum autem dicunt, *actiones eſſe ſuppoſitorum*, non intendunt, nullam rem poſſe operari, quæ non ſit ſuppoſitum; ſed tantum volunt, quod in ſuppoſitis actio non eſt tribuenda ſoli naturæ ſubſtantiali; ſed toti ſuppoſito, quia, licèt ſola natura ſit id, ex quo immediatè oritur operatio, completur tamen per ſubſiſtentiã tanquam per conditionem requiſitam ad operandum, vt dicemus infra.

41 Obijcies tertio: Verbum Diuinum vnitum fuit corpori, & animæ Chriſti Domini per duplicem vnionem in adæquatam, vt diximus ſupra· ergo hæc duplex vnio inadæquata fuit ſubſtituta pro duplici ſubſiſtentia inadæquata corporis, & animæ propria. Diſtinguo antecedens: per duplicem vnionem inadæquatam, quæ cum materia, & forma conſtitueret duplex ſuppoſitum inadæquatum, nego· duplicem partem ſuppoſiti, concedo antecedens: & nego conſequentiam. Imò hinc confirmatur noſtra ſententia· quia, ſi ſupplieret duplicem ſubſiſtentiam in adæquatam conſtitueret duplex ſuppoſitum inadæquatum. Inſtabis· anima rationalis Chriſti Domini in triduo mortis fuit vnita ſubſiſtentiæ Verbi: ergo participabat effectum formalem illius: hoc autem eſt ſuppoſitum· ergo conſtituebat cum illâ ſuppoſitum· Diſtinguo primum conſequens: participabat effectum formalem, cuius eſt capax, concedo: cuius eſt incapax, nego conſequentiam. Anima autem rationalis non eſt capax componendi ſuppoſitum, quia hoc, vt diximus ſect. 1. ex omnium conſenſu, debet includere naturam ſubſtantialem, quæ ſit cõpleta in eſſe naturæ; anima vero rationalis eſt incompleta, vt ibidem dicebamus.

42 Di-

42 Dico secundò: partes integrales subsistentię respondentes partibus integralibus compositi substantialis sunt subsistentię partiales integraliter, dummodo tales, quæ ex naturâ rei possint conseruari sine alijs. In hanc conclusionem conferto cum P. Suar. & P. Hurtado. Probatur: quia, vt sectione præcedenti probauimus, non est contradictionem formalem suppositi, quod sit incompletum integraliter; homo enim, cui amputatum est brachium, est incompletus integraliter, & nihilominus est suppositũ, & persona. ergo neque erit contra rationem formæ ẽ subsistentiæ, quod sit integraliter incompleta, seu partialis. Consequentia patet: quia non repugnãte effectu formali, nõ debet repugnare forma propria illius.

43 Addidi in cõclusione. *Dummodo partes integrales sint tales, quæ ex natura rei conseruari possint sine alijs.* quia licèt partes integrales hominis, in quibus potest ex natura rei cõseruari essentia hominis in rerum naturâ, reuerà constituãt personam cum partibus integralibus subsistentiæ, ipsis respõdentibus. at verò illę partes, in quibus ex natura rei non potest conseruari in rerum natura essentia hominis, nõ dicuntur constituere personam adhuc partialem. Huiusmodi est brachium, vel caput, & ratio: neque enim solum brachium dicitur *homo*, aut *persona*, neque solum caput, ac proinde neque pars subsistentiæ illi seorsim correspõdens dicitur subsistentia adhuc partialis. Ex quo sequitur, in minimo naturali nullam partem integrẽ subsistentiæ dicendam esse subsistentiam partialem, quia, cum in minimo omnes partes necessariæ sint, vt ex natura rei conseruetur essentia substantiæ in rerum natura, omnes etiã necessariæ sunt ad saluandam rationem suppositi.

SECTIO V.

Vtrùm natura creata simul cum subsistentia propria aliam possit admittere?

44 NOn est quæstio de potentiâ ordinariâ, quia certum est apud omnes, id non posse naturaliter contingere: sed solùm procedit de potentia absoluta Dei. Potest tamen esse difficultas, an natura cum propria subsistentia, aliam etiam propriam possit simul recipere, vel aliam alienam? Vtrũque discutiendum, prius vero agemus de alienâ. P. Suar. tomo. 1. in 3. part. disp. 14. sect. 1. P. Vazq. disp. 33. & ex Theologis antiquis plures, quos ipse refert, docent contradictionem implicare, quod natura substantialis seruatâ subsistentiâ propria aliena admittat. Rationes huius sententiæ sequentur infra.

45 Vera sententia est, naturam substantialem creatam posse de potentia Dei absoluta, simul cum subsistentia propria, aliena habere. Hanc tenet P. Hurtado in Metaph. disp. 11. sect. 7. eamque satis probabilem censet P. Suar. asseritque se vidisse eam à doctis, &

ora ſ. ſ. t. is publice defen ſt. idem tenet P. Vaz ſ. ſupra cap. 2. & eſt hoc tempore ſatis communis inter recentiores. Pro cuius declaratione nota 1. naturam ſubſtantialem *eſſe per ſe*, aut *in ſe* nihil aliud ſignificare, niſi eſſe terminatam propria, & connaturali ſubſiſtentia, *eſſe* vero *in alio ſuppoſito* nihil aliud ſignificare, niſi quod natura eſt terminata aliena ſubſiſtentia. Nota ſecundò, effectum primarium ſubſiſtentiæ propriæ non eſſe reddere naturam priuatam, ſeu negatam ſubſiſtentia aliena, ſed vltimo terminare, & connaturaliter complere naturam ſubſtantialem in ſuo eſſe eſſentiali.

46 Ex hoc primario effectu proxime oritur in naturâ creatâ tanquam effectus ſecundarius carentia communicationis alteri ſubſiſtentiæ, ſiue propriæ, ſiue alienæ. Etenim ex eo, quod natura connaturaliter ſit vltimo completa in ſuo eſſe, oritur, quod non ſit iam complebilis per aliam ſubſiſtentiam, vel quia propria ſubſiſtentia eſt ex natura rei incompoſsibilis cum quauis alia, vel quia cum natura creata ſit limitatæ perfectionis, *non poteſt ex natura rei, pluribus ſubſiſtentijs* ſimul terminari. Dixi in natura ſubſtantiali creata, proxime oriri ex ſubſiſtentia propria negationem, ſeu carentiam communicationis alteri ſubſiſtentiæ, quia ipſa natura remote petit talem carentiã. eo enim ipſo quod ordinatur ex natura ſua ad talem ſubſiſtentiam, cum qua non poteſt alia comungi ex naturâ rei, petit carere quacumque alia. Hæc poſtis.

47 Probatur ſententia: quia non implicãt contradictionem in eâdem naturâ ſubſiſtentia propria & aliena ergo poſſunt dari ſimul de potentiâ Dei abſolutâ. Antecedens conſtabit ex ſolutione argumentorum. Deinde probatur a priori quia ſubſiſtentia propria non eſt negatio ſubſiſtentiæ alienæ, neque è contra, cum vtraque ſit entitas poſitiua. vt probauimus ſect. 2 neque effectus formalis vllus eſt negatio effectus formalis alterius, neque eam in ſe involuit vt perſeuerans, vt conſtabit ex infra dicendis. ergo non implicat contradictionem ſimultas ſubſiſtentiæ propriæ, & alienæ in eadem natura. Poteſt præterea confirmari ex iis, quæ diximus diſp. 3. ſect. 5. circa exiſtentiam ſimultaneam duarum formarum ſubſtantialium in eadem materia.

48 Dices: natura ſubſtantialis vltimo terminatur, & completur in ſuo eſſe ſubſtantiali per propriam ſubſiſtentiam: ergo, hâc poſitâ, repugnat communicari alteri alioquin iam prima non eſſet vltimus terminus, ſed illa alia, quæ de nuo adueniret. Diſtinguo conſequens: repugnat communicari alteri ex naturâ rei, concedo. ſupernaturaliter, nego conſequentiam. Ad hoc autem, vt natura ſubſtantialis dicatur vltimo terminata in ſuo eſſe ſubſtantiali per propriam ſubſiſtentiam, ſufficit, quod naturaliter non poſsit habere aliam.

49 Ob-

49 Objiciunt primò: natura substantialis per propriam subsistentiam est existens in se, per alienam vero in alio: sed implicat eandem naturam simul esse in se, & in alio ergo, &c. Nego minorem: quia esse naturam in se, nihil aliud est, quam terminari per propriam subsistentiam, esse vero in alio nihil aliud est, quam vniri, seu terminari per alienam subsistentiam terminari autem per propriam, & vniri alienæ non sunt contradictoria, cum vnio non sit negatio alterius, sed vtrumque quid positiuum. Instant: esse naturam in se est independentem esse ab alio supposito; esse vero in alio supposito est ab illo dependere: sed implicat contradictionem, eandem naturam simul esse dependentem, & indepẽdentem ab alio supposito: ergo implicat simul esse in se, & in alio supposito. In primis falsum est, quod natura dependet ab alio supposito per existentiam, seu vnionem cum illo, vt constat tum ex dictis sect. 2. contra sententiam Scoti, tum etiam constabit ex dicendis sect. vltima. Sed demus, naturam per vnionem cum altero supposito dependere ab illo, adhuc nihil probat argumentum, quia esse naturam in se non est formaliter esse independentem ab illo, sed esse terminatã per propriam subsistentiã, vt diximus, ex qua oritur tanquam effectus secundarius negatio vnionis, seu dependentiæ ab alio supposito quæ quidem negatio impeditur à Deo per positionem vnionis, & ideo non maneret natura simul dependens, & independens ab alieno supposito sed solũ dependens.

50 Objiciunt secundò implicare, eandem formam, simul creari, & educi: dein de eandem lineam simul esse curuã, & rectam, æqualẽ, & inæqualẽ cum eodem extremo: ergo etiam implicat eandẽ naturã simul esse per se, & in alio supposito. Respondeo, nõ implicare eandem formã simul creari, & educi, vt dicemus disp. 15. sect. 5. neque repugnare eandem lineam esse simul curuam, & rectã in diuersis locis, vt constabit ex dicendis lib. 4. respectu verò eiusdẽ loci repugnat, lineam esse simul curuam & rectã, quia, vt dicemus ibidem, esse lineã in hoc loco numero, nihil aliud est, quam quod afficiatur hac numero præsentia, qua partes eius taliter distent inter se. Cum autem linea est curua, diuerso modo distant partes eius inter se, ac quando est recta, atque adeò necessarium est, quod afficiatur diuersa præsentia, ac perconsequens, quod sit in diuerso loco. Ad tertium de linea simul æquali, & inæquali respectu eiusdem extremi, fateor implicare contradictionẽ: quia, etiã si adoptemus relationes æqualitatis & inæqualitatis esse modos positiuos superadditos fundamento, quorũ vnus nõ sit formaliter negatio alterius, præsertim tamẽ relationes habent pro fundamento necessario ad illas requisito duo cõtradictoria: quia fundamentũ relationis æqualitatis inter duas lineas est, quod terra habeat plures partes, aut illa, vnam tantùm relationem

ex alia est quod vna habeat plures partes & implicat contradictionem, quo[d] neutra habeat plures partes, & quod vna habeat plures partes simul.

51 Obijciunt tertiò Concilia, & Patres colligunt, humanitatem Christi Domini non habere propriam subsistentiam, ex eo, quod habeat subsistentiam Verbi ergo non possunt esse simul propria, & aliena, adhuc de potentia Dei absoluta aliquis legitimus non esset discursus sanctorum Patrum. Respõdeo, antecedens esse falsum, ea quæ enim Patres, & Cõcilia expressis dicto tum lamento deduxerunt, nõ esse subsistentiã propriã humanitatis in Christo Domino. Id constat ex Cyrillo Alexãdrino, cuius opera, & doctrina refutatus, & damnatus est in Concilio Ephesino, Nestorius, qui duas in Christo adstruebat personas, vnam quæ esset, & diceretur homo; alteram, quæ esset, & diceretur Deus. Cyrillus ergo in epistola quadam ad Nestorium missâ (quæ habetur in 1. tomo Conciliorum, ante canones Concilij Ephesini, & maximè cõmendatur a Patribus Cõcilij Calcedonensis) circa finem probat, in Christo Domino non fuisse duas personas, ex eo, quod Scriptura non dixit, Verbum assumpsisse sibi personam hominis, sed tantum tactum fuisse carnem.

52 Et sane, cum subsistentia propria, & aliena ex natu âre opponantur in eâdem naturâ substantiali, certum est, posse âliena non posse conseruari propriam sine nouo miraculo. Cum autem neque ex Scriptura, nec aliunde constet dari tale nouũ miraculũ in Christo, temere quis affirmaret, dari in illo subsistentiam propriam humanitatis. Deinde probant Patres, eandem personam, quæ in Christo est Deus, esse etiam hominem ex eo, quod Scriptura de eodem, quem vocat hominem, & filium Abrahæ, dicit esse filium Dei, & fuisse antequam Abraham fieret: quod verum non esset, si non daretur vna persona, quæ simul esset Deus, & homo: quia si esset duplex persona, vna diceretur filius Dei, & alia filius hominis, seu homo: ergo non posset de eadem dici, quod esset filius hominis, & filius Dei.

53 Inter alia autem loca Scripturæ Cyrill. in scholijs de Incarnatione Vnigeniti (quæ habentur supra post Concilium Ephesinum) cap. 26. circa finem adducit locũ ex Ioannis 9. vbi rogatus Christus Dominus à cæco, cui visum restituerat, quis esset filius Dei? demõstrans illi suam humanitatem, respondit *Et vidisti quidem eum, & qui loquitur tecum, ipse est* Vbi eum hominẽ, quem videbat asserit esse filium Dei. Ex quo loco non solũ colligitur humanitatẽ Christi Domini cõponere vnã personã cũ Verbo; sed etiã, non retinuisse propriam subsistẽtiã nam si eam retinuisset, vera nõ essent prædicta verba Christi Domini. Neque enim vere dici posset. *is, quem vides, & qui loquitur tecum, est filius Dei*, si sibi esset persona humana. Ratio est:

est: quia, cum humanitas perse ducat in cognitionem personæ humanæ eâ visâ, seu eâ loquente dicitur videri, seu loqui hæc, si desit ibi existat ergo non posset vere dici, *si, quem vides*, (seu quod idem est) *personam, quam vides, visa humanitate, est filius Dei*, si ibi existeret persona humana. Probo consequentiam: quia prædictus modus loquendi in communi acceptione significat, solum filium Dei videri visa humanitate, & nullam aliam personã videri. ergo vt vera sint ea verba, necessariũ est, quod non sit ibi persona humana.

54 Confirmatur ex mysterio sacræ Eucharistiæ. Nã ex eo quod Christus Dominus demonstrans accidentia panis, vere dixit *Hoc est corpus meum*, quod est idem, ac si diceret, *id quod est sub istis accidentibus est corpus meum* Hispane: *El que está debaxo destos accidẽtes es mi cuerpo*, collegit Ecclesia Catholica (vt docet Tridentinum sess. 13. capit. 4) non esse ibi substantiã panis: ergo ex eo, quod Christus Dominus vere dixerit. *Is, quem vides est filius Dei*, debet colligi non esse ibi aliam personã præter Diuinam. Probo cõsequẽtiã: quia ex eo in primo casu, colligit Ecclesia, non esse substantiam panis sub accidentibus; quia eo modo loquendi denotatur in cõmuni acceptione, solum corpus Christi Domini esse sub speciebus: sed idem modus loquendi seruatur in secũdo casu ergo ex eo debet colligi non esse ibi personam humanam, sed solùm Diuinam.

55 Ex dictis infero primo, posse naturam substãtialem creatam, ie potẽtia Dei, simul terminari duplici subsistentia aliena: Si enim nõ implicat, quod simul terminetur propria, & aliena, cur implicabit terminari duplici alienâ? Infero secundò, posse etiam terminari simul duplici propriâ: quia in primis non repugnat duplex subsistentia propria numero distincta huius, numero naturæ: deinde nulla est implicatio in eo, quód hæ duæ subsistentiæ simul coniunguntur, vt colligitur ex dictis pro nostrâ conclusione: ergo, &c.

SECTIO. VI.

Vtrùm suppositum creatum possit terminare alienam naturam?

56 CVm supra dictum sit, subsistentiam creatã esse modum, difficile videtur, quod vnum suppositum creatum possit alienam naturam terminare: quia si illam terminaret, id fieret per vnionem subsistentiæ propriæ cũ naturâ alienâ at hæc non potest naturæ alienæ vniri, neque enim potest vniri ei per vnionem superadditam (cum ut modus, & modus vniri debeat, non per aliquid superadditum, sed perse ipsum) neque se ipsâ, quia ea subsistentia non est modus naturæ alienæ, cum ex natura rei possit esse sine illa: ergo suppositum creatum non potest naturam alienam terminare. Propter hanc rationem P. Suar. in

in Meta disp. 34. sect. 4 num. 57. docet, suppositum creatum non posse, adhuc supernaturaliter, assumere naturam alienam, quē sequi videtur P. Hurt in Metap. disp. 11. sect. 8. num. 100. ex suppositione, quod subsistentia creata sit modus: eandem sequitur P. Vazq. tom. 1. in 3. part disp. 25. cap. 3. alia tamen ductus ratione, quam infra obijciam.

57 Mihi tamen nulla videtur assignari implicatio, propter quam id non possit fieri de potentia Dei. Sequor Ockam, Basolem. Maior. Almai. Gabr. & Scotum, quos refert P. Hurt. supra num. 102. Ratio, quæ me movet, est quia, licèt modus se ipso vniatur rei, cuius est modus; at res, cuius non est modus, non repugnat vniri medio aliquo superaddito, etenim indiuisibile quantitatis est modus continuans partes ipsius quantitatis; & nihilominus vnitur substantiæ per vnionem superadditam. ergo, licèt subsistentia creata sit modus naturæ, cuius est propria, non implicabit ex hoc capite, quod naturæ alienæ, cuius non est modus, vniatur per vnionem superadditam. at, si per vnionem superadditam vniretur illi, ipsam terminaret, cum subsistentia Verbi vnita humanitati per vnionem superadditam, illam terminet. ergo, &c. Confirmatur: quia de ratione subsistentiæ Diuinæ est realis identitas cum natura, cuius est propria; & nihilominus potest de potentiâ Dei vniri distinctæ naturæ per vnionem superadditam: ergo, licet subsistentia creata se ipsâ vniatur naturæ propriæ, cuius est modus, non erit repugnantia, saltem ex hoc capite, in eo quod alienæ naturæ vniatur per vnionē superadditam. Ex his constat ad rationem, cui innitebatur P. Suar.

58 Obijcies primo vnio non potest vnire extrema sibi non cōnaturalia adhuc per vnionem superadditam; ergo neque subsistentia modalis poterit terminare naturam alienam, etiam per vnionem superadditam. Do antecedens, de quo dicemus lib. 3. in quo agemus; an actio possit oriri ab agente de potentia Dei absolutâ media alia actione? Nego tamen consequentiam. Quia ex eo communiter negatur, modum vnionis posse vniri medio alio modo vnionis: quia vnus modus non potest affici alio eiusdem rationis cum illo. Ex quo quidem non infertur, modum quemlibet affici non posse per modum diuersæ rationis ab illo, vt videmus in in vnione, quæ potest recipi mediâ passione superaddita, & in indiuisibili continuatiuo partiū quâ titatis, quod materiæ vnitur per vnionem superadditam: subsistentia autem cum sit modus terminādi naturam propriam, est diuersæ rationis a modo vnionis cum alienâ naturâ, & ideo non est, cur non possit affici per illum Deus.

59 Dices: subsistentia est vnio sui ipsius cum naturâ propriâ. ergo est modus eiusdem rationis cum vnione, quam haberet

cum

cum natura à alienâ Respondeo, distinguendo antecedens: subsistentia est vnio sui ipsius, tanquam modi terminantis naturam propriã; concedo: est vnio sui ipsius, tanquam modi viuentis duo extrema à se distincta, nego antecedẽs; & deinde nego consequentiam. Quia diuersæ rationis est modus terminandi, etiam si se ipso vniatur, ac modus vniendi extrema à se distincta.

60 Obijcies 2. ex suppositione, quod existentia esset distincta realiter ab essentia, non posset materia existere per existentiam formæ, etiam si illi vniretur, vt diximus disp. 2. sect 5. ergo etiã si natura aliqua vniatur subsistentiæ alienæ, non fiet subsistens per illã. Nego consequentiam; quia, vt natura fiat subsistens per subsistentiã alienam, nihil aliud requiritur, nisi quod illi vniatur, vt cernitur in humanitate Christi Domini vnita Verbo at vero, vt materia existeret per existentiã formæ, non sufficeret, quod illi vniretur; sed necessariũ præterea esset, quod vtraque produceretur per eandẽ actionẽ, ita vt existentia formæ esset materiæ ratio terminãdi ipsius productionẽ, vt diximus in ea sectione, ex eo autẽ, quod existentia formæ vniretur materiæ, non sequeretur produci vtrãque per eandẽ actionẽ vt ibi probauimus & ideo non sequeretur, quod materia esset existens per existentiam formæ.

61 Obijcit 3. P. Vazq. supra: vel subsistentia creata habet ex naturâ rei intrinsecã capacitatẽ ad terminandã naturam alienam, vel non habet. Si hoc vltimũ, non poterit terminare illã adhuc de potẽtiâ Dei, nisi Deus illi addat virtutẽ terminandi, & tunc iam non terminaret ipsa, sed virtus illa superaddita. Si primũ, poterit naturaliter terminare naturã alienam, vt constat: hoc autẽ nõ concedis: ergo neq; illud, ex quo sequitur. Respõdeo, subsistẽtiã creatam habere quidẽ intrinsecã capacitatẽ terminandi naturã alienã hæc tamen capacitas, & si realiter sit idẽ cũ ipsa subsistentia, ac per consequens entitatiue naturalis nõ tamen communiter dicitur absolute naturalis, seu illi conuenire ex natura rei. Quia cõmuniter solũ appellatur naturalis ea potẽtia, quæ potest reduci ad actũ ab agẽte naturalis ordinis, sed dicitur obediẽtialis, quia nõ reducitur ad actũ, nisi à Deo vt authore supernaturali. Neq; idmirum videatur, cũ certũ sit, in corpore Christi Domini esse capacitatẽ intrinsecã cũ illo realiter identificatam, per quã est capax ad existendũ in pluribus locis, vt cõstat ex Eucharistia & tamen hæc capacitas licet entitatiue naturalis sit, nõ tamẽ cõmuniter talis dicitur, quia nõ cõuenit illi per ordinẽ ad agens naturale, sed dicitur obediẽtialis, quia solũ à Deo vt agente supernaturali, potest in pluribus locis constituere.

62 Obijcies vltimo subsistẽtia creata posset de potentia Dei terminare alienã naturam, posset etiã duas, & plures imo, & infinitas, quia nõ est ratio cur possit vni ter-

terminare, & non duas, vel tres, & ſic in infinitum. Hoc autem videtur impoſsibile; inde enim ſequeretur creatam illam ſubſiſtentiã eſſe infinitæ virtutis. Admitto, creatam ſubſiſtentiam poſſe de potentia Dei terminare infinitas naturas nego tamen inde inferri eſſe in finitæ virtutis. Quia corpus Chriſti Domini poteſt ſupernaturaliter admittere infinitas præſentias Euchariſticas: nam ſi infinitæ hoſtiæ conſecrarentur ſimul, omnibus illis fieret præſens, & nihilominus inde non infertur, corpus Chriſti Domini eſſe infinitæ virtutis. Ratio eſt: quia infinita virtus non colligitur ex eo, quod rebus poteſt conuenire ſupernaturaliter, ſed ex eo, quod illis conuenit ex naturâ rei.

62 Rogabis: an, ſi ſuppoſitum leonis vniretur humanitati, poſſet compoſitum illud appellari homo? Reſpondeo affirmatiue: quia homo eſt compoſitum ex natura humana, & ſubſiſtentia ſiue propria, (vt nullus negat) ſiue aliena, vt conſtat ex Chriſto Domino, in quo humanitas ſimul cum ſubſiſtentia Verbi cõſtituit hominem. ergo, cum in caſu poſito daretur compoſitum reſultans ex naturâ humanâ, & ſubſiſtentiâ alienâ leonis, vere eſſet homo.

63 Obiicit P. Hurt. ſupra. n. 104 vbi oppoſitum docet homo eſt perſona: ſed ſubſiſtentia leonis non eſt perſonalitas: ergo ex illâ, & natura humana non reſultaret homo. Diſtinguo minorem: non eſt perſonalitas reſpectu naturæ leonis, concedo: reſpectu naturæ humanæ, nego minorem: & nego conſequẽtiam. Id confirmari poteſt à paritate perſonalitatis Verbi, quæ, licèt ex natura ſua ſit perſonalitas Dei, nihilominus poteſt conſtituere perſonam humanam ratione capacitatis, quam habet, vt vniatur cum natura humana. Simili ergo ratione ſubſiſtentia leonis, & ſi non ſit perſonalitas per ordinem ad naturam leonis, quam terminat ex naturâ rei, eſt tamen perſonalitas ratione capacitatis obedientialis terminandi naturã humanam, cum qua vere conſtituit perſonam. Quia, vt diximus ſect. 2. perſona ex eo ſolum diſtinguitur à ſuppoſito non perſona, quod illa inuoluit naturam rationalem; ſecus hoc.

64 Addo, in caſu poſito fore verum dicere: *homo eſt leo*, & *leo eſt homo*: ſicut in Chriſto Domino eſt verũ dicere: *homo eſt Deus*, & *Deus eſt homo*. Quia hæ propoſitiones, non alia de cauſa ſunt veræ in Chriſto Domino, niſi quia natura diuina, & humana ſunt vnitæ in eodem ſuppoſito ergo, cum natura leonis, & hominis in caſu poſito eſſent vnitæ in eodem ſuppoſito, veræ forent hæ propoſitiones.

SECTIO. VII.

Aliquæ difficultates expediuntur.

65 PRima difficultas eſt: *An ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentia ſit de eſſentia hominis?* Pro ſolutione noto primo, hominem non ſolum

lum includere humanitatem; sed etiam subsistentiam, vt fatentur omnes. Nota 1. essentiâ posse sumi late, & strictè. Stricte sumitur pro prima radice accidentium, seu operationum; vt constat ex Arist 7. Meta cap. 3. vbi docet, *quod quid erat esse*, (quod apud Philosophum idé est, ac. *essentia*.) tantum inueniri in primo ente, hoc est, in substantia, quæ dicitur primum ens, quia est prima radix accidentium, & operationum: late vero sumitur pro omni illo, quod pertinet ad conceptum formalem intrinsecum cuiusque rei, siue sit radix accidentium, siue non.

66 Dico ergo: si essentia sumatur stricte, subsistentia non est de essentia hominis, quia stricte, & proprie loquendo illud est de essentia hominis, quod in homine habet rationem principij radicalis accidentium, seu operationum: sed sola humanitas id habet: ergo sola humanitas est essentia hominis. Minor probatur: quia, vt dicemus infra, subsistentia nõ est principium operationum. In hoc sensu docent Theologi, Verbum assumpsisse totam essentiam hominis; &, essentiã Dei dari in qualibet ex tribus personis Sanctissimæ Trinitatis. Subsistentia autem in hâc acceptione dicitur esse cõplementum essentiæ. Si vero essentia sumatur late, subsistentia est de essentia hominis: quia in hac acceptione illud est de essentia hominis, quod pertinet ad conceptum formalem intrinsecum illius: sed talis est subsistentia, quia, vt diximus, includitur in illo: ergo, &c.

67 Dices: vnio animæ rationalis cum materia est de essentia hominis primo modo; & nihilominus non est principium operationum: ergo & subsistentia erit de essentia hominis stricte, licet non sit principium operationum. Nego consequentiam. Ratio disparitatis est: quia licet vnio non sit id, quod producit operationes in homine; est tamen id, quo constituitur humanitas, quæ est principium adæquatum operationum hominis, cum autem pertineat ad principium operatiuum, vt constituiuum illius, necessarium est, quod pertineat ad essentiam illius stricte sumptam: non vero subsistentia, quia hæc supponit principium adæquatum operationum, humanitatem videlicet iam constitutam.

Secunda difficultas est.

68 *AN suppositum sit principium actiuum, & passiuum operationum?* Hoc est, an non sola natura sit principium operationum, sed etiam subsistentia requiratur ex parte principij? Quod in duplici sensu potest intelligi. Primò, ita vt subsistentia requiratur ex parte principij operationum tanquam principium inadæquatum illarum. Secundo, ita vt requiratur solum vt conditio ex parte naturæ requisita ad operandũ. Et quidem, vt certum habeo, non requiri subsistentiam, vt principium

pium inadæquatum operationum: quia in Christo Domino sola humanitas erat principium adæquatum operationum humanarum: ergo & in reliquis hominibus. Cõsequẽtia est bona quia humanitas Christi Domini est eiusdem speciei cũ reliquis. Antecedens autem probatur: quia in primis subsistentia Verbi non potuit concurrere ad operationes humanitatis in genere causæ materialis, vt patet, alioquin eum mutaretur: neque in genere causæ efficientis, quia in hoc genere nulla operatio extra Deum oritur immediate à personalitatibus Diuinis, sed solum ab essentiâ iuxta commune Theologorũ effatum, *omnes actiones Dei ad extra sunt cõmunes toti Trinitati*, hoc est oriuntur immediate ab ea, quod est cõmune tribus Personis. Secundò, & sit ratio à priori præsentis adserti, quia natura humana, v. gr. cum suis potentijs habet sufficientem virtutẽ ad suas operationes producendas: ergo non eget concursu subsistentiæ. Antecedens probatur: quia omnes formalitates, intellectiones, volitiones, &c. correspondent sufficienter animæ cũ suis potentijs destructis speciebus, intentionalibus: ergo sufficiens virtus datur in natura humanâ ad suas operationes sine concursu subsistentiæ.

169 Maior difficultas est in secundo, videlicet, an subsistentia requiratur ex parte naturæ substantialis vt conditio necessaria ad operandum? Dico ergo, requiri. Ita P. Hurt in Meta dupl. 1. nu. 110, & P. Suar. in Metaph. disp. 34. sect. 7. num. 10. Probatur primò ex Ioanne Theologo Ecclesiæ latinæ in Concil. Florentino, qui sess. 10. vt probaret, personam Patris, & non solam essentiam esse, quæ pense generat Filium in Diuinis, assumpsit illud axioma, *actiones sunt suppositorum*, quod acceptum esse ait apud omnes philosophos: ergo sentit manifeste, subsistentiam per se esse requisitam ad operandum: alioqui sola essentia generaret per se, & subsistentia Patris se haberet per accidens ad generationem. Secundò probatur ratione: quia, vt sæpe diximus, & concedunt omnes; subsistentia est vltimum complementum substantialis naturæ in suo esse essentiali: sed esse essentiale cuiuslibet naturæ substantialis est; esse principium radicale suarum operationum: ergo per subsistentiam completur per se in esse principij radicalis operationum: ergo subsistentia est quid per se requisitum ex parte naturæ ad operandum: aliqui sine subsistentia esset natura completa in esse principij radicalis. Tertiò, quia esse substantiæ est propter operari: ergo id quod per se pertinet ad esse substantiæ, per se conducit ad operationem: sed subsistentia per se pertinet ad esse substantiæ tanquam complementum intrinsecum illius: ergo per se pertinet ad operari: non tanquam principium, vt probatum est, ergo tanquam conditio.

Ter-

Tertia difficultas est.

70 AQuo iã producatur subsistentia? Certum est 1. in genere causæ materialis produci ab ipsâ naturâ, quam afficit; quia in eâ recipitur, vt diximus supra n. 31. Circa causam efficientẽ P. Suar. supra sect 6. n. 9 & si cõtrariã sententiã iudicet probabiliem, asserit tamen, subsistentiã efficienter produci à naturâ, quã afficit. Contrariã sententiã arbitror veram, eamque probo primò: quia in primâ generatione forma substantialis non potest efficere suam vnionẽ cum materiâ, vt cõcedunt aduersarij, & fere omnes philosophi, alioquin se ipsum quisque generaret, quia produceret suam vnionẽ, in cuius productione consistit generatio, vt dictũ est disp. 6. sect. 3. ergo neque natura substantialis efficit suam subsistentiã. Probo cõsequentiam: quia non magis est de complemento substantiali formæ vnio cũ materiâ, quam decõplemẽto substantiali naturæ subsistentia: ergo si forma adhuc rationalis non potest producere suam vnionem, neque natura poterit producere suam subsistentiam.

71 Respondet P. Hurt. in Meta. dis. 11. n. 118. esse disparem rationem: quia forma non potest aliquid producere in materia, nisi vt forma illius constituitur autẽ forma illius per vnionẽ, ac proinde nihil potest in materiâ causare nisi vt vnita. At verò natura substantialis secundum se potest operari. Sed contrà: ex eo solũ forma non potest producere aliquid in materiâ, nisi vt forma illius, quia cõpletur in suo esse per vnionẽ; ergo, cũ natura substantialis cõpletur in suo esse per subsistentiã, nõ poterit aliquid producere, nisi vt affecta ipsâ subsistentiâ. Ratio a priori conclusionis est: quia humanitas non solùm est essentialiter principiũ radicale intellectionis, &c. sed etiã alterius hominis; & suppositi: ergo sicut per subsistentiam completur in esse principij radicalis intellectionis, &c. sic etiã completur in esse principij alterius hominis, & suppositi ergo sicut non potest reliquas operationes elicere, nisi supponatur completa per subsistentiam, ita neque ipsam subsistentiam. Vnde in prima sui generatione accipiet subsistentiam à generante, per quam complebitur, vt deinde possit producere non solùm aliam humanitatem, sed etiam subsistentiam.

72 Obijcies: subsistentia non solùm est conditio, vt natura operetur efficienter, sed etiam vt operetur in genere causæ materialis recipientis: atqui hoc non obstat, vt recipiat in genere causæ materialis subsistentiam propriam: ergo neque obstabit, vt efficienter illam producat. Respõdeo, subsistentiam esse conditionem ex parte naturæ requisitam ad recipiendas alias operationes prater ipsam subsistentiam; at verò in genere causæ efficientis non solùm esse conditionem, vt natura efficiat alias operationes, sed etiã vt ipsam subsistentiam, vel alias

eiusdem

eiusdē speciei. Ratio disparitatis sumitur ex diuerso modo causandi causæ materialis, & efficientis: quia causa materialis causat effectum recipiendo illum, vt propriā perfectionem, atque adeo necessarium non est, quod ipsa supponatur iam perfecta, imo necessarium est, quod non præcedat cum tali perfectione; alioqui illam nō posset recipere: at vero causa efficiēs non producit effectum recipiendo; sed dādo perfectionem, atque adeo debet supponi iam completa, & perfecta. Neque id mirum videri debet, cum plus requiratur ad dandum esse, quam ad illud recipiendum.

73 Hæc doctrina egregie cō firmatur a paritate vnionis inter materiam, & formam substantialem, quæ, cum sit complementum vtriusque taliter, vt materia sit causa receptiua illius; forma vero effectiua, non efficitur à formā, quia non supponitur completa; & tamen recipitur a materiā, etiamsi non supponatur completa per aliā vnionem: ergo idem dicendum erit de natura substantiali, vt est causa efficiens, & recipiens subsistentiæ. Cum hoc tamē bene stat, quōd subsistentia sit conditio ex parte naturæ ad reliquas operationes recipiendas; quia cum reliqua taliter consequantur essentiam, vt non compleant illam substantialiter; & ex alio capite esse sit prius, quam operari, necessariū est, vt id, quod pertinet ad esse, conducat aliquo modo ad operationem saltem vt conditio.

Quarta difficultas est.

74 VTrum natura substātialis possit esse sine omni subsistentiâ? Respondeo affirmatiue cum P. Hurt. supra num. 123. vbi pro se adducit P. Valent. tom. 4. disp. 1. quæst. 1. punt. 2. §. *Non obstat.* Ratio est: quia natura substantialis non est modus subsistentiæ, sed ê contra, ipsa completur per subsistentiam tanquam per modum: cur ergo non poterit Deus corrupto modo conseruare naturam? Obiicit P. Soar. quantitas non potest diuinitus esse sine aliqua figura; neque corpus sine aliqua præsentia, neque accidens priuari potest inhærentia, quin illi tribuatur modus perfectatis: ergo neque natura substantialis potest priuari propriâ subsistentiâ, quin illi tribuatur aliena. Nego antecedens quoad id, quod dicit de quantitate, & corpore, de quo infrà disp. 22.

75 Quod attinet ad accidens, dico, quod, quando separatur à subiecto, duplicem modum perfectatis potest habere. Primus est creatio, quæ substituitur loco eductionis, per quam dependebat a subiecto. Secundus est modus perfectatis, qui substituitur loco modi vnionis ad complendum entitatem accidentis. Sine hoc potest esse accidens separatum de potētia Dei, sicut potest esse natura sine aliquâ subsistentiâ. Sine primo tamen non potest: vtpote, cum accidens sit eius ab alio, necessarium est,

est, quod semper conseruetur ab aliquo efficienti per aliquam actionem: ablata verò eductione nō potest per aliam conseruari nisi per creationem. S. Thomas adductus à P. Soar. ex 3. dist. 1. art. 3. quæst. 3. ad 3. loquitur ex naturâ rei. Rogabis, an quando Deus miraculose tolleret naturæ propriam subsistentiam, nec aliam adderet, conseruari posset natura sine nouo miraculo? Respondeo, in eo casu non fore nouum miraculum eam conseruare, iuxta ea, quæ de conseruatione materiæ primę sine omni formâ substantiali diximus disp. 2. sect. 8. illuc adito.

Vltima difficultas est

76 QVâ ratione significent nomina substantiua tam quæ sumuntur à naturâ substantiali, vt hæc, *homo*, *Deus*, &c. quam quæ sumuntur à subsistentiâ, vt hæc, *suppositum*, *persona*? Et quidem certum est, quodlibet ex istis nominibus significare naturam substantialem, & subsistentiam simul: & ideo difficultas solum est circa modum illas significādi. De hoc egi in Log. disp. 11. sect. 1. & ideo breuiter rem hanc expediam in præsenti.

77 Dico ergo, vtraque nomina significare naturam, & subsistentiam in recto: cum hoc tamen discrimine, quod nomina desumpta à natura significant determinate ipsam naturam, & vage subsistentiam hanc, vel illam è contra verò nomina desumpta à subsistentiâ determinate significant subsistentiam; vage verò naturam hanc vel illam. Vnde quando dicimus, *hic homo*, *hic Deus*, solum determinamus *humanitatem*, & *Deitatem*, & vage significamus hanc, vel illam *subsistentiam*. Ita docet P. Gaspar Hurt. de Incar. di p. 11. difficul. 13. num. 61. è contra vero quando dicimus: *hoc suppositum*, *hæc persona*, determinamus subsistentiam, & personalitatem, & vage significamus hanc, vel illam naturam. Primum constat ex mysterio sanctissimæ Trinitatis, in qua idem numero Deus datur in tribus personis, quia in omnibus datur eadem numero Deitas: ergo hic numero Deus, non dicit determinate subsistentiam; sed solùm vage, aliquam scilicet in qualibet persona detur personalitas finita, quælibet esset diuersus numero Deus. Secundum constat ex mysterio Incarnationis, in quo idem numero suppositū (Verbum videlicèt, quod fuit ab æterno sine humanitate) permansit post vnionem cum ipsa humanitate, vt ex Fide constat. Ergo hoc suppositum non dicit determinate hanc naturā: alioquin cùm adiuncta fuit humanitas Verbo, resultaret diuersum suppositum, ac erat antea. Adde, nomina propria, *vt Petrus*, *Ioannes* &c. determinate significare naturam, & subsistentiam, vt docet P. Gaspar Hurt. supra difficul. 7. num. 39. & ideo qualibet ex illis variata non maneret Petrus.

78 Ex his inferes, supposita esse vnum, vel plura ex vnitate, vel

pluralitate subsistentiarum; è contra vero homines esse plures, vel vnum ex pluralitate, vel vnitate naturarum. Vnde si eadem natura humana, vniretur pluribus subsistentijs, daretur vnus homo, & plura suppositа: è contra verò, si vna subsistentia vniretur pluribus humanitatibus, daretur vnum suppositum & plures homines, vt à paritate deduci potest ex mysterijs Trinitatis, & Incarnationis. Neque enim vlla est ratio, propter quam hæc nomina diuerso modo significent in humanis, ac in Diuinis. Hic aduerte, has propositiones, quæ in Christo Domino sunt veræ, *homo est Deus*, & *Deus est homo*, ita accipiendas esse, vt sensus prioris sit: *idem suppositum, quod est homo, est Deus*. posterioris verò: *idem suppositum, quod est Deus, est homo*: quia ex omnium sententia ex eo solum ex propositiones sunt veræ, quia natura humana, & Diuina sunt vnitæ in eodem supposito: ergo non alium sensum habent nisi prædictum.

LIBER SECVNDVS PHYSICORVM.

IMVS in 1. lib. de principijs entis naturalis, prout eius essentiam cõstituunt: in hoc verò agendum est de eisdem, prout in illud, & in eius operationes influunt: cumque hoc munus præstet vt causæ, exactam causarũ explicationem aggredi oportebit.

DISPVTATIO. IX.

De Natura, & naturali.

PRimum sibi parat locum in hoc libro Naturæ inuestigatio; ex qua gradũ faciemus ad causarum explicationem, quæ est præcipua, & melior portio totius philosophiæ naturalis, & quæ maximè cõducit ad Diuinam.

SECTIO. I.

Natura definitio, & quidditas explanatur.

1 MVltis modis solet accipi *Natura*. Primò enim accipitur pro Deo rerum omnium opifice, & authore; vocaturque à nonnullis *natura naturans*, ad distinctionem creaturarum, quæ natu-

natura naturata nuncupãtur; quia omnes à primâ illâ naturâ sunt productæ. Iuxta hanc acceptionẽ dixit Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 1. supra hanc nostram naturã esse naturam, nõ creatam; sed Creatricẽ, idest, Deum. Secundò accipitur *Natura* pro cuiusque rei essentia: sic dicimus, esse iuxta naturã ignis calefacere; aquæ infrigidare, &c. Tertio sumitur pro totâ vniuersitate rerum creatuarm, & agentis increati, quatenus operatur iuxta naturam, & exigentiam illarum: sicque miraculum dicimus, quod totius naturæ, idest, rerum creatarum vires, & exigentiam superat. Quartò, pro causis naturalibus, quatenus secundum insitam propensionem operantur: quo sensu dicimus, *naturam odisse vacuum; nihil frustra moliri; horrere superfluum*, &c. Quintò pro natiuo calore, ac temperamento primarum qualitatum in animalibus residente, sic dicimus, *Tiene natural melancolico, alegre*, &c. Sextò sumitur pro cuiusque viuentis sensibilis generatione, quæ *natiuitas* vocatur; estque magis propria huius nominis significatio iuxta eius etymologiam: *Physis* enim, quod græce est idem, ac latine *Natura* deriuatur à verbo græco *Phyoma*, quod est *nascor*. Hinc est, quod, cum generatio, & natiuitas ab interno rei principio oriatur, extẽsum sit nomen *Natura* ad significandum internum principium, vnde primò res habet, quod moueatur, siue illud rebus viuentibus, siue non viuentibus insit: & hæc est septima, & vltima huius nominis acceptio, iuxta quam hoc loco definiuit Arist. *Naturam*.

2 *Natura* ergo hoc vltimo modo accepta est iuxta Aristot. cap. 1. huius libri text. 3. *Principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est primò, & per se, & non secundum accidens. Principium* ponitur loco generis: in quo natura conuenit cum priuatione. Additur, *& causa*, vt à priuatione secernatur, quæ taliter est principium motus, vt illum non causet. Si tamen recta definiendi methodus seruanda esset, dicendum potius esset *principium causatiuum*, quam, *principium, & causa*: sic enim superfluit verbum *principium*, cum in causâ, principij ratio contineatur. Est autem ab Aristot. sic prolata definitio; tum ne, si causam solum poneret in definitione, putaretur loqui de causâ lato modo sumptâ, prout comprehendit principium; tum etiam, vt vel rudibus naturæ ratio (quæ maximi momenti est in philosophia) clarius innotesceret.

3 Additur, *motus, & quietis*. Per particulam *motus* quamlibet mutationem intellige siue successiuam, siue instantaneam, non secundùm quod inuoluit priuationẽ in subiecto præexistentem; hæc enim per accidens est, vt natura quatenus talis operetur; sed secundum quod dicit actionem, & passionẽ. Propterea Aristot. in 3. libro explicans essentiam motus, cuius causam hic dixerat esse naturam,

tantùm meminit in eius definitione actionis, & paſsionis, nullâ factâ mentione priuationis, vt ibi dicemus. Addunt PP. Conimb. hìc quæſt. 2. art. 1. in illa voce *motus* intelligendum eſſe motum phyſicum, vt à ratione naturæ Angelus excludatur. Sed ſine fundamẽto id aſſerunt; tum quia Philoſophus tantùm ponit vocem *motus*, nullâ additâ reſtrictione: vt quid ergo illã reſtringemus? Tum etiã quia quamuis intelligendus eſſet motus phyſicus, non poſſet Angelus per hanc particulã excludi: *motus* enim *phyſicus* eſt idem, ac *motus naturalis*, id enim ſignificat vox græca, *Phyſicòs*: motus autem naturalis dicitur ille, qui eſt à natura prius ergo probandũ eſt, Angelum non eſſe naturam, quam motus, aut operatio eius à ratione naturalis, ſeu phyſicæ excludatur.

4 Per particulam *quietis* ne intelligas quietem negatiuam, hoc eſt, carentiam motus; ſed poſitiuã, nempe conſeruationẽ termini acquiſiti per motũ: eâdem enim virtute, quâ ens naturale propriam perfectionem acquirit, conſeruat ipſam. Hac de cauſa, dum lapidem a centro intẽdimus remouere, vim reſiſtendi ſentimus, non ob aliam rationem, niſi quia eâdem vi, quâ ipſe conatur centrum acquirere, conſeruat præſentiam in eodem centro, & in eo quieſcit. Hinc reijciendus eſt P. Fonſeca, qui 5. Metaph. quæſt. 1. cap. 4. ſect. 4. docet, eas particulas, *motus*, & *quietis* intelligendas eſſe disiunctiue, ita vt in aliquibus ſit natura principium motus; in alijs verò principium quietis. Hoc, inquam, eſt falſum, quia eadem virtus, quæ poteſt terminum aliquẽ producere, poteſt, & illum conſeruare; cum conſeruatio nihil aliud ſit, quam continuata productio: ergo, eo ipſo quod aliqua natura eſt cauſa motus, eſt etiam cauſa quietis. Vnde hæc particula ſolum eſt addita in definitione maioris explicationis gratia.

5 Additur, *eius, in quo eſt*. Nonnulli putant, hæc verba referenda eſſe ad motũ, ita vt ſenſus ſit: *Natura eſt cauſa motus, & quietis eius, in quo eſt ipſe motus, &c.* Sed hoc expreſſe eſt contra mentem Ariſt. qui addit, *primò, & per ſe, & non ſecundum accidens*, motus autẽ non eſt *primò, & per ſe* in mobili; ſed ſecundum accidens. Secundò, quia ipſe Ariſt. medicinam exiſtentem in homine, qui ſe ipſum ſanat, dicit non eſſe naturam, eo quod non eſt per ſe primò in illo: ergo id, quod eſſe debet primò, & per ſe in mobili, eſt ipſa natura. Referenda ergo ſunt illa verba ad ipſam naturã, ita vt ſenſus ſit, *natura eſt cauſa motus, & quietis eius, in quo eſt ipſa cauſa, &c.* quod intellige nõ de exiſtentiâ per rationem, vt exiſtunt in ſpecie genus, & differentia; ſed de exiſtentia reali, vt exiſtant in cõpoſito materia, & forma. de hac enim exiſtentia loquebatur Ariſt. vt appareret ex cõtextu, in quo ſolùm materiam, & formam aſſerit, participare rationem naturæ.

6 Neque dici poteſt, Ariſt. genus, & differentiam cõprehendiſſe hìc

his sub nominibus materiæ, & formæ, quia genus, & differentia in compositione metaphysica se habent vt materia, & forma. Hoc, inquam, dici non potest. quia genus, & differentia impropriè nimis, & metaphorice dicuntur materia, & forma, & essentiam componere, ac in illa esse, cum reuerà neque materia, neque forma sint, neque cõponant nisi per operationem nostri intellectus. Verba autem in definitionibus posita, & ea, quæ ad easdem definitiones explanandas adducantur, propriè intelligenda sunt. Alioqui quando definitur homo per hoc, quod est esse *animal rationale*, possemus dicere, comprehendi in hac definitione hominem pictum, & mortuum, quia hi metaphorice dicuntur homines: hoc autem quis dicat?

7 Dicitur autem *eius in quo est*, vt denoretur, motum debere esse proprium illius totius, in quo includitur ipsa natura: cum autẽ motus essentialiter includat actionẽ, & passionẽ, iuxta dicenda lib. 3. vt sit proprius totius, necessarium est, quod efficiatur ab illo, & recipiatur in illo. Si enim recipitur, & non oritur ab illo, vel è contra, nõ erit motus secundùm se totum proprius illius; sed partim erit illius, partim alterius, à quo oritur, vel in quo recipitur.

8 Denique additur *primò*, & *per se*, & *non secundùm accidens*. Per illa verba *primo*, & *per se*, denotatur, naturam tali modo debere esse in eo, quod mouetur, vt sit de primario, & essentiali conceptu illius, vt vera pars essentialis ipsius. Propterea Arist. materiam solum, & formam, qua sunt partes essentiales substantiæ, dixit esse naturas. Hinc est, quod grauitas, & leuitas, &c. non sint natura, quia licèt causent motum in substantijs, in quibus sunt, nõ tamen sunt partes essentiales illarum. Deinde ponitur, *non secundum accidens*, vt constet, naturam debere esse partem essentialem compositi substantialis, non accidentalis. Ex his cõstat, ad rationem naturæ necessarium esse, primo, quod ipsa natura sit causa motus: secundò, quod iste motus oriatur, & recipiatur in eo, in quo inest natura: tertio, quod ipsa natura sit pars essẽtialis illius, in quo est: quarto, quod hoc debeat esse compositum, non accidẽtale; sed substantiale.

9 Hinc colligo primò, neque Angelicam substantiã, neque compositum resultans ex materia, & forma substantiali esse naturam, prout hic definitur: quia natura est pars essentialis substantiæ completæ, in qua est: sed neque substantia Angelica, neque ea, quæ est composita ex materia, & forma, sunt partes essentiales substantiæ completæ, quia, licèt ex includantur in supposito, quod est substantia cõpleta, non tamen, vt partes essentiales; sed vt tota essentiã illius propriè loquẽdo, vt diximus sect. præcedente in principio. Fateor, substantiã Angelicã, & substantiã compositam ex materia, & forma, imo & Diuinam dici naturas, hoc tamen est propter similitudinem,

quam habent cũ natura hìc ab Aristotele definita: quæ similitudo in eo est, quòd sicut natura hìc definita dicitur illa substantia, quæ est causa operationum compositi, in quo includitur, ita etiam in supposito id quod est causa operationũ, est sola substantia prout distincta à subsistentia, & propterea dicitur natura. Quæ tamen non habet alia requisita, deficit à ratione naturæ hìc definitæ.

10 Secundò colligo, illuminationem aeris non esse motum naturalem propriè loquendo, vt hìc loquimur: quia, licèt recipiatur in aere, qui est propriè ens naturale; non tamen oritur ab illo; sed à Sole, & ideò non est proprius aeris secundùm se totùm. Tertiò colligo, neque actionem, quæ vnus homo, v. g. generat alium hominem, esse motum naturalem in acceptione, de qua loquimur in præsenti: quia non recipitur in eodem, à quo oritur. Colligo quartò, quod, si detur compositum ita resultans ex materia, & forma, vt nulli istarum seorsim sumptæ respondeat effectio, aut receptio operationũ, quæ sunt propriæ talis compositi; sed indiuisibiliter respondeant ipsi toti, non dicentur hæ partes natura: quia in eo casu nulla ex illis erit principiũ, & causa motus; sed toti solum id conueniet: ergò nulla ex illis erit natura.

11 Dices: etiamsi visio non respõdeat potentiæ visiuæ seorsim sumptæ; sed ipsi simul cum specie: nihilominùs potentia visiua absolutè dicitur esse causa visionis; ergo, licèt operationes cõpositi nõ respondeant materiæ, & formæ seorsim sumptis; sed toti ex illis resultanti, poterit quælibet absolute dici causa earũ operationũ, ac per cõsequens erit natura. Cõcedo antecedens, & nego consequentiã: quia, licèt absolute dicatur causa effectus ea, quæ ita est inadæquata, vt vel in aliquo genere adæquata sit, vt, est causa efficiens, aut materialis prima, aut secunda: vel, si sit inadæquata adhuc in vno genere, respondeat tamen illi seorsim aliqua formalitas effectus, vt contingit in potentia visiua, quæ, licèt in genere efficientis secundi sit causa inadæquata visionis; seorsim tamen illi respondet aliqua formalitas huius (in sentẽtia eorum, qui dicunt; speciem etiam cõcurrere efficienter) Nihilominus absolute non dicitur causa effectus ea, quæ ita est inadæquata, vt nec sit adæquata in vno genere, nec aliqua formalitas illi seorsim respondeat; vt constat in gradibus intensionis, aut partibus integralibus alicuius agentis; quæ quãdo indiuisibiliter concurrunt ad vnum effectum producendum, nulla seorsim dicitur absolute causa effectus; sed totum ex omnibus resultans. Hac ergo ratione se haberent materia, & forma in eo cõposito, de quo loquimur in præsenti: & ideò nulla ex illis seorsim sumpta posset absolute dici causa effectus; sed solùm compositum ex vtrãque resultans; ac per consequens nulla ex illis diceretur natura.

SE-

SECTIO II.

Verùm materia, & quæuis forma substantialis sint natura?

12 TAm certum est apud Aristotelem, materiam, & formam substãtialem esse naturam, vt superuacanea esset disceptatio de hoc, nisi authores aliqui nonnulla confinxissent, quæ veritatem luce clariorem videantur obnubilare. Arist. enim hic tex. 10. aperte docet, materiam, & formã esse naturam & tex. 14. ait: *Naturam autem habent, quæcunque huiusmodi habent principium: & sunt hæc omnia substantia, subiectum enim quoddam, & in subiecto est natura semper.* Vbi docet, ea habere naturam, quæ constant materiã, & formâ, eo quòd natura semper est materia, & forma. Idem docet 5. Metaph cap. 4.

13 Dico ergo primò: quæuis forma substantialis corporea sublunaris ex his, quas nouimus, est natura. Ita sentiunt communiter authores: quia quæuis ex istis formis est principium efficiens motus, per quem producuntur proprietates, & perfectiones compositi substantialis, in quo includitur tanquã pars essentialis illius: ergo omnibus illis conuenit definitio naturæ. Neque obest, quod formæ non sint adæquata causa huius motus, eo quod non sint principium passiuũ illius. Hoc, inquã, nõ obest: quia Arist. non requirit ad rationẽ naturæ, quod motum causet in omni genere causæ, sed tantum quod sit causa; quod quidẽ verificari potest, etiãsi in vno tantũ genere ad motũ concurrat. Vide cap. 1. huius lib. vsq, ad tex. 15. in eo enim ex professo probat Arist. formam esse naturã, & docet, magis naturã esse, quã materiã. si autẽ solũ esset natura, quod est principiũ passiuũ motus, vt ait Scotus, non esset, cur forma magis natura, quã materia diceretur, quia materia etiãrecipit motũ. Imo hæc sola esset natura; quia, vt dicemus infra, accidẽtia cõpositi subiectãtur in materiâ solũ.

14 Dico secũdo: forma quæuis cœlestis est natura. In hanc cõclusionem cõsentiunt fere omnes authores præcedẽtis. Probatur: quia forma cuiuslibet cœli (supponamus cœlos esse plures) est principium, & causa efficiens proprietatum, & perfectionũ, quæ sunt propriæ ipsorum cœlorũ: ergo est causa motus, per quem hæc omnia in ipsis cœlis producuntur; & ex alio capite habet omnia requisita ad rationem naturæ: ergo quæuis forma cœlestis est natura. Antecedens admittitur communiter ab authoribus. Adde, formam cœli Empyrei (si est compositum ex materiâ, & formâ) esse causam conseruantem præsentiam, quam habet ipsum cœlum in suo centro; &, esse talis virtutis, quæ, si moueretur cœlum à proprio centro, iterum illud ad ipsum reuocaret centrum naturali vi, quoniã, si reliqua corpora habent intrinsecam vim, vt à proprio centro adhæreant, & illud recuperent, si mouẽtur, cur id cœlo Empyreo non concedemus? hãc dico de reliquis cœlorũ orbibus;

lectorum motus, quo nunc cientur, non fit à principio intrinseco, quia iuxta cõmunem opinionẽ est ab intelligentia assistente: attamẽ, si intelligentiæ eos non moueret, quiescerent ab intrinseco in suo centro, conseruando ibi propriam præsentiã. Præterea si inde remouerentur, propria vi se ad idem centrum reuocarent, virtute propriæ formæ substantialis.

15 Obijcit Scotus: ea tantum mutatio est naturalis, quâ vnumquodque aptum est mutari ratione principij passiui mutationis; non ratione principij actiui, non enim dicitur mutari, & moueri, quod efficit, sed tantũ quod recipit motũ: ergo ratione solũ principij passiui, motus dicitur naturalis: ac per cõsequens forma, solũ est natura, quatenus principiũ passiuũ motus. Distinguo maiorẽ: ea tãtũ mutatio est naturalis, quâ vnunquodque aptum est mutari a se, & seipsum mutare, concedo: mutari ab alio, nego maiorẽ, vt constat ex dictis sect. præcedente. Vnde non solùm principium passiuum erit natura; sed etiam actiuum, quia tam vnũ, quàm aliud est causa motus proprij ipsius compositi.

16 Obijcit secundo natura vt natura est principium intrinsecũ illi, quod mouetur per motum naturalem: sed causa effectiua motus non est per se loquendo intrinseca illi, quod mouetur, nisi forte per accidẽs, quia per accidẽs est, quòd principium efficiens sit in eo, quod mouetur: ergo id, quod efficit motum, non est natura. Concessa maiori, distinguo minorẽ causa effectiua motus non est intrinseca illi, quod mouetur, si motu naturali moueri debeat, nego: si motu non naturali, concedo minorem. Necessarium enim est, per se loquendo, ad hoc, vt motus aliquis sit naturalis, quod oriatur ab illo, quod mouetur, & in eo recipiatur, vt dictum est sect. præcedente num. 7.

Obijcies tertiò S. Thom 3. part. quæst. 66. art. 3. vbi asserit, cœlum Empyreũ non moueri: ergo sentit non esse causam motus. Respondeo, Angelicum Doctorem aperte loqui de motu locali actuali. non tamen negat, quod si à centro proprio remoueretur, se iterũ ad id reuocaret: neque negat, esse causam aliarum perfectionum, & proprietatum, quæ in se habet, vt est lux, &c. quod quidẽ efficeret, vt causa motus diceretur, & esset propriè natura.

17 Dico tertio: anima rationalis, adhuc vt rationalis, est natura. Ita PP. Conimb. hìc quæst. 4. art. 1. P. Tolet. quæst. 2. procem. ad lib. de Anim. Rub. in hoc libro cap. 1. quæst. 14. & communiter recentiores. Probatur. quia anima rationalis vt rationalis, est causa operationum hominis, in quo includitur tanquam pars essentialis. ergo est natura. Consequentia est bona ex definitione Naturæ. Antecedens autem probatur quia in primis anima rationalis vt talis, est causa intellectionis, quæ est propria operatio non solum ipsius animæ; sed etiam totius compositi, quando

doquidem anima pro hoc statu non potest intellectionem, saltem aliquam, vt dicemus in lib. de An. elicere, nisi vt vnita corpori. Vnde totum compositum necessario requiritur ad eliciendam intellectionem pro hoc statu. Deinde anima rationalis vt talis, est causa nutritionis hominis, risus, fletus, & aliorum motuum, qui sunt proprij hominis, vt homo est: ergo, &c.

18 Aduerte, animam rationalem respectu harum operationum esse naturam, non solum quãdo est corpori adiuncta, sed etiam quando ab illo separata; quia ad rationem naturæ non requiritur, quod actu eliciat operationes proprias totius compositi; sed solùm quod ex natura sua sit apta ad illas eliciendas, vt concedunt omnes: cum autem anima rationalis, quando est separata à corpore, habeat virtutem intrinsecam ad operationes, quæ sunt propriæ totius compositi, seruabit rationem naturæ in eo statu respectu harum operationum. Non tamen est natura respectu operationum, quæ sunt propriæ status separationis, qualis est intellectio per proprias species: quia hæ non sunt operationes propriæ compositi, sed solius animæ.

19 Obijcies Aristotelem lib. 1. de Par. an. cap. 1. nõ multo ante finem, vbi agens de anima rationali ait, non esse naturam. *Constat igitur* (inquit Aristoteles) *non de anima omni differre oportere; quã doquidem non anima omnis natura est; sed aliqua eius pars vna, aut etiam plures.* Respondeo, animam rationalem habere duplicem statum; alterum coniunctionis cum materia, separationis alterũ. Aristoteles autem solùm excludit à philosopho naturali animã rationalẽ secundum statum separationis, non vero secundum statũ coniunctionis; & ideo addit, *Ad hæc, rem à materia abstractam nulla potest scientia naturalis contemplari*, vt denotaret, se solùm excludere à cõtẽplatione philosophiæ animam secundùm statum separationis à materia; non secundùm statum coniunctionis.

20 Dico 4: materia prima est propriè natura. Ita P. Rub. hic quæst. 2. P. Hurt. sect. 3. vbi refert S. Th. 2. Phys. text. 2. & 10. & 21 Scot. PP. Conn. P. Suar. & alios; & est expressa Arist. sententia adducti initio huius sectionis. Ratio est: quia materia est causa motus eius, in quo est, &c. ergo est natura. Antecedens patet: quia in se recipit motum alterationis, motum localem, & reliquos motus materiales totius cõpositi, in quo est. ergo est causa materialis illorũ. Præterea habet omnia alia requisita ad rationem naturæ, vt expendenti constabit: ergo, &c. Hic non possum non obiurgare Thomistas, qui cum alibi asserãt, nullà accidentia recipi in materia primâ, sed subiectari in cõposito omnia illa, quæ corporea sunt; hìc asserunt, materiam esse naturam. Contra quos sic argumentor. materia non est principium essendi, & ideo

motus, vt fatentur omnes, neque est principium passiuum, vt vos asseritis: ergo non est causa motus eius, in quo est. ergo neq, natura.

21 Dicent, esse principium passiuum inadæquatum, quod sufficit, vt absolute dicatur principium passiuum. Sed contrà est, quod ad hoc, vt absolute dicatur principium, & causa, non sufficit, quod sit causa inadæquata motus iuxta dicta sect. 1. Dicent secundo, materiam esse principium passiuum generationis substantialis, quod sufficit, vt dicatur esse natura. Sed contrà: generatio non est motus totius compositi, sed solius materiæ: neque enim totum mouetur per generationem, sed fit, teste Arist. 5. Phys. text. 8. ergo materia non potest esse natura ex eo, quod sit principium passiuum generationis. Patet consequentia. quia natura, vt talis, debet esse principium motus, qui sit proprius totius compositi, in quo est ipsa natura, vt constat ex dictis sect. 1.

Soluuntur obiecta contra conclusionem præcedentem.

22 MVlta obijciuntur ex Arist. contra prædictã conclusionem, in quorũ solutione trademus doctrinam non contemnẽdam. Primo obijcitur. 5. Meta. cap. 4. text. 12. vbi loquens de forma substantiali ait: *Translatione autem tam, & omnis omnino substantia propter hanc* (scilicet formam) *natura dicitur: quia & ipsa natura substantia sit quædam*: ergo ex mente Arist. sola forma est proprie natura, reliqua vero per translationem, & metaphoram. Vt respõdeam noto primò, nomẽ *substantia* hìc sumi pro *essentia*, in textu enim græco habetur *vσία* quod significat essentiam. Noto secundò, formam substantialem frequenter vocari ab Aristotele, *quod quid erat esse*, seu, *essentiam* rei quod non ideo dicit, quia forma sit tota essentia compositi; sed quia est præcipua pars, & quæ totum cõstituit in esse talis speciei, & illud separat ab aliis. Hinc fit, quòd forma accidentalis dicatur, quod quid erat esse, seu essentia totius accidentalis propter eandem rationem.

23 Dum ergo Aristoteles in obiectione adductus docet, omnem substantiam, hoc est, essentiam, per translationem dici naturam propter formam substantialem, loquitur de reliquis formis, ac si diceret: reliquæ omnes formæ, quæ sunt essentia totius, quod constituunt, dicuntur metaphoricè natura propter formam substantialem: quia propter similitudinem, quam cum ea habent in eo, quod sicut hæc est quidditas, & essentia totius substantialis, ita illæ sunt quidditas, & essentia totius, quod constituunt, fit, vt nomen *natura*, cuius ratio proprie inuenitur in forma substantiali, transferatur ad reliquas. Hæc autem explicatio consonat textui Arist. & est adhibenda, ne cogamur asserere Arist. in hoc lib.

lib. 2. Phys. inepte diuisisse naturam in materiam, & formam: quia si materia dicitur metaphorice natura, sicut alia plura, cur solùm diuidit naturam in materiam, & formam, & alia omittit, quæ metaphorice dicuntur natura sicut materia?

23 Obijcitur secundò Arist. 5. Metaph. capit. 4. text. 14. vbi docet, formam primario, & proprie dici naturam, materiam vero, eo quòd formæ sit susceptiua. Verba sunt: *ergo ex his, quæ dicta sunt prima, & quæ proprie natura dicitur, substantia est eorum, quæ in se ipsis, quatenus ipsa sunt, motus principium habent: materia enim, eo quòd huius sit susceptiua, dicitur natura*: ergo ex mente Arist. sola forma, quam nomine substantiæ hìc significat est proprie natura; materia vero solum per analogiam ad formam, nempe quia est illius susceptiua. Respondeo primò, quod quando Arist. dicit *materia verò, eo quod huius, &c.* particula *huius* referri potest ad motum; non ad formam: ita vt sensus sit, materia est natura, quia est motus susceptiua.

25 Secundò, dato quod particula *huius* referatur ad formam, ita vt sensus sit; materia est natura, quia est susceptiua formæ, respondeo, mentem Aristotelis solùm esse, quòd materiam esse formæ susceptiuam, est primaria ratio in materia, ex qua nostro modo concipiendi oritur, quod sit natura: quia ex eo, quod materia est susceptiua formæ (saltem huius, aut harum, quas cognoscimus) oritur nostro modo concipiendi, quod sit receptiua operationum, & motuum, quibus mouetur compositum resultans ex vtraque esse vero materiam receptiuam horum motuum est esse veram, & propriam causam illorum, quod est esse proprie naturã iuxta definitionem Arist. Dum autem ipse Arist. dicit, *formam esse, quæ proprie natura dicitur*, non est quia sola forma sit proprie natura; sed quia est perfectior natura, quam materia: qua ratione intelligendus est, dum alibi dicit formam esse magis naturam, quã materiam: ibi enim idem est apud Aristotelem esse magis naturam, ac esse perfectiorem ratione differentiæ perfectioris, per quam forma constituitur in esse talis naturæ.

26 Obijcies tertiò: ex eo distinxit Arist. naturalia ab artificialibus, quòd illa in se ipsis habent principium motus; secus hæc: atqui hæc non carent principio passiuo; sed tantum effectiuo motus, quando quidem figura statua principium habet passiuum motus, nempe lignum: ergo principium actiuum est, quod Arist. requirit ad rationem naturæ. Distinguo minorem: artificialia non carent principio passiuo motus, qui sit proprius totius artificialis vt talis, nego: principio passiuo motus vtcunque, concedo. Iam monui, naturam esse causam motus, qui perse oriatur à com-

compositio, in quo est natura, & in eodem recipiatur: cum autem ens artificiale, vt tale non habeat in se principium effectiuum alicuius motus, neque habet principium passiuum motus, qui sit proprius illius vt talis, ac per cõsequens neque habet principium actiuũ, aut passiuum, ratione cuius habere possit rationem naturæ.

17 Dices: ens artificiale, vt tale per se conducit ad motum: ergo datur alterius motus proprius totius artificialis. Antecedens constat quia ex eo, quod corpus aliquod artificiose disponatur tali, vel tali modo, oritur, quod motus fiat celerius, hoc, vel illo ordine, &c. Respondeo artificiosam dispositionem corporis non conducere per se ad substãtiam motus, sed solum ad circunstantiam aliquam illius ad hoc videlicet, vt tali, vel tali ordine fiat, maiori, vel minori celeritate &c. Hoc autem nõ sufficit, vt ens artificiale dicatur causa motus, quod quidem est principium naturæ vt talis, sed solum vt dicatur cõditio per se requisita a aliquã circunstantiam motus; quod non sufficit ad rationẽ naturæ vt ex illius definitione cõstat.

18 Obijcies 4. apud Arist. idem est esse principium motus, & quietis, ac esse causam efficientem motus, & quietis; sic enim definiuit causam efficientem cap. 3. huius libri: *vnde primum principium mutationis, & quietis*: ergo in definitione naturæ non comprehenditur principium passiuum motus. Nego antecedens; quia tam causa materialis, quãm efficiens dicitur proprijssime principium, & causa motus, & ideo Arist. in definitione causæ efficientis addidit particulam *vnde*, vt per illam à reliquis causis distingueretur iuxta dicenda disp. 13. de causa Efficiente.

19 Obijcies 5. si materia est natura, motus lapidis sursum erit naturalis: hoc non potest dici: ergo, &c. Probatur maior: quia ille motus est naturalis, qui est à naturâ: sed motus lapidis sursum est à materiâ, quæ pertè est natura: ergo est naturalis. Nego maiorem. Ad probationem distinguo minorem: motus lapidis sursum est à materiâ, vt natura est, nego: non vt natura est, concedo minorem. Eatenùs enim materia est natura, quatenùs est causa motus, qui sit proprius totius, in quo includitur: at motus lapidis sursum non est proprius lapidis, in quo est materia, ac per consequens materia non est natura, quatenùs principium huius motus.

20 Ex dictis colliges, animam rationalem non solum esse naturam, quatenus est principium actiuum intellectionis; sed etiam quatenus est principium passiuum illius: quia, cum intellectio vt talis sit operatio propria totius compositi, iuxta dicta num. 14. eo ipso quod est principium passiuum illius, est causa materialis motus proprij compositi, in quo est tanquam pars essentialis illius. Colliges secundo, formas substantiales grauium, & leuium (si

vera

vera sit sententia asserens, quamlibet entitatem compositi esse in loco per præsentiam ipsi respondentem) participare rationem naturæ, vt sunt principium passiuum præsentiæ ipsis respondentis: quia forma lapidis, v.gr. dum deorsum mouetur, recipit in se motum, per quem acquirit suam præsentiam: ergo est principium passiuum talis motus: deinde iste motus est proprius lapidis, in quo hæc forma est, tanquam pars essentialis illius: ergo nihil illi deest ad hoc, vt sit natura in ratione principij passiui.

31 Nonnulli hîc agunt de ente artificiali, & arte. Sed quod attinet ad artem, quæ est cognitio dirigens artificem ad opus artificiosum, nonnulla dicemus infra disp. 17. vbi agemus de causa Exemplari. Ens vero artificiale nihil addit supra ens naturale præter formam, quæ solum consistit in tali, vel tali partium dispositione, cum negatione, seu carentia aliarum, quæ talem formam, aut figuram impedirent. Ex his enim, quibusuis alijs ablatis, coalescit forma artificialis, vt ex se constat; nec aliud quidquam necessarium est ad eius constitutionem. Videātur PP. Conimb. & P. Arriaga hîc.

SECTIO. III.

De Motu naturali, violento, & præternaturali.

32 TRipliciter sumi potest motus naturalis. Primò prout opponitur supernaturali, consistit quo in eo, quòd sit iuxta vires, seu exigentiam rerum creatarum, seu naturalis ordinis. Inquâ acceptione motus lapidis sursum est naturalis, quia fit à causâ naturalis ordinis. Motus naturalis secundùm hanc acceptionem pertinet ad Theologos, qui dum naturam accidentis supernaturalis inuestigant, agunt de accidenti, seu motu naturali illi opposito. Secundò, motus naturalis est id, quod necessarius: nam, cum natura sit determinata ad vnum, iuxta commune proloquium, id omne, quod oritur à principio necessario, & non liberè operante, dicitur naturale. Hac ratione motus liberi voluntatis non sunt naturales, quia indifferenter procedunt ab ipsâ voluntate. De hac acceptione disputant Theologi. 1. 2. dum agunt de actibus liberis.

33 Tertiò, motus naturalis sumitur, prout opponitur violento, & potest vterque sumi strictè, & laxè. Laxè sumitur motus naturalis pro eo motu, qui est iuxta inclinationem, & essentiam cuiuscunque rei: hac ratione calefactio dicitur motus naturalis, quatenus procedit à calore, quia est iuxta inclinationem caloris calefacere. Huic motui naturali opponitur motus violentus laxè sumptus; ille videlicèt, qui est cōtra inclinationem illius rei, quæ mouetur per illum. Motus naturalis strictè dicitur ille, qui est à naturâ propriè sumpta, qua ratione solum datur motus naturalis respectu materiæ,

rix, & formæ substantialis: quia hæ solum sunt naturæ proprie. violentus vero stricte est ille, qui opponitur naturali stricte sumpto. De motu ergo naturali in tertiâ acceptione agendum nobis est in præsenti.

34 Dico ergo: vt motus sit stricte naturalis, necessarium est, quod oriatur per se à composito substantiali, & in illo recipiatur. Constat hæc conclusio ex dictis, sectionibus præcedentibus. Probatur: quia motus naturalis stricte sumptus dicitur ille, qui est à naturâ vt tali; sed motus, qui est à naturâ vt tali, debet fieri à composito substantiali, & in illo recipi: ergo, &c. Minorem probo: quia natura vt talis, est causa motus proprij totius substantialis, in quo includitur ipsa natura, cum autem motus essentialiter dicat actionem, & passionem, non est secundum se totũ proprius totius substantialis, nisi fiat ab illo, & in illo recipiatur. ergo vt sit à naturâ vt talis, necessarium est, quod fiat à composito substantiali, & in illo recipiatur.

35 Dixi in cõclusione, necessarium esse, quod motus stricte naturalis, *oriatur per se à composito substantiali, &c.* quia si compositũ non esset per se necessarium ad talem motum causandum; sed quælibet pars seorsim per se sufficeret ad illum, non esset naturalis, quia iam non esset proprius totius; sed solùm partis. Imo si oriretur ab vnâ parte, & reciperetur in aliâ, ita vt necessaria non esset vnio vtriusque ad hoc, vt vna produceret, & altera reciperet, non diceretur ille motus naturalis propter eandem rationem. Vnum tantum aduerterim, nempe necessarium non esse ad hoc, vt motus sit naturalis, quod fiat ab vnâ parte cõpositi, & recipiatur in alia; sed sufficit, quod in eâdem à quâ fit, recipiatur; dummodó vnio cum aliâ parte sit per se requisita tanquam conditio necessaria ad talem motum producendum; hoc enim sufficit, vt talis motus dicatur proprius, non solius partis, sed totius compositi. Propter hanc rationem intellectio, quam anima rationalis pro hoc statu elicit, est motus naturalis stricte; quia licèt fiat ab animâ, & in ipsâ solâ recipiatur; est tamen totius compositi propria, quia vnio animæ cum materia est conditio necessaria, vt intellectionem eliciat pro hoc statu, saltem aliquam, vt dicemus in lib. de Ani.

De motu violento.

36 VEnio ad motũ violentum laxe, & stricte sumptum. Pro quo aduerto, posse inferri violentiam per negationẽ; &, per motum positiuum. Per negationẽ, seu priuationẽ (quod idẽ in præsenti est) infertur, quando naturæ negatur motus illi debitus. positiue vero infertur, quando inducitur aliquis motus oppositus illi, quem res postulat ex natura sua. Porro præmittere oportet definitionem violenti, quod quidem ita de-

definitur ab Aristotele. 7. Ethicor cap. 1. *Igitur violentum esse dicitur, cuius principium est foris, nihil prorsus eo conferente, cui vis est illata.* Est ergo in primis necessarium ad violentū, quod sit à principio extrinseco efficienter: quia, cum motus violentus sit oppositus naturali, & iste sit efficienter à principio intrinseco substantiæ, quæ movetur, necessariū est, quod ille sit efficienter ab extrinseco; imo tali modo, vt neque inadæquate sit efficienter ab intrinseco. Propterea additur, *nihil prorsus eo conferente*, quod intellige efficienter, quia passiue certū est, debere concurrere illud, cui infertur violētia, si motus sit positiue violentus. Aliàs qua ratione pateretur violentiam? Additur vltimo, *cui vis est illata*, vt denoretur, necessariam esse resistentiam in eo, qui violentiam patitur, neque enim vis infertur illi, qui non resistit; sed statim cedit. His positis.

37 Certum est; dari motum violentum stricte tam positiuum, quam negatiuum contra formam substantialem, vt, quando lapis v. gr. movetur sursum, tam motus sursum, quam negatio motus deorsum sunt stricte violenta formæ lapidis; quia vtrunque fit à principio extrinseco cum resistentia formæ lapidis ex se inclinantis efficienter in motum deorsum, tanquam natura stricte sumpta: quæ omnia, vt supra diximus, requiruntur, vt motus sit stricte violentus. Difficultas tamen est; an prædictus motus sit etiam violentus materiæ lapidis?

38 P. Vazq. t. 2. disput. 25. cap. 3. negat. Primò, quia violentum est contra internum impetum rei, quæ patitur violentiā, vt docet Arist. 2. lib & hìc cap 9. aliàs 8. sed motus sursum non est contra internum impetum materiæ; neque enim potentia receptiua, quam habet materia respectu motus deorsum, potest dici impetus in ipsum, quia impetus est conatus ad aliquid efficiendū: ergo, &c. Secūdo: quia motus violentus debet esse cū resistentia rei, cui fit violentia: sed materia lapidis non resistit motui sursum; sed potius cedit; cum illum in se recipiat: ergo non est illi violentus.

39 Nihilominus dicendū est, dari motum stricte violentum non solum contra formam substantialem; sed etiam contra materiam. Ita recentiores quidam apud P. Fonsecā. 5. lib. Meta. cap. 4. quæ. 2. sect. 8. §. *Sunt qui tantam vim*; & adduci possunt pro hac conclusione Scotus, & aliqui Thomistæ, qui apud P. Vazq. t. 2. disput. 26. capit. 4. docent facultates subditas imperio voluntatis pati violentiam; quando coguntur elicere aliquas operationes renuente imperio voluntatis. Probatur cōclusio; quia motus lapidis sursum, v. gr. fit à principio extrinseco cum resistentiā, & contra impetum materiæ lapidis, quæ est stricte natura: ergo talis motus est ipsi materiæ stricte violentus. Antecedens probatur; quia iste

te motus ex eo est contra impetum, & cum resistentiâ formæ lapidis, quia ipsa ex se petit, & inclinatur in motum deorsum; sed materia lapidis inclinatur etiam, & petit motum deorsum: ergo motus sursum fit cum resistentia materiæ lapidis. Minor est mihi certa ex eo, quòd sicut vltima dispositio formæ lapidis, v.gr. habet ex naturâ rei connexionem cum ipsâ formâ, ita etiam ipsa forma lapidis habet ex naturâ rei connexionem cum operationibus, ad quas ordinatur ex se, nempe cum motu deorsum; sed positâ vltimâ dispositione formæ lapidis in materiâ, hæc ex naturâ rei petit determinate, & inclinatur in ipsam, formam lapidis, & non in aliam, vt concedunt omnes: ergo positâ formâ lapidis in materiâ, hæc determinate petet, & inclinabitur ex naturâ rei in operationes proprias ipsius formæ recipiendas, nempe in motũ deorsum: ergo datur resistẽtia in ipsa respectu motus sursum.

40 Ex his facile soluuntur argumenta P. Vazq. Ad 1. nego minorem: neque enim virtus effectiua aliâ de causâ dicitur conatus, & impetus respectu alicuius effectus, nisi quia determinate petit talem effectum producere ergo, cum materia in casu posito determinate petat recipere motum deorsum, rectè dicetur habere conatum, & impetum respectu illius. Ad secundum nego minorem, neque enim ex eo, quod materia in se recipiat motum sursum, recte probatur, non illi resistere, siquidem lapis absolute dicitur resistere motui sursum, etiam si illum in se recipiat, quia habet exigentiam, & inclinationem in oppositum: ergo, cum materia, posito quod habeat formam lapidis, determinate exigat motum deorsum, reuerà resistet motui sursum. Hinc fit primo, materiæ lapidis inferri violentiam stricte per negationem motus deorsum. Fit secundò, violentum stricte sumptum tam positiuum, quam negatiuum solum dari contra formam substantialem, & materiam prout sunt principia motuum, qui sunt proprij compositi substantialis; quia hac sola ratione sunt natura, & violentum stricte debet esse contra naturam proprie sumptam.

41 Dico 2. si violentum sumatur laxe, prout opponitur naturali laxe, non solũ datur violentum contra materiã, & formam substãtialem; sed etiam contra accidentia, & substantiam quam habet. Ratio est: quia violentum laxe dicitur, quod est contra inclinationẽ alicuius rei: sed accidentia inclinantur in aliquas operationes; v.g. calor in productionem caloris, & materia inclinatur in receptionẽ formæ substãtialis; & hæc in informationem materiæ ergo, si eæ operationes denegentur istis rebus, fiet illis violentia.

42 Dico tertiò: datur motus præternaturalis medius inter naturalem, & violentum. Est communis. Probatur: quia datur motus, qui recipitur in materiâ, &,

&, neque exigitur ab ipsâ, vel à for
irâ, cui est vnita; neque est contra
exigentiã ipsius, vel formæ ergo
erit medius inter naturalẽ, & vio-
lentum: ac per cõsequens præter-
naturalis; quia nihil aliud est esse
præternaturalem. Antecedens cõ-
stat in motu, quo illuminatur aer:
quia talis motus non exigitur à ma
teria, seu forma aeris; neque est
contra exigentiam illarum, vt con-
cedunt omnes. Hinc colligo, cir-
cularem motum astrorum esse præ
ternaturalem: quia hîc motus non
est naturalis; cum fiat ab extrin-
seco, mouentur enim astra ab An-
gelis ex communi sententia, quam
S. Thom. quæst. 3. de Pot. art. 6.
putauit, pertinere ad Fidem. Præ-
terea talis motus non est violẽtus;
cum non sit contra exigentiã, & in-
clinationem astrorum; neque enim
per talẽ motũ extrahuntur ex pro-
prio cẽtrõ; sed intra illud circum-
voluuntur: ergo erit præternatu-
ralis. Idem dicito de motu, quo la-
pis circumvolueretur in suo cen-
tro.

43 Dices: natura non solũ est
causa motus; sed etiam quietis,
hoc est, conseruationis formæ ac-
quisitæ per motum naturalem: er-
go forma astrorum non solum est
causa productionis præsentiæ in
proprio centro, sed etiam cõn-
seruationis eiusdem præsentiæ: at
quando astra mouentur in orbem
ab extrinseco, forma eorum impe-
ditur, conseruare præsentiã in pro-
prio centro: ergo fit illi violentia.
Respondeo, virtutem causatiuam
motus, & quietis, quæ inuenitur
in naturâ, ex suo primario in stitu-
to ordinari ad habendum propriũ
centrum, vt ibi melius conserue-
tur, & se tueatur a contrarijs, ac
propria exerceat operationes.
Ex quo fit, quod si in proprio cen-
tro contineatur, nulla illi infera-
tur violentia, etiam si non conser-
uetur in centro per propriam vir-
tutem, quia iam datur illi id, quod
exigit primariò, & propter quod
exigit productionem, & conserua-
tionem propriæ præsentiæ. Vndẽ
concessâ primâ consequentia, & se-
cundo antecedenti, nego vltimam
consequentiam.

44 Obijcies Aristot. 4. Phys.
text 67. asserentem: *Atqui patet omnem motum, aut vi fieri, aut natura*: ergo ex mente Arist. non dan-
tur motus præternaturalis medius
inter naturalẽ, & violentum. Re-
spondeo, vbi Arist. loqui de motu
locali, quẽ ipse cognouit de facto:
putauit autẽ motum cælorum esse
naturalẽ, quia existimabat, intelli-
gentiã esse animã cæli, & ideo orini
illum motũ ab illâ tanquâm à natu
râ, cũ autem certum sit, intelligen-
tiam non esse animã cæli & ex alio
capite hic motus non sit contra
exigentiam ipsorum cælorum, fit,
vt præternaturalis esse debeat.

DISPVTATIO X.

De causa in commune.

NOnagimus hîc de causâ in ea latitudine, quâ eam vsurpauit Arist. 12. Meta. vbi materiã, formam, & priuationẽ vocauit causas

generationis, sed agimus de causâ, prout ea cõprehẽdit, quæ cõmuniter causæ nominãtur, nempe efficiens, materiam, formã, & finem.

SECTIO I.

Quid sit causa?

1 CVm Arist. causam incõmuni nullibi definierit expressè, inuestiganda est eius definitio, tum ex his, quæ ipse docuit circa causas in particulari, & circa priora naturæ, quia naturæ prioritas solis causis cõmuniter attribuitur; tũ etiam ex his, quæ philosophi in causæ explicationem attulere. Et quidem præcipua difficultas est in assignanda causæ definitione, quæ nõ conueniat Patri æterno respectu Filij, & vtrique respectu Spiritus Sancti: licèt enim Pater sit principium Filij, & vterque sit principium Spiritus Sancti; tamen neque Patrem Filij, neque vtrunq; Spiritus Sancti causam appellari permittitur apud Ecclesiæ Latinæ filios. Et quamuis Græci nonnunquàm hoc nomine vsi fuerint; laxè tamen, & impropriè illud vsurparunt; non propriè, & strictè, vt constat ex Bessarione oratione pro vnione inter Ecclesiam Latinam, & Græcam. cap. vltim. quæ oratio habetur sessione vltima Concilij Florentini.

2 Omnis aliorum definitionibus, quia impugnatu facilem, mihi placet ea, quam adducit P. Suar in Metaph. disp. 12. num. 3. *Causa est principium influens esse in aliud.* *Principium* ponitur loco generis. *Influens esse* additur, vt differentia, perquam causa differt à principijs non influentibus, qualis est priuatio. Porro *influẽs esse*, barbara vox est apud Latinos actiue sumpta, iam tamen inuecta est in scholas philosophorum, & idem significat, ac *tribuens, seu communicans esse*. Sed hucusque per has particulas non excluditur à ratione causæ Pater æternus, qui verè influit esse, hoc est, verè communicat esse, seu essentiam Filio: propterea addita est particula illa *in aliud*, perquam significatur, illud, cui cõmunicatur esse, debere esse aliud à suo principio. Per hanc excluditur à ratione causæ Pater æternus respectu Filij (& idem esto de Patre, & Filio respectu Spiritus Sancti) licèt enim Pater æternus producat alium à se, seu cõmunicet esse alteri, Filio videlicet; non tamen cõmunicat esse illi ita, vt is sit aliud à Patre, quoniam, vt frequenter docent SS. Patres, & Concilia, licet in Sãctissima Trinitate, sit *alius*, & *alius*; non tamen, *aliud*, & *aliud*: quia *alius*, & *alius* masculinè, seu adiectiuè denotant distinctionẽ suppositi *aliud* vero, & *aliud* substantiuè excludunt idẽtitatẽ realẽ in eadẽ essentia; ita tamen vt in his, quæ habent essentiã strictè, quales sunt substantiæ, excludant identitatẽ realem in eadem essentia strictè; & in his, quæ habẽt essentiã laxè, qualia sunt accidentia, excludant identitatẽ realẽ in eadem essentia laxè sumpta. Cum autem Filius Dei sit idẽ realiter cum essentia, quæ est etiam idem realiter cum Patre, is non potest esse causa illius.

3. Hæc definitio desumpta videtur ex Arist. 5. Metaph. cap. 11. vbi definiens ea, quæ sunt priora secundùm naturam (quam prioritatem ex communi omnium philosophorum consensu causæ solũ obtinent respectu suorum effectuum) hæc habet: *Quædã vero* (sunt priora) *secundùm naturam, & substantiam, quæcunque contingunt absq; alys esse: ista vero sine illis minimè*: quorum verborum sensus, vt probabimus sect. sequente, est, illa esse priora secundũ naturã, quæ ita influunt in alia, vt alia non influant in ipsa: ergo ex Aristot. ad hoc, vt aliquid sit prius naturâ, necessariũ est, quod influat in aliud: ergo, cum ex communi omnium consensu id sit prius naturâ, quod est causa, fiet, vt ex Aristot. ad hoc, vt aliquid sit causa, necessarium sit, quod influat in aliud substantiuè sumptum: ipse enim Aristotel. vsus est particulis *ista*, & *alia* in genere neutro, in quo substantiue sumuntur hęc pronomina, cũ non adiunguntur alicui substantiuo. Ea difinitio P. Suar. tradita ab Arist. licèt non eisdem verbis; eodem tamen sensu.

4. Obijcies primò Filius Dei reuera est aliud suppositum à Patre: ergo dum Pater producit suũ Filium reuera influit esse in aliud. Distinguo consequens: influit esse in aliud, si Tò *aliud* sumatur adiectiue, concedo si sumatur substantiue, nego consequentiã. Quia, vt diximus, non potest dici *aliud* substantiue respectu alterius id, quod realiter est idem cum essentia, quæ est etiam idem realiter cum altero. Instant: vel Tò *aliud* sumptũ substantiue denotat distinctã essentiã, quæ sit propriè essentia, qualis est natura substantialis, vel quæ laxè tantũ sit essentia, vt est quidquid dicitur esse de conceptu formali cuiuscunq; rei. Si primum: id quod producit entitatem accidentalẽ, non erit causa illius; quia, cum essentia accidentis non sit natura substantialis, non potest dici habere essentiã propriè sumptam distinctã à sua causa. Si secũdùm: cum Filius formaliter vt Filius habeat conceptũ formalẽ realiter distinctum à Patre, dicetur *aliud* substantiue a Patre; atque adeò is erit propriè causa illius.

5 Respondeo primò, *aliud* substantiue sumptum non tam explicandum esse per distinctionem essentiæ, quam per negationẽ identitatis essentiæ, inter ea, quæ dicuntur *aliud*, & *aliud*, quia Patres, & Concilia, ex quibus desumpta est significatio huius vocis, ex eo negant in Diuinis personis *aliud*, & *aliud*, quòd in illis est vna & eadem essentia: ergo hoc, quod est esse *aliud*, & *aliud* negat identitatẽ realẽ illorũ in vnâ, & eâdẽ essentiâ. Cum autem accidentia non habeant identitatẽ in vnâ essentiâ, siue stricte, siue laxè sumptâ, cum sua causa, recte dicuntur *aliud* ab illa è contra verò personæ Diuinæ, cũ sint vnum realiter, cum vna, & eadem essentia, non possunt dici, *aliud*, & *aliud*, etiamsi aliàs in suo conceptu formali personalitates distinctas includant.

6 Respondeo secundò, Tò *aliud* substantiuè sumptum denotare distinctionem essentiæ secundum subiectam materiam, ita vt in his, quæ sunt capacia essentiæ propriè sumptæ, debeat denotare distinctam essentiã propriè sumptam, qualis est natura substantialis, in his verò, quæ capacia non sunt essentiæ propriè sumptæ, non debeat denotare distinctionem essentiæ, quæ propriè sit essentia, sed solum essentiæ laxè sumptæ. Cum autem Pater, & Filius in Diuinis habeant naturã substantialem, quæ proprie dicitur essentia, non possunt dici *aliud*, & *aliud*; quia non habent distinctam naturã substantialem; sed eandem. At vero accidentia dicuntur aliud à suâ causâ, quia ea essentia, cuius sunt capacia, est distincta realiter ab ipsa causa.

7 Obijcies secundò: tam necessarium est in rebus creatis ad rationem principij, quod res principiata sit diuersæ essentiæ à suo principio, quàm ad rationem causæ, quod res causata sit diuersæ essentiæ à sua causa, sed his non obstantibus ratio principij tribuitur propriè personis Diuinis producentibus: ergo etiam poterit proprie tribui ratio causæ. Nego consequentiã, ratio disparitatis desumenda est ex ipsis definitionibus, quas tradiderunt philosophi tam principij, quam causæ. Ad rationẽ enim causæ, quam sub nomine prioris secundùm naturam definijt Aristot. requirit ipse, quod sit aliud ab effectu, vt vidimus n. 3. In Diuinis verò personis non inuenitur *aliud*, & *aliud*, vt diximus num. 2. et ideo non potest illis proprie tribui ratio causæ, & effectus. Principium verò sic definiunt Arist. 5. Metaph. cap 1. text. 1. *Principium est, vnde aliquid est, fit, aut cognoscitur*, iuxta quam definitionem ad hoc, vt aliquid sit propriè principiũ, sufficit, quod sit id, *vnde*, vel, *ex quo* aliquid est. In Diuinis autẽ, vna persona propriè loquendo est ex alia: ergo proprie loquendo vna est principiũ alterius. Minor est certa, quia Spiritus Sãctus propriè dicitur, *ex Patre, Filioque procedere*, &, *Filius ex Patre*: is autẽ, qui procedit ex alio, proprijs simè dicitur esse ex illo: ergo, &c.

8 Obijciunt tertiò: influere esse in aliud dicit *esse*, quod influitur (vt ita loquar) & illud aliud, in quod influitur: sed ad rationẽ causæ non est necessarium, quod detur esse, quod influitur, & id, in quod influitur: ergo non bene explanatur ratio causæ per hoc, quod est influere esse in aliud. Minor probatur: quia quãdo Deus creat Angelũ est vera causa illius, & nihilominus nõ distinguitur esse Angeli ab ipsomet Angelo. Distinguo maiorẽ influere esse in aliud dicit esse, quod influitur, & illud aliud, in quod influitur, distinctum realiter ab ipso esse producto, nego: distinctũ realiter à producente, concedo maiorem. neque enim necessarium est ad hoc, vt causa dicatur influere esse in effectum, quod effectus distinguatur realiter ab ipso esse producto per influxũ. sicut neque

ad

ad hoc, vt dicatur Deus nobis cōferre beneficium, est necessarium, quod beneficium distinguatur realiter à nobis, siquidem inter beneficia creaturæ rationali à Deo facta enumeratur esse creatam adhuc in sententia eorum qui creationem non distinguunt à re creatâ.

9 Obijcies quartò Verbū Diuinum influit esse in hominem resultantem ex illo, & humanitate Christi Domini: ergo est causa illius: sed non potest esse causa illius; quia non extrinseca, cum nulla persona aliquid extra se producat, quod non producant reliquæ; neque intrinseca, quia de ratione causæ intrinsecæ est esse quid incōpletum, & imperfectū, quod nequit cōuenire Verbo: ergo non bene definitur causa per hoc, quod est influere esse in aliud. Respondeo cum P. Hurtad. supra n. 2. hominem resultatem ex humanitate, & Verbo Diuino verè pendere ab ipso Verbo tanquam à principio intrinseco, non quod se habeat per modum partis, quia, cum ratio partis denotet imperfectionē, reijcienda est à Verbo Diuino, sed quod se habeat per modum termini completi intrinsecè existentis in ipso homine Christo.

10 Hinc infero, Verbum Diuinum vere influere esse in hominē Christum vt veram causam, non tamen propriè dicendum est causa intrinseca in sensu, in quo philosophi causam intrinsecam vsurparunt, quia causam intrinsecam solum appellarunt materiam, & formam, quarum imperfecta ratio longissimè abest ab infinita perfectione Verbi Diuini. Nihilominùs dici poterit improprie, & metaphoricè causa intrinseca propter aliqualem similitudinem, quam habet cum forma. Neque hæc ratio causæ tribuenda est toti Trinitati quia exercetur per vnionē hypostaticam, quæ quidem soli Verbo competit, non alijs personis.

SECTIO II.

Prioritas naturæ declaratur.

11 QVia prioritas naturæ nihil aliud est, quam prioritas causalitatis, seu dependentiæ, vt omnes philosophi fatentur, oportet eam hic explanare, vt inde ratio causæ clarius innotescat. Doctrinam hic tradendam alto fige animo; est enim maximè necessaria ad plures difficultates tam Theologicas, quam philosophicas euoluendas. Aristot. ergo in Metaph. lib 5. cap. 11. postquam varios modos prioris, & posterioris assignauit, illis adiunxit priora, & posteriora secundùm naturam, his verbis: *Quædam vero* (priora, & posteriora dicuntur) *secundùm naturam & substantia, quæcunque contingunt absque alys esse, ista vero sine illis minimè, qua diuisione vsus est Plato.* Quæ verba non omnes eodem modo explicāt.

12 Doctiores Complutenses docent, verba Aristot. intelligenda esse ita, vt ab existentia prioris non valeat consequētia ad

existentiam eius, quod est posterius, valeat tamen ab existentia posterioris ad existentiã prioris. Vnde inter ea à quibus mutuo valet consequentia quo ad existentiam, docent non posse esse prioritatem naturæ; & propter hãc rationẽ excludunt ab hac prioritate personas SS. Trinitatis licèt enim Pater prodicat Filium, ita tamen cõnectuntur interse, vt mutuo valeat consequentia inter illos · *Existit Filius, ergo Pater*; & è contra, *Existit Pater, ergo Filius*, &c. Hæc explicatio plane aduersatur Aristot. quia in Logica cap. 2. de Prædicam. quod est de *Prioris*, expresse asserit, dari prioritatem secundùm naturã inter ea, inter quæ datur *mutua* consequentia quo ad existentiam; dummodo alterum sit causa alterius. Postquam enim quatuor modos prioris asignauerat, acturus de prioritate naturæ, addit: *Videtur autem praeter eos, qui dicti sunt, alter esse prioritatis modus: eorũ enim, quæ conuertuntur secundum esse consequentiã, quod alteri quomodolibet causa est, conuenienter prius natura dici potest* Ecce docet Aristot. inter illa, à quibus mutuo valet existendi consequentia, posse vnum esse prius naturã alio, si causa illius sit.

13 Confirmat suam doctrinã exemplo, quo plane sententiam oppositam euertit *Quod vero* (inquit) *quædam sint huiusmodi palam est · esse namque hominem, secundum ipsius esse consequentiam ad veram de se conuertitur orationẽ: nam si homo est, vera est oratio, qua dicimus, quod homo est · & conuertitur, nam si vera est oratio, qua dicimus, quod homo est, est homo. Est autem vera oratio nequaquam causa, vt sit res; veruntamen res quodammodo causa videtur, vt sit vera oratio: eo enim quod res est, aut non est, vera oratio, aut falsa dicitur.* Vbi Arist. comparat rem non cum oratione, quæ de ipsã profertur; sed cum veritate orationis, quæ profertur, vt constat ex ipsis verbis Aristotel. neque enim mutuo valet consequentia inter rem, & orationẽ, quæ de ipsã profertur, vt patet; sed supposito, quod oratio proferatur de re, mutuo valet consequentia, vt fatetur Arist. inter ipsam rem, & veritatem orationis. Cæterum, quia veritas orationis non est causa existentiæ rei; at vero existẽtia rei est causa veritatis orationis, asserit Arist. rem esse prius naturã respectu veritatis · ergo mutua cõsequentia quo ad existentiã non est cõtra prioritatẽ naturæ apud Arist.

14 Id magis cõfirmatur ex his, quæ ibidẽ docet cap. 3. vbi ad hoc, vt aliqua sint simul naturã, non solum requirit, quod cõuertantur secundum esse consequentiam; sed etiam, quod alterum non sit alteri causa, vt sit: ergo sentit aperte ad tollendam prioritatem naturæ inter duo, non sufficere, quod mutuo valeat consequentia circa eorum existentiam, nisi addatur quod vnum non sit causa alterius. Hinc duo inferes. Primum est, quod apud Aristotel. idem est vnum esse prius natu-

naturâ respectu alterius, ac esse causam illius. Secundùm, quod in 5. Metaph. loco supra citato non excluſit à prioritate naturæ ea, quæ conuertuntur secundum existendi consequentiam, hoc est, quæ ita connexa sunt inter se, vt vnum non possit existere sine alio in rerum naturâ: aliàs sibi ipsi esset contrarius Aristoteles.

15 Existimo ergo, Aristotelem ita intelligendum esse in eo loco Metaph. vt velit, ea esse priora secundùm naturam, quæ ita existunt sine influxu eorum, quæ dicuntur posteriora, vt hæc non existant sine influxu illorum, siue conuertantur secundùm existendi consequentiam; siue non. Hanc explicationem colligo primò ex loco Aristotel. præcedenti num. citato contra sententiam recentiorum. Secundò: quia 5. illo Metaph. immediatè post verba supra data, adducit Aristotel. in exemplum priorum secundùm naturam partes integrantes respectu totius ex illis resultantis, quæ quidem non ideò dicuntur priores naturâ, quia ipsæ existere possint sine toto; secus vero totum sine illis, ita vt à toto ad partes valeat consequentia; non vero è contra (sunt enim plures partes integrantes ita connexæ cum toto ex illis resultante, vt existere nequeant sine ipso toto, quales sunt partes integrales hominis, equi, &c. quæ, si a toto seiungantur, illico pereunt) sed dicuntur priores naturâ non alia de causa, nisi quia influunt in totum; totum vero non influit in illas: ergo in hoc sensu intelligenda sunt verba Aristotel.

Nonnulla consectaria.

16 EX hoc infero primò, omnem causam, quæ effectū causat per causalitatē superadditam, non esse priorem in actu secundò respectu effectus præcisè per suam entitatem: eatenus enim est prior illo secundùm naturam, quatenùs influit in ipsum: sed non influit præcisè per suam entitatem; sed per causalitatem superadditā: ergo non est prior præcisè per suā entitatem. Infero secundò, omnē effectum, qui non dependet se ipso à causā, non esse posteriorem illa præcise per suam entitatem: quia eatenus est posterior, quatenus existit per influxum causæ: ergo, si influxus, quo depēdet á causā, non est eius entitas, neque erit posterior præcise per suam entitatem.

17 Constituitur autem causa prædicta prior in actu secundò, &, prædictus effectus posterior secundū naturā, per causalitatē, qua causa influit in eundē effectum, ita vt sicut eadem causalitas constituit causam actu producentem, & effectum actu productum; ita etiam eadem causalitas constituat causam actu priorem secundum naturam, & effectum actu posteriorem. Cuius ratio præter ea, quæ diximus, est: quia ex consensu omniū prioritas naturæ est prioritas causalitatis, & dependen-

tiæ: ergo per illud cõstituitur causa prior secundùm naturam, & effectus posterior, per quod illa constituitur causans, & iste dependens. sed per causalitatem constituitur illa causans effectum, & iste depẽdens, seu causatus ab illa ergo per causalitatẽ constituitur illa prior, & is posterior secundùm naturam.

18 Infero tertiò, ea, quæ sunt priora secundùm naturam respectu alterius, debere esse simul tempore cum illo: quia illud est prius naturâ respectu alterius, quod actu causat illud: sed id, quod actu causat aliud, est in eodem tempore cũ illo; neque enim potest vnum actu causare aliud, quin hoc aliud actu causetur ab illo: ergo, &c. Infero quartò, causam, quæ effectum causat per causalitatem fluentem ab ipsa causa, esse priorem secundùm naturam ipsâ causalitate; quia in hoc casu verè fluit, & dependet causalitas á suâ causâ. Constituitur verò illa prior in actu secundò respectu causalitatis per ipsam causalitatem, quia sicut causalitas se ipsâ fluit, & dependet à suâ causâ, sic se ipsâ constituit suam causam priorem respectu sui ipsius.

19 Infero quintò, ea omnia, quæ per se requiruntur ex parte causæ tãquam conditiones necessariæ, vt producat suum effectum, dici etiam priora secundùm naturam respectu effectus: quia licèt non influant, per se tamen requiruntur ex parte causæ ad hoc, vt influat: ergo eâdem prioritate, quâ causa, præcedent effectum: Confirmatur: quia causa sine istis conditionibus, neque est proxime apta ad producendum effectum, neque illum producet ex naturâ rei: ergo per illas cõstituitur proximè productiua effectus: atqui id, per quod causa constituitur proximè productiua effectus supponitur prius naturâ ad ipsum effectũ: ergo, &c. Minor videtur mihi certa, quia si id, quod est proximè productiuũ effectus, supponitur ad illum prioritate naturæ, non poterit non pertinere ad eãdem prioritatẽ id, per quod constituitur próximè productiuum. Infero sextò, nihil eorum, quæ non conducunt ex parte causæ ad producendum effectum, esse in eo signo, seu prioritate naturæ, in quo causa dicitur esse ante effectum; quia esse in eo priori nihil aliud est, quam esse causam, seu cõditionem requisitam ad causandũ effectum: ergo id, quõd nulla ratione requiritur ad effectum producendum, non potest dici esse in eo priori [illegible]

20 Id declarari potest hoc exẽplo. Currat homo habẽs albedinẽ. In eo signo, seu priori naturæ, in quo homo intelligitur esse ante cursum, non dicitur esse albedo; quia neque est causa; neque conditio per se requisita ad cursum: & ideo respectu illius prioritatis verificatur contradictoria propòsitio, nẽpe, *albedo non est in ea prioritate*, quia non esse albedinem in ea prioritate est non conducere ad causandum cursum: sed reuerà non cõducit: ergo reuera non est in ea prioritate. Ex quo apparet quãtum errauerint hi, qui dicunt, in eo prio-

priori reque esse albedinem, neq, non esse albedinem quia si est falsum, quod albedo est in eo priori ergo eius contradictorium debet esse verum atqui hoc est, quod albedo non est in eo priori: ergo, &c. Neque ex hoc inferas, quod si non est albedo in eo priori, erit in illo negatio albedinis Hoc inquam non infertur: quia non est in eo priori, nisi quod conducit ad causandum cursum: sed negatio albedinis non conducit ad illũ causandum: ergo non est in illo priori. Vidè, quæ circa hoc diximus disp. 1. sect. 2. nu. 27. & 28.

121 Objicies: albedo, & negatio albedinis opponuntur contradictorie: ergo non datur mediũ inter illás: ergo si in eo signo, seu priori naturæ non est albedo, necessarium est, quod sit negatio albedinis Distinguo antecedens: albedo, & negatio albedinis opponuntur contradictorie, quoad hoc quod est esse in rerum naturà, concedo: quoad cõducentiam in ordine ad producẽdum quemlibet effectum, nego antecedens. Et deinde nego vltimam cõsequẽtiam: quia licet necessarium sit, quod non existente albedine in rerum natura sit negatio illius, & è contrà non tamen est necessarium, quod, si vna non conducit ad aliquem effectum, conducat alia; sed potest esse, quod neutra conducat, vt contingit in exemplo posito.

122 Rogabis: an causalitas, mediâ qua producitur effectus, sit prior natura illo? Respondeo affirmative: quia causalitas est id, quo causa constituitur prior effectu: ergo est prior illo, saltem vt quo. Respectu vero causalitatis sola causa cum conditionibus est prior secundum naturam; causa vero constituitur prior respectu causalitatis per ipsam causalitatem tanquam per quid posterius, ac proinde in eo signo, seu priori naturæ, in quo præsupponitur causa ante causalitatem, non est ipsa causalitas.

123 Objicies: in eo signo naturæ causa est prior causalitate: sed constituitur prior per ipsam causalitatem: ergo in eo signo est causalitas. Distinguo minorem: constituitur prior naturâ per causalitatem tanquam per quid posterius, concedo: tanquam per quid concomitans, nego minorẽ. Id potest explicari exemplo temporis: dies enim hodiernus est duratione prior respectu crastini, nõ per solam suam entitatem, quia si hæc sola daretur, & non succederet dies crastinus, nequaquam hodiernus esset prior: sed constituitur prior per suam entitatem, & per diem crastinum simul; ita tamen, vt necessarium non sit, quod dies crastinus sit hodie; sed sufficit, quod sit cras, ad hoc, vt dies hodiernus sit duratione prior illo. Idem ergo est de causa respectu causalitatis: constituitur enim causa prior causalitate secundùm naturam per ipsam causalitatem existentem in signo sequenti; non verò in antecedenti.

124 Dices: causalitas non solum

lum est prior effectu; sed etiam est in eo signo, seu priori naturæ, in quo causa antecedit effectui, non ob aliam rationem, nisi quia est id, quo causa causat eundem effectum. sed causalitas est etiam id, quo causa causat ipsam causalitatem: ergo est in eo signo, in quo causa antecedit ipsi causalitati. Nego consequentiam. Ratio disparitatis est: quia causalitas est id, quo causa causat effectum taliter, vt distinguatur ab illo: ac proinde potest esse prior illo, quia ad prioritatem realem, qualis est prioritas naturæ, requiritur distinctio realis inter extrema; quæ quidem non inuenitur in causalitate respectu sui ipsius: & ideo non potest dici esse in signo antecedenti.

25 Infine aduerto primo, prioritatem naturæ cõmuniter appellari prioritatem *à quo*; quia versatur inter extrema, quorum vnũ pendet ab alio: ad cuius distinctionem prioritas temporis dicitur prioritas *in quo*. Aduerto secundo, ad hoc, vt duæ causæ dicãtur simul naturâ respectu alicuius, seu aliquorum effectuum, necessarium esse, quod ita causent, vt vna non possit causare sine aliâ saltem ex naturâ rei. Et idem esto de duobus effectibus respectu alicuius, seu aliquarum causarum; qui quidem non dicuntur simul naturâ, nisi ita pendeant à causa, seu à causis, vt vnum non possit causari sine alio. Reliqua verò, quæ ità sunt causant, & causantur, vt vnum possit hic, & nunc causare, seu causari sine alio, non dicuntur esse simul naturâ; sed disparatè se habere: quia nullam connexionem habent in ordine ad causandum, neque in ordine ad dependendum.

SECTIO. III.

De respectu causæ ad effectum.

QVia plura continentur in hac sectione, claritatis gratia in varias partes eam diuidemus.

Status quæstionis aperitur?

26 BIfariam potest sumi causa: vel enim sumi potest in actu primo, hoc est, pro virtute causatiua effectus, quę est ipsa entitas causæ: vel sumi potest in actu secundo, nempè secundùm quod est actu causans effectum; per causalitatem vero constituitur actu causans. Prætereà respectus causæ ad effectum potest esse transcẽdentalis, seu essentialis; & prædicamentalis. De hoc egimus in Logicà disp. 19. Transcendentalis verò pertinet ad hanc disputationem. Tunc autem dicitur aliqua entitas transcendentaliter alterã respicere, *quando est talis naturæ, quæ, si altera non esset, ipsa per locum ab intrinseco esse non posset.*

27 Potest tamen respectus esse talis, qui ad sui existentiam requirat existentiam rei, ad quam ordinatur: & potest esse talis, qui ad sui existentiã solum requirat, quod res, ad quam ordinatur, sit possibilis. Primus respectus dicitur terminari ad rem existentem vt existentem, quia ita ordinatur ad existentiam termini, vt iste debeat esse existens, vt de facto existat talis

lis respectus. Secundus verò ad rem possibilem, vel existentem, non quidem vt existentem; sed solum vt possibilem: quia licet per se tendat ad existentiam termini, tamen ad hoc, vt ipse respectus sit in rerum natura, non requiritur quod existat de facto terminus; sed solũ quod sit possibilis. Porrò causa, de qua procedit præsens disputatio, comprehendit creatam, & Increatam. Increata est Deus, prout habet virtutem productiuam rerũ creatarum. Creata potest esse potentia naturalis, quę est virtus productiua effectuũ naturalis ordinis: &, potest esse obediẽtialis, quæ est virtus productiua effectuum superioris ordinis.

28 Nonnulli sunt, qui existimant, distinctum quid esse vnum connecti intrinsece cum alio, ac transcendentaliter illud respicere. Dissentiunt tamen isti authores in explicanda huiusmodi distinctione. Quidam enim in eo distinguunt relationem transcendentalem, & intrinsecam connexionem; quòd licet vtraque ita exigat terminum, vt non possit esse sine illo, de ratione tamẽ respectus transcẽdentalis est, quod ordinetur ad suum terminum, & ab illo specificetur: secus de ratione connexionis; quæ, præcise vt talis, nõ dicit habitudinem ad terminum, neq; ab illo specificatur. Ita videtur sentire P. Suar. 1. p. lib. 3. de Attrib. cap. 9. nu. 12. & 13. vbi; cum dicat potentiam Dei esse absolutissimam à creaturis possibilibus, ita vt neque ordinetur ad illas, neq; ab illis specificetur; admittit tamen cõnexionẽ omnipotentiæ cũ ipsis creaturis.

29 Ego verò nunquam potui capere hoc discrimen: quia vel omnipotentia Dei ita comparatur cum creaturis possibilibus, vt illis repugnantibus, repugnaret ipsa omnipotentia; vel non, sed ipsa non repugnaret, etiãsi illæ repugnarent. Si hoc vltimum: nulla dabitur connexio omnipotentiæ cum creaturis: nam in communi omnium acceptione illud dicitur connecti cũ alio, quod est illi alligatum taliter, vt eo ablato auferatur: ergo, si ablatis creaturis possibilibus non auferretur omnipotentia Dei, non potest dici connexa cum illis. Si dicatur primum, nempè quod repugnantibus creaturis repugnaret omnipotẽtia: ergo non solũ cõnectitur cũ illis, sed etiã specificatur ab illis, & ad illas ordinatur. Patet consequentia: quia tunc vnum dicitur specificari ab alio, seu ad illud ordinari, quando ita ordinatur ad illud, vt eo ablato auferatur species, & esse ab illius; quod ad ipsum ordinatur: ergo si, eo ipso quod repugnarent creaturæ possibiles, repugnaret omnipotentia, reuera specificaretur ab illis, & ad illas ordinaretur.

30 Alij in eo distinguunt cõnexionẽ intrinsecã à respectu transcendentali, quod respectus transcendentalis, neque concipi potest, neque esse sine suo termino: at verò connexio, licet non possit cõcipi, potest tamen esse sine termino. Id quod dicũt de respectu, suppo-

supponunt vt certum. Id vero, quod addunt de connexione, probant ex cognitione chimæræ: quæ quidem non potest concipi sine ipsa chimæra, potest tamen esse sine illa, vt omnibus compertum est: & ideo licet sit connexa ea cognitio cum chimæra· non tamẽ dicit ordinem, aut respectum trãscendentalem ad illam.

31 Hæc sententia neque est vera, neque probatio desumpta ex cognitione chimæræ quidquã illi fauet. Incipiamus ab hoc vltimo. Cognitio chimæræ non solum non potest concipi sine ipsa chimæra, sed neque esse sine illa existente eo modo, quo cum illa connectitur. ergo non solum connectitur cum chimera; sed etiam respicit illam: ac per consequens ex hoc exemplo non bene deducitur, quod dari possit connexio vnius cum alio sine respectu transcendentali ad illud. Antecedens probo: quia cognitio chimæræ connectitur cum illa non vt verè habente realem existentiam; sed vt habente existentiam fictam: atqui dari non potest ea cognitio, quin detur existentia ficta chimæræ ergo non potest dari, quin detur chimæra sub eâ ratione, sub quâ cum illâ connectitur. Maior est certa· quia ea cognitio connectitur cum existentiâ chimæræ, quam ipsa causat intentionaliter: non autem causat existentiam realem; sed solum existentiam fictam ipsius chimæræ, vt ipsum pertinet, & ideo non connectitur cum existentia reali; sed solum cum existentia ficta illius. Minorem probo· quia ea cognitio est fictio actualis illius existentiæ, vt dicebamus in Logica disp. 12.: ergo non potest dari, quin detur existentia ficta sicut enim non potest dari productio actualis effectus, quin iste detur actu productus, ita neque fictio actualis obiecti, quin istud detur actu coi fictum.

32 Iam quod non sit vera prædicta sententia, facile probatur. in primis, quia abutitur nomine cõnexionis, connexio enim nihil aliud significat incõmuni omnium acceptione, nisi nexum vnius cum alio· non autem dicitur intrinsece necti, seu ligari vnum cum alio, quando, hoc ablato, perseuerat illud intrinsece invariatum: ergo quotiescunque vnum est intrinsece connexum cum alio: necessarium est, quod, hoc ablato eo modo, quo terminat connexionem intrinsecam illius, omnino auferatur intrinseca entitas connexa cum ipso.

33 Secundò: si repugnante termino, perseuerare potest res, quam dicis intrinsece connexam cum illo. vel ergo connectitur cũ tali termino vt impossibili, vel vt possibili. Si primum: ergo iam ó datur sine suo termino, quando quidem is est impossibilis defacto Si secundum: ergo, si cognoscatur per intellectum attingentem res, vt sunt in se, cognoscetur, non cognito illo termino vt possibili. Patet consequentia: quia res datur in se, quin terminus sit possibilis: ergo intellectus a-

tinget

tingens eam, vt est in se, cognoscet illam esse, quin terminus sit possibilis: ergo non cognoscet terminum vt possibilem. Hinc est, quod, si intellectus aliquis nō possit eam rem cognoscere, quin cognoscat terminum vt possibilem, id tribuendum sit potiùs imperfectioni talis intellectus, quam intrinsecæ entitati talis rei. Concludamus ergo, nunquam dari intrinsecam connexionē vnius cum alio, quin detur respectus ipsius ad illud: & ideo nullatenus distingui connexionem intrinsecam à respectu intrinseco. Hoc posito.

34 Certum, est causam prout in actu secundo dicere ordinem transcendentalem ad effectum vt existentem. Est dicere: causalitas, per quam causa constituitur in actu secundo, dicit ordinem transcendentalem ad effectum vt existentem, ita vt ad sui existentiam petat eum existere; imò & ad ipsam causam (& idem esto de omnibus modis respectu rerum quarum sunt modi.) In hoc conueniunt omnes, quot quot vidi. Ratio est: quia de essentia causalitatis est, causam cōstituere actu producentem, & effectum actu productum: ergo non potest esse in rerum naturâ, quin causa sit actu producens, & effectus actu productus: ergo dicit ordinem transcendentalem ad causam, & effectum vt existentes. Patet hæc consequentia ex definitione ordinis transcendentalis adducta num. 25. Solum ergo procedit difficultas de causâ in actu primo: an videlicet entitas causæ secundùm se dicat ordinem transcendentalem ad effectum? non quidem, ita vt ad sui existentiam petat, effectum esse existentem, quia certum est, posse causas actu esse, quin existat effectus, sed solùm vt possibilem, hoc est, ita vt solum petat, esse possibilem.

Variæ sententiæ proponuntur.

35 Prima ergo sententia asserit, omnem causam tā increatam, quam creatam dicere ordinem transcendentalē ad suos effectus. De Deo id docent P. Hurt. in Physica disp. 8. num. 59. P. Salas in 1. 2. tract. 2. disput. 4. sect. 2. num. 13. & sectio. 4. num. 52. & 53. vbi adducit Durand. Gotfred. Bassol. adducitur etiam pro hâc sententiâ P. Suar. lib. 2. de Attrib. capit. 25. & 26. sed quàm immeritò, dicam infra. Si autem id docent illi authores de causa Increata, multo melius id afferent de creata. Rationes eorum infra objciam.

36 Secunda sententia huic extremæ opposita asserit, nullam causam siue creatam, siue Increatam dicere ordinem transcendentalem ad suos effectus. Ita ex nostris recentiores quidam Complutenses, qui prosè adducunt Basilium Legionensem tom. 1. variar. quæst. 8. scholastica, cap. 4. Hanc sententiam ita explicant eius patroni, vt putent, quamlibet causam, quatenus ex se est, esse

esse virtutem productiuam suorũ effectuum, si ipsi fuerint possibiles, ita tamen vt causa non petat, quod absolute sint possibiles effectus, sed quod, si fuerint possibiles, eos possit producere. Vndè si essent impossibiles, nihilominus posset perseuerare causa, quia etiam tunc virtus illa causatiua esset talis, quæ, si effectus illi forent possibiles, posset eos producere. Est autem id discriminis inter causam Increatam, & creatas; quod illa quatenus est ex se, est productiua cuiuscunque rei, ita vt, eo ipso, quod aliquid sit possibile, contineri debeat in omnipotentia Dei: at verò causæ creatæ tantùm se extendunt ad determinatos effectus. Neque enim aqua, quatenus est ex se, est productiua omnium effectuũ, qui fuerint possibiles, sed tantum frigiditatis, & humiditatis: ignis vero caloris, & siccitatis tantùm, & sic de reliquis.

37 Tertia sententia est eorum, qui, cum dicant, causam creatam, & Increatam dicere ordinem transcendentalem ad effectus excipiunt à causis creatis eas, quæ effectus causant per potentiam obedientialem, qualis est, quæ datur in causis naturalis ordinis respectu effectuum supernaturalium. Ita P. Hurtado supra sect. 9. num. 182 & sequentibus. Quarta denique sententia asserit, causam Increatam non dicere ordinem transcendentalem ad effectus, secus omnes creatas tam obedientiales, quam naturales. Authores huius sententiæ, quam existimo veram, referam in sequentibus, dum per varias cõclusiones illam explicabo.

Causa Increata non dicit ordinem transcendentalem ad suos effectus.

38 DIco primo: causa Increata, seu omnipotẽtia Dei nullum dicit ordinẽ transcendentalem ad creaturas; sed potiùs ita est absoluta ab illis, vt, omnibus repugnantibus, Deus esset omnipotens. Ita P. Vazquez 1. part. disputat. 104. capit. 6. P. Arrub. 1. part. disputat. 31. capit. 4. P. Herice 1. part. tract. 1. disputat. 5. num. 19. Henric. Scotus, & alij, inter quos sunt authores relati pro secunda sententia. Idem docet P. Suarez libr. 2. de Attributis, capit 25. num. 22. & capit. 26. num. 16. vbi ita expresse negat, dari in Deo illam relationem realem ad creaturas, vt non possim non mirari authores, qui eum referunt pro contrariâ sententiâ. Deinde in Metaphysic. disput. 47. section. 15. num. 15. ex professo probat, Deum nullum habere respectum realem ad creaturas. Hæc est expressa sententia Anselmi in Monol. capit. 14. Probatur: quia, etiamsi omnes creaturæ essent impossibiles, Deus nihilominus existeret omnipotens: ergo non dicit ordinem transcendentalem ad illas. Consequen-

sequentia est bona ex definitione respectus transcendentalis adductâ suprà. Antecedens probatur: quia, si possibilitas creaturarum est necessaria, vt Deus existat: ergo Deus indiget creaturis ad sui existentiam. Consequentia est bona, nam illis dicitur quis indigere, sine quibus esse non potest. Pergo · sed hoc pugnat cum summa Dei perfectione: ergo admittendum non est. Minorem probo: tùm ex Paulo Actorum 17. versicul. 25. vbi loquens de Deo ait: *Non indigens aliquo*: tùm etiam ex Psalm. 15. in quo dicitur: *Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges*. Vbi ex eo colligit, Deum esse Deum, quod non sit indigus creaturarum: ergo ad summam Dei perfectionem spectat absolutum omnimodò esse à creaturis.

39. Respondent aliqui, Deum indigere creaturis tanquam termino extrinseco, ad quem respicit; non verò tanquam causâ, à qua pendeat per influxum: in hac autem indigentia nullam inueniri imperfectionem. Sed contrà est, quod Regius vates non agnoscit Deum ex eo, quod non egeat creaturis tanquam causis, sed absolute ex eo, quòd nullo modo indigeat illis: ergo quæcunque indigentia creaturarum pugnat cum summa Dei perfectione. Secundò: sicut Deus per sua intrinseca prædicata est ens à se, ita etiam est ens propter se: ergo sicut pugnat cum Dei essentia esse quouis modo ab alio, ita etiam pugnat esse quouis modo propter aliud: sed si haberet respectum intrinsecum ad creaturas, esset propter illas, quandoquidem ordinaretur ad ipsas: ergo repugnat talem respectum habere. Et quidem negari nequit, fore Deum perfectiorem sine isto respectu, quàm cum illo. cur ergo illum nó negabimus Deo Optimo Maximo?

40 Obijcies: omnipotentia ex suo conceptu intrinseco est potétia productiua omnium creaturarum: sed, si creaturæ non essent possibiles, implicaret potentia productiua illarum: ergo implicaret omnipotentia: ergo dicit ordinem transcendentalem ad creaturas. Minor probatur: quia ea, quæ implicant contradictionem, produci nequeunt: ergo non potest dari potentia productiua illorum. Distinguo maiorem: omnipotentia ex suo conceptu intrinseco est potentia productiua, quatenus est ex parte sui, omnium creaturarum, concedo: quatenus est ex parte ipsarum creaturarum, nego maiorem. Est dicere: omnipotentia quatenus est ex se, est potentia productiua cuiuscumque creaturæ, si prædicata eius non repugnauerint: si autē prædicata creaturarum inter se pugnarent; nihilominus maneret omnipotentia Dei: quia semper perseueraret ex se esse talem, quæ si

creaturæ

creaturæ forent possibiles, ex parte causæ quæ posset producere. Vnde in casu posito non essent improducibiles à Deo ex defectu virtutis in ipso Deo; sed ex defectu possibilitatis, seu ex repugnantia illarum, vt de facto contingit in chimæra? Id potest explicari exemplo cognitionis Diuinæ, quæ de facto cognoscit creaturas existentes, & tamen est certum de Fide, quod, si nõ existerent creaturæ (vt potuit re verà fieri, quod non existerent) non eas cognosceret: & nihilominus perseueraret invariata quoad entitatem intrinsecam ea ratione, qua modo est. De hoc latius dicetur in tractatu de scientia Diuina.

41 Dices: si Deus, quatenus est ex se, habet potentiam productiuam chimæræ, habebit etiam, quatenus ex se est, potentiam productiuam peccati, vt talis, & alterius Dei: hoc non potest dici: ergo neque illud. Maior probatur: quia non minus repugnat chimæra, quam peccatum, & alius Deus: ergo, si Deus, quatenus ex se est, habet potentiam ad chimæram, habebit etiam potentiam ad peccatum, & ad alium Deum. Nego maiorem: quia repugnantia chimæræ nõ oritur ex aliquo prædicatõ intrinseco Dei; sed ex oppositione prædicatorũ ipsius chimæræ inter se: & ideo quod de facto non possit produci à Deo chimæra; tribuendum non est defectui potentiæ Dei, quæ ex se extenditur ad ea omnia, quæ non implicant contradictionem; sed defectui possibilitatis chimæræ, quæ, quia nõ continetur intra seriem possibilium, non subest de facto omnipotentiæ Dei. At verò repugnantia concursus Dei erga peccatum non oritur ex eo, quod prædicata ipsius peccati opponantur inter se; sed ex prædicato intrinseco Dei, bonitate videlicet, ratione cuius repugnat Deo ad peccatum concurrere. Idem dicito de productione alterius Dei: quia, cum de ratione causæ sit distinctio realis à suo effectu; &, ex alio capite repugnet, quod Deus à Deo distinguatur, in ipsa potentia intrinseca Dei imbibitur repugnantia producendi aliũ Deum.

Causa creata naturalis dicit respectum transcendentalem ad suos effectus.

42 DIco secundò: omnis causa creata dicit ordinem transcendentalem ad effectus naturales, quos per potentiã naturalem, vt obedientiali opponitur, causare potest. Ita authores primæ sententiæ: Deinde P. Suar. lib. 3. de Attrib. capit. 9. num. 12. P. Vazquez 1. par. disp. 173. num. 13. S. Thom. in 1 dist. 3. quæst. 4. art. 1. ad secundum idem docet 1. part. quæst. 77. art. 3. in corp. & quæst. 54. art. 3. idẽ docent de potentia passiua materiæ PP. Conimb. 1. Physicor. cap. 9. quæst. 3. art. 2. cum S. Thoma, Sonzinate, Capreolo, &c. & P. Toletus 1. Physicorum, cap 7. quæst.

quæst 14 conclusion 2 Probatur quia omnis causa creata, ex natura sua est virtus absolute productiua suorum effectuũ: sed, si essent impossibiles effectus, non esset possibilis virtus absolutè productiua illorum: ergo esse non posset in rerum natura causa creata: ergo habet connexionem, & respectum ad suos effectus. Minorem probo: quia effectus absolute impossibiles non possunt absolute produci: ergo non potest dari entitas, quæ sit virtus absolute productiua illorum.

43 Respondent, causam creatam ex se non esse virtutẽ productiuam absolute suorum effectuũ; sed sub conditione; nempe, si fuerint possibiles tales effectus. Sed contra: omnis modus creabilis, ita est actuale, & absolutum exercitium potentiæ, cuius est modus, vt, ipsa non existente, non possit vllo modo ille existere: ergo omnis causa creabilis ita est potentia absolute productiua suorum effectuũ, vt, illis repugnãtibus, repugnet ipsa. Antecedens datur ab aduersarijs. Consequẽtia videtur bona quia non minus est de ratione causæ creatæ esse potentiam productiuam, quã de ratione modi esse actuale exercitium: ergo sicut repugnat dari modum, quin absolute ad actum reducat potentiam, cuius est modus, ita etiam repugnabit dari potentiam creatã, quin sit potentia absolute productiua suorum effectuum. Neque vlla potest assignari ratio, cur modus debeat semper esse exercitium actus à potentia, quæ de facto existit, & potentia non debeat esse causa productiua effectus; qui de facto sit possibilis.

44 Dicunt, in Deo esse possibilem potentiam productiuã creaturarum, quæ ex se non est absolute de facto productiua; sed ex suppositione, quod creaturæ sint possibiles. ergo id etiam concedi poterit in causis creatis. Quam mala consequentia! Neq; enim (vt sæpe monui) ex his, quæ in Deo cogimur concedere propter summam eius perfectionem, argumentari licèt ad creaturas, quæ scatent imperfectionibus. Deinde disparitas est assignatu facilis; quoniam Deus est ens à se, & propter se. Vnde sicut ex eo, quod est ens à se, repugnat illi esse quomodolibet ab alio; ita etiam ex eo, quod est propter se, repugnat illi ordinari quomodolibet ad aliud extra se. At vero creaturæ sunt entia ab alio; & propter aliud, & ideo sicut illis repugnat esse; & non ab alio; ita etiam repugnat esse; & non propter aliud. Cum autem vnumquodque sit propter operari, iuxta Arist & omnes philosophos, quælibet res creata est propter suas operationes; & effectus; ac proinde quens respicit, & ordinatur ad illos.

45 Dico, creatura sufficienter constituitur in esse creaturæ per hoc quod est esse ab alio: eo enim ipso quod est ab alio nõ potest non esse creatura. ergo sine fundamento additur ad rationem creaturæ, quod sit propter aliud,

seu quod dicat ordinem transcẽdentalem ad suos effectus Respõdeo, creaturam constitui in esse creaturæ per hoc, quod est esse ab alio, ita tamẽ vt in tali esse ab alio inuoluatur essentialiter hoc, quod est ordinari ad finem aliquem extrinsecũ à se distinctũ: quia creatura, eo ipso quod est ab alio, est simpliciter finita, & limitata secundùm essentiam: essentia autem simpliciter finita, & limitata contineri debet intra terminos; nihil enim aliud est esse finitum, & limitatum nisi limitibus, & terminis concludi atqui limites, & termini essentiæ finitæ nulli alij esse possunt nisi principium, a quo habeat esse, & finis distinctus ad quem ex natura sua dirigatur: ergo de ratione creaturæ vt talis est non solum esse ab alio; sed etiã dirigi, seu ordinari ad aliquid à se distinctum.

46 Confirmatur primò: quia, eo ipso quod aliqua essentia est ab alio, non potest esse ex natura sua omnipotens, immensa, infinitę scientiæ, &c. Certè non alia de causa, nisi quia hæ sunt perfectiones propriæ essentiæ infinitæ vt talis: atqui hoc, quod est esse propterse, sibi ipsi sufficiens, nec sine aliquo â se distincto indigens ad sui perfectam quietem, & fœlicitatẽ, est perfectio propria essentiæ infinitæ ergo nulli essentiæ creatæ conuenire potest. Minor probatur: quia ex eo quod Deus non indigeat extrinsecis bonis ad sui quietem, & fœlicitatẽ colligit Diuinus Vates, esse Deũ, dũ Psal. 15. dicit *Deus meus es, tu quoniã bonorum meorũ non eges*. Ergo hoc, quod est non ordinari ad finẽ, seu bonum aliquod extrinsecum, est proprium Dei.

47 Confirmatur secundò quia, eo ipso quod aliqua entitas ex natura sua ordinatur ad finem aliquẽ extra se, tenemur concedere illi principium, a quo eius esse dependeat ergo eo ipso quod aliquã entitas habet principiũ, a quo dependeat, debemus concedere illi finem aliquem extra se, adquẽ ordinetur sicut enim repugnat habere finem extrinsecum sine principio, sic etiam repugnare debet habere principium sine fine extrinseco.

48 Dices ad hoc, vt creatura absolute dicatur, esse propter aliud, sufficit, quod ordinetur ad aliquam operationẽ; etiamsi non respiciat omnes, quas potest elicere, & ideo non repugnabit creatura, quæ ad aliquam saltem ex operationibus, quas potest elicere, non ordinetur transcendentaliter. Sed contra est, quod creatura ex prædicato creaturæ debet ordinari ad suos effectus: sed quælibet formalitas creaturæ continens in sua virtute aliquem effectũ est creatura, seu ens ab alio ergo quælibet formalitas creaturæ cõtinens in se aliquem effectum debet respicere, seu ordinari transcẽdentaliter ad talem effectum.

49 Obijcies primò si causa dicit ordinẽ transcendentalẽ ad effectus, debet respicere illos non sub aliqua ratione cõmuni, sed sub

aliqua

aliqua ratione singulari, vt dicemus infra, ac per consequens materia prima, quæ infinitas formas naturales, imo & aliquas supernaturales potest recipere, eas omnes in singulari respiciet: ergo Angelus, qui propria virtute videt materiã intuitiue, & vt est in se, videbit propria virtute infinitas formas naturales simul, & aliquas supernaturales. Consequẽtia patet: quia materia per se ex naturâ suâ est respectus transcendentalis ad omnes formas prædictas in singulari: ergo Angelus, qui propriâ virtute videt materiam intuitiue, & vt est in se, videt illam vt respectũ transcendentalem ad omnes illas formas prædictas in singulari. Atqui nõ potest Angelus videre materiam vt respectũ ad omnes has formas in singulari, quin illas in singulari cognoscat: ergo vi propria cognoscet omnes illas simul. Hoc autem videtur excedere vires potentiæ naturalis, & finitæ perfectionis, qualis est intellectus Angelicus.

50 Respondeo iuxta doctrinã tradendam in lib. de Anima, posse quantlibet entitatẽ realem intuitiue videri secũdum vnam formalitatem, alijs formalitatibus cũ illâ identificatis non visis atque adeo Angelus intuitiue videns materiã primam, non videt illam prout respicit omnes formas, sed prout respicit illas, quas propriis viribus potest ipse Angelus simul vno intuitu cognoscere; quæ quidẽ erunt plures, aut pauciores, pro maiori, aut minori perfectione intellectus Angeli videntis. Supernaturales vero formas nõ potest Angelus vi propria cognoscere, atq; adeo ex naturâ rei nunquam videt materiã, prout dicit ordinẽ ad formas supernaturales, quas potest recipere. Id dixisse sufficiat in hoc loco, etenim in lib. de Anima explicandũ est, qua ratione id cõtingat.

Quid de potentia obedientiali.

51 DIco 3. potentia obedientialis ordinẽ dicit trãscẽdẽtalẽ ad suos effectus, nẽpe ad effectus supernaturales, respectu quorum dicitur potentia obediẽtialis. Ita cõmuniter authores præcedentis conclusionis. Probatur: quia potentia obedientialis nõ est denominatio extrinseca in entitate, quæ illã dicitur habere; sed virtus intrinseca physice productiua effectus supernaturalis: ergo eodẽ modo philosophandũ est de illâ, ac de reliquis causis creatis; eisdẽq; rationibus probanda est hæc conclusio, ac præcedens. Antecedens probatur quia intellectio supernaturalis; v. gr. vt pote quæ vitalis est, oritur physice à potẽtia intellectiua naturalis ordinis concurrẽte simul cum habitu supernaturali tanquam cum causa inadæquata: in potentia ergõ intellectiua datur potentia physica ad producẽdam talem intellectionẽ. Et ratio à priori est illa, quã supra assignauimus. quia potẽtia obedientialis vt talis est creata, ergo vt talis est ex naturâ suâ propter aliud nõ propter aliud omnino distinctũ, seu excludens effectũ supernaturalẽ, qui ẽ

v. g. essentialis continet ergo ex natura sua est propter istum si autem ex natura sua est propter istum, respiciat illum necesse est

51 Objicit PHIRT. si potentia intellectiua hominis, v. g. respiceret visionẽ beatificã, respectu cuius est potẽtia obediẽtialis, nõ posset esse talis potentia, quin visio beatifica esset possibilis. ergo ad sui existentiam exigeret visionẽ beatificam esse possibilẽ? Arguo potentia intellectiua hominis non potest exigere visionem beatificã ergo, &c. Minor probatur: quia de ratione accidentis supernaturalis, qualis est visio beatifica, est esse supra vires, & exigentiã entis naturalis ordinis: ergo, cũ potentia intellectiua hominis, sit ens naturalis ordinis, nõ poterit exigere visionem beatificam. Nego minorem. Ad probationem distinguo antecedens: de ratione entis supernaturalis est esse supra exigentiam naturæ quoad existentiam, concedo: quoad possibilitatẽ, nego antecedens. Est dicere: natura, seu ens naturale non potest exigere, quod accidens supernaturale ponatur existens: potest tamen exigere, quod sit possibile.

52 Dices possibilitas, seu non repugnantia est idem realiter cum existentia actuali, vt late docuimus disput. 7. ergo, si intellectus exigit non repugnantiã visionis beatificæ, exigit etiam eius existentiam actualem. Distinguo antecedens, non repugnantia, dum est in rerum natura, est idem realiter cum existentia actuali, concedo. antequam sit in rerum natura, nego antecedens, quia tunc, cum non habeat esse, neque potest esse idem, neq, diuersum quid ab existentia actuali. Potest tamen de illa tunc affirmari, quod non repugnet. Vnde distinguo consequens: si intellectus exigit non repugnantiam visionis vt habentem esse in rerum natura, exigit etiam existentiam eius actualem, concedo: si exigit non repugnantiam visionis sub ea solum ratione, quæ requiritur, vt vere dicatur non repugnare, exigit etiam eius existentiam actualem, nego consequentiam: quia hoc nomine, *existentia actualis*, solum significatur entitas habens esse in rerum natura; & non exigit intellectus hominis ad sui existentiam, quod visio habeat esse in rerum natura; sed tantum, quod possit habere.

Causæ creatæ dicunt ordinem trã-
scendentalem ad effectus in
singulari, non vero
in communi.

53 NOn desunt, qui putent, respectum causarũ creatarum non esse ad effectus individuos, sed prout cõueniunt in aliquo prædicato cõmuni. Vnde inferunt, quòd, si fieret impossibile aliquod individuũ ex his, quæ potest causa producere, non ideo fieret impossibilis ipsa causa, secus vero si omnia individua fierent impossibilia.

Vera

54 Vera tamen sententia est, respectum cuiuslibet causæ terminari ad effectus in individuo sumptos, ac per consequens, quolibet ex illis repugnante, repugnaturã fore ipsam causam. Ita P. Hurt. in Physic disp. 8. sect. 3 num. 57. & nonnulli recentiores. Probatur quia potentia physica debet ordinari ad effectus sub eâratione, sub qua sunt producibiles à parte rei. sed id, quod est à parte rei producibile sunt entitates in singulari, & non prædicatum aliquod commune: ergo ad entitates in singulari terminatur respectus causæ. Minorem probo: quiâ id est à parte rei producibile, quod de facto producitur per actionem causæ: sed per actionẽ causæ producuntur de facto entitates individuales, & non prædicatum aliquod cõmune, hoc enim fit cõmune per intellectũ tantũ ergo, &c.

55 Dicunt, produci individuum, v. g. hunc calorem, quia participat rationem caloris, & ideò respectum causæ per se terminari ad rationem caloris, per accidens verò ad differentiam individualem, quia videlicet est cõiuncta cum calore. Vnde, etiamsi repugnaret iste numero calor, non repugnaret potentia calefactiua ignis, si manerent possibilia alia individua, in quibus ratio caloris conseruaretur. Hæc doctrina in primis est contra Aristot. q. 11. Meta cap. 1. docet, actiones per se terminari ad singularia, & per accidens ad vniuersalia. *Actiones autem* (inquit) *ac generationes omnes circa singularia sunt, nec enim homini nisi per accidens fit, aut medetur, sed Callia, aut Socrati, &c.* ergo ex mente Arist. actiones per se primò terminantur ad individua vt talia. ergo potentia productiua primario respicit per se individua vt talia.

56 Secundò, admittamus responsum adductum ab aduersarijs. Vel ergo in eo casu respectus terminatur ad hunc numero calorem v. g. propter rationem caloris, quæ est in illo, vel propter rationem caloris, quæ est in alijs. Non hoc vltimum, vt per se patet. Si autem id cas primum ergo repugnante hoc numero calore, repugnat ratio formalis, propter quã ad illud terminatur respectus causæ; ac per consequens repugnabit etiam ipsa causa. Patet consequẽtia quia, repugnante hoc numero calore, repugnant omnia prædicata cum illo realiter identificata; sed ratio caloris, quæ est in illo, identificatur realiter cum illo. ergo repugnat, illo repugnante.

57 Dicunt secundo, respectũ causæ non terminari determinatè ad calorem, qui est in hoc individuo, sed vage ad hunc, vel alium. Vnde etiãsi repugnaret iste numero calor, posset perseuerare respectus causæ, dummodo perseueraret alius calor. & contra per te respectus causæ est ad hunc, vel illũ caloré vage. sed repugnãte hoc calore non posset esse ad hunc, vel illum vage, secus ũ ad illũ, qui perseueraret ergo, repugnante hoc calore, repugnaret talis respect.

58 Dices existentibus octo equis, est vera hæc propositio: *Equus requiritur ad equitandum*· quæ quidem ablatis duobus, vel tribus remanet adhuc vera, quia significat omnes illos equos vage, seu disiunctim · ergo si respectus causę terminatur ad effectus indiui duosvagè, vel disiunctim sumptos, etiamsi vnus, aut alter fiat repugnans, non repugnabit entitas causæ. Nego consequentiam. Disparitas est: quia causa non potest respicere vagè, seu disiunctim vnũ, vel alterum effectum; quin in sua virtute productiua determinatè contineat entitatem cuiuslibet effectus, vtpotè quæ non aliter fiet determinatè existens, nisi determinatè prodeundo ab ipsâ virtute causæ: repugnante vero quolibet ex illis effectibus nõ posset determinate illum continere virtus productiua illius causę, ac per cõsequens neque manere posset ea virtus productiua, neque respectus ad effectus illos vage sumptos. At vero intellectus cum possit præscindere vnum prædicatum ab alio, potest cognoscere, equum requiri ad equitandum, quin distinctè cognoscat entitatem huius, vel illius numero equi; atque adeo deficiente hoc, vel illo, non deficeret propositio, seu cognitio prædicta. Si tamen cognitio non solum repręsentaret rationem equi; sed etiam entitatem huius, vel illius distincte; vt, si assignando quemlibet diceret· *Hic equus, vel hic equus, &c. requiritur ad equitandũ*, in tali casu quolibet ex illis deficiente, deficeret cognitio; quia iam non posset illum distincte repræsentare.

59 Obicies: causa est productiua effectus vt existentis; & nihilominus non respicit illum vt existentem: ergo licèt causa sit productiua effectus in singulari, non bene inde infertur, quod respiciat effectus in singulari. Antecedens quoad secundam partem probatur quia causa potest esse, quin sit effectus existens. ergo nõ respicit illum vt existentem. Fateor causam non respicere effectũ vt existentem reduplicatiuè: nihilominus dico respicere existentiam ipsius effectus, & non solam possibilitatem vt præcisam ab existẽtia: quia illud respicit, quod potest producere: atqui potest producere non quidẽ possibilitatem vt præcisam: ab existentia; sed ipsam existentiam actualem: ergo hanc respicit. Addo tamen non respicere illam reduplicatiue vt existentem; quia hæc reduplicatio nihil aliud hìc denotat, nisi quo ! taliter respiciat existentiam effectus, vt non possit esse in rerum natura sine illa. sed causa productiua potest esse in rerũ natura sine existentia sui effectus· ergo non respicit illum vt existentem reduplicatiuè. Dicetur vero respicere effectum existentem vt possibilem, quia taliter respicit existentiam eius, vt non possit ipsa causa esse in rerum natura, nisi effectus sit possibilis: hoc autem est respicere effectum existentem vt possibilem: ergo, &c.

Idem.

Idem dicendũ est de virtute productiua causæ, nempe quod sit productiua existentiæ effectus, seu effectus existentis; non vero vt existentis reduplicatiue: quia primum solùm denotat causam continere in sua virtute productiua existentiam effectus, quod est verum. Secundùm vero denotat non posse dari in rerum natura virtutem productiuam causæ, quin detur existentia effectus, cuius est productiua, quod quidem est falsum, vt constat: quia bene potest verificari virtus productiua causæ in rerum natura, quin verificetur existentia effectus.

61 Vnde ad obiectionem distinguo primam partem antecedentis: causa est productiua effectus vt existentis specificatiue, concedo: reduplicatiue, nego. Est dicere: est productiua existentiæ effectus; hæc tamen non requiritur in rerũ natura, vt illa existat. Deinde distinguo etiã secundam partem antecedentis: & nihilominus non respicit illum vt existentem reduplicatiue, concedo: specificatiue, nego. Est dicere: respicit effectum existentem, non tamen requirit existentiam eius ad hoc, vt ipsa sit in rerum natura. Deinde, nego consequentiam, quia sicut causa, eo ipso quod sit productiua existentiæ effectus, debet respicere effectum existentem, licèt non reduplicatiue vt existentem, eo modo, quo explicatum est, sic etiam, eo ipso quod est productiua effectus singularis, debet respicere eius singularitatẽ: &, sicut non potest respicere existentiam effectus, quin iste sit saltem possibilis, ita, nec potest respicere singularitatẽ ipsius effectus, quin talis singularitas sit possibilis, atque adeo repugnante tali singularitate repugnaret respectus causæ, & ipsa causa.

62 Dices: causa per te respicit effectum existentem, & nihilominus dari potest causa sine existentia effectus: ergo datur respectus causæ, quin detur eius terminus. Distinguo consequens: quin detur eius terminus eo modo, quo requiritur ad existentiam causæ, nego: quin detur eius terminus diuerso modo ab eo, quo requiritur ad existentiam causæ, concedo consequentiam. Cũ autem ad existentiam causæ non requiratur, quod existat effectus in rerum natura; sed solùm, quod sit possibilis, potest dari causa sine illo existente, non vero sine illo possibili. Et propterea diximus causam respicere, seu connecti cũ effectu existẽte vt possibili; nõ vt existente. Quod intelligendum est de causa vt productiua est effectus; non de causa vt actu producente: causa enim producens vt actu producens connectitur cum effectu existente vt existente: quia productio actualis effectus non potest esse sine existentia ipsius effectus.

SECTIO IIII.

An effectus creati dicant ordinem transcendentalem ad suas causas?

63 EGimus de respectu causarum ad suos effectus. Examinandum modo, an effectus dicant ordinem, seu respectum transcendentalem ad suas causas? Idque examinabimus præcipuè de accidentibus respectu substantiæ, in qua tanquam in propria causa materiali recipiuntur & de creaturis respectu Creatoris, qui est primum efficiens illarum: & ex his facile erit colligere, quid dicendum sit de reliquis effectibus respectu causarum, quas exigunt ex natura rei.

An accidentia transcendentaliter respiciant substantiam?

64 CErtum est, accidentia modalia dicere ordinem transcendentalem ad substantiã, seu rem cuius sunt modi. Id constat ex num. 34. & ideo solum procedit difficultas de accidentibus, quæ sunt res. Circa quam recentiores, qui in causis negabant respectum transcendentalem ad suos effectus, illum etiam negant in accidentibus erga substantiam. Ita P. Vson in manuscriptis.

65 Dicendum nihilominus est, omne accidens involuere respectum transcendentalẽ ad substantiam Est expressa Aristotel. sententia pluribus in locis, in quibus semper vocat accidens entis ens, quem sequuntur fere omnes philosophi. Probatur. quia si esset impossibilis substantia, essent hæc accidentia realia impossibilia ergo habent essentialem connexionem, & respectũ ad illã, consequentia est bona, vt constat ex nu 26. Antecedens probatur quia hæc accidentia essentialiter petunt afficere substantiam inhærendo illi, sed si esset impossibilis substantia, neque possent afficere substantiam, neque illi inhærere ergo omnino corrueret essentia ipsorum.

66 Respondent recentiores, de essentia accidentis realis non esse petere afficere substantiam, & illi inhærere absolute, sed sub conditione, hoc est, esse talia, quæ si fuerit possibilis substantia, petant illam afficere, & eidem inhærere, quod quidem habere possent, etiamsi defacto esset impossibilis substantia. Sed contra· si hæc accidentia ex sua intrinseca ratione non peterent absolute inhærere substãtiæ, neq; id peterent ex hypothesi, quod ipsa daretur· hoc non cõcedis: ergo neq, illud. Probo maiorẽ: hæc accidentia per se ex sua intrinseca ratione connaturaliter possunt produci independenter à substantia, quia in tua sententia, si esset impossibilis substantia, defacto producerentur iuxta naturam suam independenter à substantia ergo non indigent substantia ad hoc, vt producantur connaturaliter absolute loquendo · ergo etiamsi sit possibilis substantia, non petent dependere ab illa. Probo consequentiam: effectus ab eis solum causis

petit

petit dependere, quibus indiget, vt suũ esse cõnaturaliter detur in rerũ natura absolute loquẽdo: sed per te accidens reale non indiget substantia ad hoc, vt detur cõnaturaliter in rerum natura: ergo non petit dependere ab illa, etiamsi detur possibilis.

67 Confirmatur: ideò non potest idem effectus naturaliter depẽdere à duplici causa totali, etiãsi quælibet habeat virtutẽ ad illũ producendum, & simul applicetur cum alia, quia vna tantũ indiget effectus ad sui productionem absolute loquendo; ergo, si accidens non indiget substantia ad sui productionẽ absolute loquendo, nõ petet dependere ab illa, etiãsi ipsa sit possibilis: alioqui, sicut rudicis, quod accidens petit depẽdere à substantiâ ex suppositione, quod detur possibilis, ita etiam posset dici, quẽlibet effectũ petere procedere à duplici causa totali ex suppositione, quod vtraq; applicetur. Si autẽ accidens non indigeret substantia ad hoc, vt cõnaturaliter produceretur, tã connaturale esset illi produci per creationẽ, quàm per eductionem, seu inhærentiam; ac per consequens nullum intercederet miraculũ in cõsecratione quantitatis Eucharisticę per creationẽ. Quod quis dicere ausit? Id, quod diximus de accidentibus respectu substantię, dicti puta de quouis entitate receptibili respectu subiecti, quod ipsa petit ex natura sua.

An creaturæ transcendentalẽ ordinem dicant ad Creatorem?

68 REcẽtiores suprà adducti docent, omnes creaturas, quæ se ipsis non pendent a suis causis, sed per causalitatem intẽrectã, non habere respectum transcentalẽ ad suas causas, etiamsi Deum cõprehendas, quia putãt, has creaturas nõ fore repugnantes intrinsece, etiãsi Deus repugnaret. Pro se adducunt S Thom. 1.p.q.25. art. 3. & P. Molinam supra eum articulum, & P. Vazq. infra. Sed quam sine fundamento tribuatur prædicta sentẽtia his authoribus, constabit ex dicendis.

69 Contraria sententia est tenenda, nẽpè creaturas dicere ordinem transcendẽtalem ad Creatorẽ (& idẽ dicito de quouis effectu respectu causę, quam exigit ex natura sua) Ita P. Vazq. 1.p.disp. 104.cap.4 nu. 12. & P. Arrubal. 1.p disp. 31.nu. 11. & 12. vbi dicunt, quod si Deus esset impossibilis, per locũ intrinsecũ repugnarent creaturæ. Et hęc est cõmunis sententia. Probatur: quia, si Deus esset impossibilis, per locũ ab intrinseco repugnarent creaturæ ergo dicunt ordinẽ transcendentalem ad illum: Consequentia est bona, vt colligitur ex definitione respectus transcendentalis adducta, n 26 Antecedens autẽ probatur quia creaturæ nõ possunt existere ãle, vt est Fide sanctum, & vel lumine naturæ notum: ergo debent existere ab alio efficiente; sed, si Deus repugnaret, non esset aliud, à quo fierent, ipse enim est author creaturarũ ergo non possent existere: ergo repugnarent.

70 Re-

70 Recentiores, vt soluant hoc argumentum, distinguunt duplicem non repugnantiam creaturarum; intrinsecam vnam, & aliam extrinsecam. Et dicunt, creaturas casu, quo Deus repugnaret, non fore repugnantes intrinsece, quia, etiamsi Deus repugnaret, prædicata hominis, verbi gratia, non opponerentur contradictorie inter se; essent tamen extrinsece repugnantes, quia repugnaret aliquid extrinsecum; quod necessario esset requisitum, vt ipsę ponerentur existentes in rerum naturá.

71 In primis recentiores isti videntur sibi non constare: quia in ipsorum sententia, quæuis actio intrinsece repugnaret, si repugnaret agens, à quo fieret. Sumo ergo illorum argumentum: etiamsi repugnaret virtus productiua calefactionis non opponerentur intrinsece inter se prædicata calefactionis, actio videlicet, & passio &c. ergo repugnante virtute calefactiuâ, non repugnaret intrinsece calefactio. Dices, esse malam consequentiam: quia non solum potest aliquid repugnare ex eo, quod prædicata eius opponantur contradictorie; sed etiam ex eo, quod repugnet aliquid extrinsecum, cum quo habeat connexionem; calefactio autem intrinsece habet connexionem cum virtute calefactiua, atque adeò, eá repugnante, repugnaret intrinsece calefactio. Bene ergo, etiam si prædicata hominis non opponerentur contradictorie inter se, possent nihilominus intrinsecè repugnare ex suppositione, quod Deus repugnaret: ergo non bene argumentaris, dum hanc formas consequentiam: *Casu, quo Deus repugnaret, non opponerentur contradictorie animal, & rationale: ergo homo non repugnaret intrinsece.*

72 Sed age iam, probo, hominem fore intrinsece repugnãtem, si Deus repugnaret: quia prædicata hominis, vt potè quæ essentialiter sunt ens ab alio (per hoc enim essentialiter discrepant à Deo) ex suâ intrinsecâ ratione, non possunt existere, nisi ab alio producantur: ergo ex suâ intrinsecâ ratione repugnarent, si repugnaret alius, à quo producerentur: ergo intrinsece repugnaret homo, Deo repugnante. Probo consequentiam: ideo calefactio intrinsece repugnaret, repugnante potẽtiâ calefactiuâ, quia ex suâ intrinsecâ, & formali ratione est exercitium potentiæ calefactiuæ: sed homo ex suâ intrinsecâ ratione est talis, qui non possit existere, nisi ab alio producatur: ergo ex sua intrinsecâ ratione est talis, qui non possit existere, si repugnet alius, à quo producatur. ergo intrinsece repugnabit.

73 Objicíũt recentiores Deus potest facere quidquid non implicat contradictionẽ: ergo non implicans contradictionem est obiectum omnipotẽtiæ Dei. ergo hoc obiectum non habet non implicare contradictionem per ordinem ad omnipotentiã Dei. Patet consequentia: quia idem esset non implicare contradictionem, ac posse

à Deo

à Deo fieri: ac proinde idem esset dicere, *Deus potest facere quidquid non implicat contradictionem*, ac dicere, *Deus potest facere, quod ab eo potest fieri*, qui est circulus vitandus, vt monet S. Thomas suprà: ergo intrinseca non repugnantia creaturarum non inuoluit respectum transcendētalem ad Deum.

74 Pro solutione noto primo, obiectum omnipotentiæ Dei absolute loquendo nō esse quidquid non implicat contradictionem, quia tres personæ SS. Trinitatis non implicant contradictionem, & non sunt obiectum omnipotentiæ Dei; sed obiectū est, quidquid non implicat contradictionem extra Deum. Noto 2. ex duplici capite posse aliquam rem implicare. vel ex eo, quod prædicata eius opponantur contradictorie; vel ex eo, quod implicet aliquod extrinsecum, cum quo deberet habere connexionē. Potest id explicari in eductione, licèt enim prædicata eductionis inter se non opponantur contradictorie, si tamē repugnaret potentia eductiua, repugnaret eductio, quia habet connexionem essentialē cum potentiâ eductiuâ, & ad hoc, vt eductio fit possibilis non sufficit, quod eius prædicata non opponantur cōtradictorie, sed est etiam necessariū, quod sit illud, cum quo habet necessariam connexionem. Etenim si esset possibilis eductio, & non esset possibilis potentia eductiua, verificaretur duplex contradictoriū, nempè, quod eductio esset possibilis, vt supponim⁹, &, quòd nō esset possibilis, quia ex suâ essentiâ est id, quo potentia eductiua actu producit terminum: non potest autem esse id, quo potentia eductiua actu producit terminū, si potentia eductiua implicet contradictionem.

75 Aliter repugnat entitas, quę sit simul eductio & creatio eiusdē termini, quia hæc nō repugnat ex eo, quod sit impossibilis potentia productiua creationis, & eductionis, datur enim in Deo potentia ad vtranque; sed implicat ex eo, quod prædicata eductionis opponantur contradictorie in eadē entitate cum prædicatis creationis; hæc enim est productio termini independenter ab omni subiecto; illa vero productio termini dependenter à subiecto; & vna & eadem entitas realis non potest esse id, quo res actu dependet, & non dependet à subiecto. Ad hoc autem vt aliqua res non implicet contradictionē, nec sufficit, quod nō implicet potentia, cū qua deberet habere cōnexionem, neque sufficit, quod eius prædicata non opponā tur cōtradictorie, quatenus est ex se; sed est necessariū vtrumq; at vero ad hoc, vt repugnet sufficit vnum ex istis duobus. Vtriusq; ratio est, quia *bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu.*

76 Noto 3. nullā rē extra Deū repugnare ex defectu potētię productiuæ. quia, cū Deus sit omnipotēs, potest quatenus ex se est, omnia, quæ extra illū sunt, producere, si aliunde non implicent. solū ergo datur repugnantia rerum ex oppo-

oppositione prædicatorũ. Vndè cũ Deus dicitur posse facere quid quid non implicat contradictionẽ, non est sermo de non implicatione, prout inuoluit connexionẽ cũ potentiâ productiuâ; sed de nõ implicatione, prout inuoluit prædicata non opposita contradictorie extra Deum: licet enim omnia prædicata extra Deũ, vt potè quę sunt entia ab alio, intrinsecum ordinẽ inuoluant ad Dei omnipotẽtiã, tamen quia ordinem hunc non inuoluerent in eadem entitate, si opponerentur contradictorie, &, eo ipso quod nõ opponantur, talẽ ordinẽ inuoluunt, ideo rectè explicatur obiectũ omnipotentiæ per hoc, quod est non implicare contradictionem, prout talis non implicatio inuoluit prędicata inter se non opposita.

77 Ex his respondeo ad obiectionẽ. Concedo primã cõseq.; nempè, quod obiectum omnipotentię Dei est quidquid non implicat contradictionẽ si id sit extra Deũ. & distinguo secundũ consequens; hoc obiectũ non habet non implicare contradictionem per ordinẽ ad omnipentiã Dei, ita vt iste ordo sit ratio adæquata non implicationis, transeat ita vt iste ordo sit ratio inadæquata; nego conseq. Est dicere: hæc prædicata non repugnantia habent ordinẽ ad Deũ, ita tamẽ vt ad hoc, quod in eadẽ entitate non repugnent, non sufficiat, quod non repugnet Deus, cũ quo habent cõnexionẽ, sed necessarium etiã sit, quod ipsa interse non opponantur cõtradictorie in eadem entitate. Ad probationem illius consequentiæ, nego antecedens, videlicet, quod non implicare contradictionem idem esse, ac posse à Deo fieri. Etenim non implicare contradictionẽ aliquã entitatem nihil aliud est, quàm quod prædicata, quę aliàs, vt potè entia ab alio, petunt fieri à Deo, nõ opponantur contradictorie in eâdẽ entitate, qua ratione non datur circulus in explicatione omnipotentiæ, & obiecti ipsius.

78 In hunc sensum intellige S. Thom. & alios authores, quos recentiores adducebant pro suâ sententiâ: dum enim dicunt hi Doctores, obiectũ omnipotentiæ Dei esse explicandũ per non repugnantiã absolutã, non est, quia putent non repugnantiã creaturarũ non inuoluere respectũ ad Deum; cum enim obiectũ omnipotentiæ Dei essentialiter differat à Deo per hoc quod est esse ens ab alio, & ens ab alio essentialiter consistat in hoc, quod est petere produci ab aliquâ primâ causâ, non potest nõ inuoluere respectum ad ipsum Deũ, sed quia existimant, non esse explicandũ obiectũ omnipotentię per solum respectum ad Deũ, sed addendam esse nõ repugnantiam, prout inuoluit negationem oppositionis prædicatorum in eadem entitate. Imò, eo ipso, quod ex parte obiecti explicatur nõ oppositio prædicatorũ in eadẽ entitate extra Deum, inuolvitur respectus ad Deũ. quia in prædicatis nõ oppositis extra Deũ imbibitur respectus ad ipsum, vt cõstat ex dictis.

Quem

Quem ordinem ferant creaturæ possibiles cū omnipotentia Dei?

79 EX dictis facile explicabitur, quâ ratione ordinandæ, & disponendæ sint creaturæ possibiles cum omnipotentia Dei. Sic ergo se res habet. Primo datur entitas intrinseca Dei, qua ens est ex se omnipotens, & hac ratione antecedit quasi priùs natura creaturis possibilibus vt possibilibus. Potest tamen omnipotentia considerari dupliciter. Primò, quatenus est absolute omnipotentia talis naturæ, quæ ex se sit productiua cuiuscunq; rei, quę non implicauerit contradictionē, quæ ratio daretur in Deo, etiamsi nullæ essent creaturæ possibiles, quia, vt supra diximus, omnipotē tia nullum realē respectum dicit ad creaturas possibiles, seu existē tes. Secundò potest cōsiderari omnipotentia vt potētia productiua huius & illius creaturæ iam possibilis. Primò modo dicimus omnipotentiā antecedere creaturis possibilibus vt talibus prioritate quadā quasi naturæ: quia, cū creaturę possibiles habeant connexionē essentialem cum omnipotentia tanquā cum causa, à qua habebūt esse, quotiescunq; ponantur in rerum natura, nō potest nō esse necessaria omnipotentia Dei adhoc vt creaturę revera sint possibiles, atq; adeo habent aliquā dependentiā ab illa quia tamen ipsa omnipotentia nō exercet aliquā causalitatem adhoc, vt creaturæ vere dicantur possibiles, ideo non dicitur absolute priùs naturâ illis.

80 Deinde pōt primū signum, in quo datur omnipotentia, quatenus est ex se potens producere quidquid nō implicat cōtradictionē, dari in secundo signo possibiles creaturas, hoc est, in secundo signo reuerà creaturæ sunt intrinsecè possibiles, nō absolutè sine dependentia ab alio; sed sunt possibiles esse ab alio, quia, cum creaturæ per suā essentiā sint entia per participationē à primo ente, inuolucre debent essentialiter respectū trāscendentalē ad Dei omnipotentiā. Itaq; in hoc signo secundo creaturę sunt intrinsecè possibiles à Deo eū respectu trāscendentali ad illū vt omnipotentē. Ex quo sequitur in eodē signo in quo creaturæ sunt possibiles à Deo, in hoc eodē esse Deū productiuū illarū ut possibilium. Ratio est manifesta ex dictis: quia Deus ex se est productiuus cuiuscunq; rei, si non implicauerit contradictionem: ergo, eo ipso quod Petrus non implicet, erit productiuus illius.

81 Ex hoc inferes, qua ratione definiēdæ sint omnipotētia Dei: & creatura possibilis. Omnipotē tia enim Dei nō est dicēda esse illa, quæ potest facere creaturas possibiles; sed esse illa, quæ potest facere quæcunq; nō implicent cōtradictionem extra Deū, quod quidē erit verū, etiāsi nihil extra Deum esset possibile, quia Deus, quatenus ex se est, esset productiuus cuiuscunq, nō implicātis cōtradictionem ex suis prædicatis intrinsecis. Vndè quod tunc nō posset producere, hōproueniret ex defectu

dit virtutis in ipso, sed ex defectu creaturæ in rebus ad hoc, vt producantur. Creaturæ vero possibiles, sunt illæ, quæ possunt existere à Deo quod ita est explicandum: sunt illæ, quæ non implicant esse à Deo, ita vt, si ab eo ponãtur in rerum natura, ex earum positione nullum inferatur contradictorium. Hac ratione nõ datur circulus in definitione omnipotentiæ, & creaturarum possibilium.

SECTIO V.

De conditionibus requisitis ad causandum.

82 Cognitâ iam naturâ causæ in communi, oportet agere de cõditionibus, quæ ex parte omnium causarum saltẽ physicarum requiruntur ad effectus producendos. Et quidẽ, quod ad existẽtiã attinet; in vera sententia eam non distinguente ab essentia; certũ est, se habere ex parte causæ vt virtutẽ potiùs causatiuam, quã vt conditionẽ. In sententia vero eã distinguente ab essentia, putarunt aliqui, existẽtiã nõ requiri ex parte efficientis ad efficiendum effectum. Ita nonnulli è Thomistis, inter quos est Cabezudo 3. p. q. 62. art. 1. diffi. 5. §. *Quinta sentẽtia est*, vbi docet, Sacramẽta physice causare gratiam in vltimo instanti extrinsecõ suæ existentiæ, in quo desinũt: cui sentẽtiæ ita adhæret, vt cæteras pure improbabiles.

83 Hæc tamẽ sententia expresse cõtradit Aristoteli, rationi naturali; imõ & communi experientiæ. Ita P. Suar. in Meta. dis. 14. sect. 3. nu. 30. cui subscribit P. Hurt. in Physi. disp. 8. sect. 5. n. 108. Primus ergo prodeat Aristotel., qui 2. Physic. cap. 3. text. 36 & 37. loquens de omnibus causis Physicis aperte docet, non posse actu causare, quin actu existant. *Omnia* (inquit) *aut agẽtia* (idest actu causantia) *aut quæ possint agere, hoc autẽ differunt, quod quæ efficiunt, & singula, atque ea, quorum sunt causæ, simul sunt; & non sunt, vt ei, qui medetur cum eo, qui sanatur, &c. quæ autem sunt secundum potentiã non semper*, vbi id discriminis constituit Aristoteles inter causam potentẽ causare, & inter actu causantẽ, quod hæc debeat simul existere cũ effectu secus illa: sed causa, quæ fuit in tẽpore immediate antecedente, non existit simul cum effectu existente in hoc instanti: ergo non potest iste effectus actu causari ab illa causa.

84 Respondet Cabezudo, causam præexistentẽ existere in hoc instanti virtualiter, & in esse causæ: non vero formaliter, seu in esse entis. Sed cõtra est, quod virtualis existentia causæ nihil aliud est per se, nisi effectus vt causatus ab hac causa. ergo si Aristoteles, dum asserit, simul esse causam actu causantem cum effectu causato, loqueretur de virtuali existentia causæ, idem esset, ac asserere, effectũ actu causatũ simul esse cũ effectu actu causato, quam quis non videat esse ridiculam repetitionẽ? Comparat ergo Aristoteles existẽtiam formalem causæ cum existentia formali effectus.

85 Rationi etiam contradicit Cabezu-

Cabezudo: quia nō minus requiritur existentia ex parte efficientis ad efficiendum, quam ex parte causę materialis ad recipiendum: sed causa materialis non potest recipere, nisi in instanti, in quo actu existit · ergo neque efficiens efficere, &c Cōsequentia videtur legitima: Minor datur ab aduersarijs asserentibus, in instanti generationis alicuius substantię non perseuerare accidentia substantiæ corruptæ ex vi talis generationis, quia non est in eo instanti forma corrupti, in qua recipiebantur. Maior vero videtur certa: quia non minus participat effectus suam existentiam ab efficiente, quam à causa materiali. Vndè nulla apparet ratio, cur hæc requiratur vt existens; illa verò non.

86 Dico ergo, existentiam causæ physicæ ita esse necessariam ex parte causæ ad operandum, vt neque de potētia Dei possit supplerī, etiamsi naturaliter distinguatur ab essentia. Ita communiter authores nostræ Societatis. Probatur: quia effectus nō fit existens, nisi à causa extra possibilitatem constituta, alioqui ignis possibilis posset comburere: sed causa non potest constitui extra possibilitatem formaliter: nisi per existentiam, etiamsi hæc ab essentia distinguatur, vt diximus disp. 2. sect. 6. dum agebamus de existentia materiæ ergo effectus non fit existens nisi à causa vt existenti ergo existēs requiritur ex parte causæ ad effectum producendū.

87 Obijcit primo Cabezudo. ad hoc, vt vnum corpus agat in aliud, sufficit, quod sit illi contiguum secundum locum · ergo ad hoc, vt causa agat in effectum, sufficit, quod sit illi contigua secundum existentiam. In primis, si hoc argumentum aliquid probaret, probaret quidem, causam non solum in instanti, in quo primò desinit; sed etiam per tempus subsequens posse operari · quia corpus non solum agit in parte alterius immediate sibi contiguā secundum locum; sed etiam in reliquis cum illa continuis per aliquod spatium: ergo causa etiam non solum ageret effectum in instanti, in quo primò desinit, sed etiam in partibus temporis subsequentis cum illo continuis. Vndè cauendum nobis esset, ne canis mortuus nos morderet, aut ignis iam extinctus cremaret. Respondeo ergo, admisso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est quia contiguitas duorū corporum tunc sufficit ad agendum vnū in aliud, quando vtrunq; existit simul; in casu vero posito ab aduersarijs non existunt simul causa & effectus; sed hic post illā, ac proinde non sufficit eorum cō tiguitas (si ita appellanda sit) ad agendum.

88 Obijcit secundò: viuens moritur in instanti, in quo primo non existit, quia existit tempore antecedēte · ergo causa agit in instanti, in quo non existit, si existit immediate antea. Respōd. viuens moritur in instāti, in quo primo nō existit, quia mori nihil aliud est, quam

desinere

desinere esse id, quod antea vere erat; at vero causare est de esse actu. Quare ergo ratione communicabit tertie alteri id, quod esse non habet? Objicit tertiò sacramenta physicè causant gratiam in instanti, in quo primo non sunt ergo &c. Antecedens est falsum, vt ostenditur in tract. de Sacramentis.

89 Præter existentiã alia cõditio requiri solet in causis ad operandũ, nẽpe cõplementũ intrinsecũ sui esse, quale est subsistentia in substantijs cõpletis, & in incõpletis, & accidentibus vnio. Sed de hac cõditione iã egi dis. 8. sect. vl.

De Approximatione agentis, & passi.

90 Tertio additur alia cõditio, quæ est approximatio agentis cũ passo. Circa quam conueniunt omnes esse cõditionẽ ad agendũ, imò & præsupponi ex parte causæ priº naturæ ante actionẽ, & effectũ. Cæterũ P. Arriag. in Physi. dis. 7. sect. 6. subsect. 4. putat, hoc vltimũ nõ esse certũ quia tã necessaria est approximatio agẽtis cũ corpore, cui imprimit impulsũ, quã ignis cũ subiecto, quod calefacit. sed adhoc, vt agens imprimat impulsum corpori, nõ supponitur pro priori naturæ approximatio vtriusque: ergo neq, ad hoc, vt ignis calefaciat subiectũ Min. probat.: quia in eo instanti, in quo agens imprimit impulsum corpori, mouetur hoc corpus ad præsentiã alicui acquirendã ex vi talis impulsus. ergo præsentia, quã tunc habet tale corpus nõ supponitur ad impulsum, sed illũ potiùs supponit pro priori naturæ: ergo neq, ad impulsum supponitur approximatio corporis cũ causa producẽte impulsum. Patet consequentia; quia approximatio vtriusq, coalescit ex præsentia, quã vtrumq; habet: sed præsentia vnius (corporis videlicet, in quo impulsus producitur) non supponitur ad ipsum impulsum. ergo neque approximatio vtriusque.

91 In hac re vti oportet distinctione; nã agens cõparari potest ad effectũ in se ipso producendũ, & ad effectũ producendũ in passo extraneo. Deinde agens producere potest tã in se ipso, quã in subiecto extraneo aut præsentiam, seu causam per se ordinatã ad productionem præsentiæ in suo subiecto, aut effectũ aliquẽ omnino distinctũ à præsentia, hoc est, qui nec sit præsentia, neq, per se ordinetur ad producendam præsentiã in suo subiecto. Hoc posito.

92 Dico 1. ad hoc vt agens aliquod producat in passo extraneo effectũ omnino distinctum à præsentia, supponitur pro priori naturæ approximatio talis agentis, & talis passi (passum extraneũ voco, quod ex natura rei non petit esse in eodẽ loco cũ agente) In hanc conclusionẽ omnes conueniunt, si P. Arrig. excipias. Probatur: quia approximatio ignis, v. g. cũ ligno per se cõducit ad calefactionẽ calefactio vero nõ cõducit per se ad approximationẽ. igitur talis approximatio supponitur pro priori naturæ ad calefactionẽ. Consequ. patet ex definitio-

nitione prioritatis secundū naturam explicatā supra sect. 2. nu. 22. Antecedens est certū experientiā, quā nouimus, ignem nō calefacere lignum, nisi sit illi approximatū; approximari tamē illi, etiāsi aliūde impediatur calefactio: ergo approximatio conducit per se ad calefactionem; & non è contrā.

93 Cōfirmatur: quia approximatio ignis, & ligni est cōditio per se requisita ad calefactionē: sed nō est requisita tanquā cōditio subsequens, aut cōcomitans calefactionem ergo tanquā cōditio antecedens. Consequentia est bona: quia præter illos tres non datur alius modus cōditionis per se requisitæ ad productionē effectus. Maior datur ab omnibus. Minor probatur: quia cōditio per se subsequens aliquā actio ē dicitur illa, quæ per se supponit ipsam actionē ad sui positionē; &, cōditio cōcomitans dicitur illa, quæ ita cōnexa est cum actione vt neutra poni possit, nisi in consortio alterius: sed approximatio ignis, & ligni non supponit per se calefactionē ad sui positionem, vt notū est, neque est ita connexa cū illa, vt neutra poni possit nisi in consortio alterius, quia, licèt impediatur calefactio, datur talis approximatio, vt experiētiā constat: ergo approximatio nō est cōditio subsequens, aut comitans calefactionem, atque adeo necessarium est, quod sit antecedens.

94 Dico secundo: ad hoc, vt agens in prima sui productione producat in se ipso propriā præsentiā, non supponit in se ipso aliquā aliā præsentiā pro priori naturæ ad talem productionē. Explico quando Deus in prima mundi conditione terrā creauit, prius naturā producta fuit terra. Deinde hæc in se ipsā produxit præsentiā in suo cētro, quia illa ex se est productiua talis præsentiæ, & nihil fuit, quod impediret talē productionē. In hoc ergo casu nō præcessit in terrā pro priori naturę aliqua prælētia, quę esset cōditio ad eam productionē: aliquin in eodē instanti realī temporis habuisset terra duplicē præsentiā in eodē loco, quia habuisset eam, quā de facto ipsa produxit, & præterea aliam præcedentē pro priori naturæ, quod admittendū non est, vt fatentur omnes.

95 Ratio a priori nostræ conclusionis est: quia nō alia de causa prærequiritur præsentia ex parte agentis ad effectū, nisi vt illud approximet passo, in quo producendus est talis effectus, sed agens non approximatur sibi per præsentiam propriā, approximatio enim vnius cū alio arguit distinctionē vtriusq; ergo nō est, cur ex parte illius præ requiratur præsentia ad producendam præsentiā in se ipso. Imò, neque ad quæcunque alia producēda in se ipso, vel in alio ita vnito sibi ipsi, vt petat esse in eodē loco, quia ratione talis vnionis est sufficienter determinatū agens, vt effectū producat in eo passo, nulla supposita præsentia ex parte ipsius agētis.

96 Hic est aduertendū, quod, si forma aliqua terræ, aut lapidis, v. g. producatur denuo in materia habēte præsentiā actu in cētro ipsius

ro ex vi huius præsentiæ determinatur forma terræ ad producendã in se ipsa præsentiã propriã in eo cẽtro (si quælibet entitas cõposita sit præsens per distinctam præsentiã, de quo agemus lib. 4.) quia, eo ipso quod recipitur in materia, seu illi vnitur, debet esse in eodẽ loco cum materia: ergo ex vi præsentiæ materiæ determinabitur forma ad producendam hìc, & nunc præsentiã in suo cẽtro. Patet consequẽtia quia ex vna parte habet virtutẽ ad eam præsentiã producendã, cum sit præsentia in proprio centro; ex alia vero parte non potest in eo instanti admittere ex naturâ rei præsentiã in alio loco, nisi in eo, in quo est materia, vt ignorat nullus: ergo ex vi præsentiæ materiæ, cui tunc vnitur, seu in qua recipitur, determinatur ad producendã in se ipsa eã præsentiã. Hinc est, quod præsentia materiæ in hoc casu est cõditio prærequisita ex parte formæ ad productionẽ propriæ præsentiæ, quia præsentia materiæ cõducit hic & nunc, vt forma producat suam præsentiã, non verò è cõtra: ergo illa supponitur in priori naturæ ad istã iuxta supra dicta.

97 Dico tertiò vt agens se ipsum moueat de vno loco in alium, requiritur vt conditio, quod duratione antecedente fuerit approximatũ loco, ad quẽ tunc mouetur. Id est certum apud omnes. Ratio est: quia ex eo agens transit modo ad hunc locum, & non ad aliũ distantẽ, quia immediatè antea fuit applicatũ huic, & non alteri: ergo approximatio præcedens per se conducit ad acquirendã præsentiã in hoc loco potius, quam in alio: ergo conditio per se requisita ad talem acquisitionẽ, est, quod immediatè antea præcesserit ea approximatio. In eâ verò duratione, in qua corpus acquirit præsentiã, nõ datur præsentia aliqua, quæ pro priori naturæ supponatur ad talẽ acquisitionẽ: neque enim in ea duratione aliam habet præsentiam illud corpus præter illam, quam acquirit, vt notum est.

98 Dico quarto, vt agens impulsum imprimat in passo extraneo, non est necessarium, quod pro priori naturæ supponatur illi approximatum. In hanc consentit P. Arriaga supra. Patet: quia potest contingere, quod in eadẽ duratione, in qua corpus impulsum accipit ab agente, moueatur per ipsum impulsum: ergo in eo casu præsentia, quam accipit in ea duratione supponit impulsum tanquã causam, à qua procedit: ergo non potest supponi ad illũ pro priori naturæ. Hæc consequentia est bona quia, vt infra disp. 18. sect. 2. dicemus, duæ entitates non possunt inter se esse mutuo priores secundũ naturã. Antecedens est mihi certũ: quia, vt cõstabit ex dicendis in libris de Generat disp. 5. sect. 3. & 4. impulsus potest produci tã in tẽpore, quàm in instanti. Si autẽ in tẽpore produceretur, posset tunc mouere corpus, in quo producitur: neq, enim quidquã esset, quod talem motum impediret. In hoc tamen casu necessarium esset, quod agens prius tempore applicatũ fuisset corpori,

in

in quo nunc impulsum producit: alioqui non posset modo illũ mouere, sicut non potest *mouere* corpora longe distantia.

99 Hic est dubiũ. an hæc approximatio debeat esse per præsẽtias diuisibiles, & extensas, hoc est, extendentes sua subiecta? Dico primo: si agens, & passum sint corporea, & diuisibilia approximari debent ad agendũ, per præsentias diuisibiles, & extẽsas. Ratio est: quia omne agens corporeum diuisibile petit ex natura sua ad sui existentiam, præsentiã diuisibilẽ, & extẽsam, ita vt viribus naturæ non possit esse sine illa: ergo eandem petet ad operandũ: quia, sicut esse rerum est propter operari, ita conditiones, quæ ex natura rei per se requiruntur ad esse, requiri etiã debent per se ad operari. Idem dicito de passo corporeo, & diuisibili respectu accidẽtium, quæ illi connaturalia sunt; quia sicut ad sui existentiam petit extensionẽ, ita etiã eam petet ad receptionẽ accidentium, quę illi cõnaturalia sunt, siue ea recipienda sint ab agente corporeo, siue ab spirituali.

100 Secus dicerem de accidentibus, quę cõnaturalia nõ sunt subiecto corporeo, vt est impulsus abextrinseco impressus, is enim potest introduci ab agẽte spirituali, Angelo, v.g. in subiecto corporeo, & diuisibili, etiam si hoc non sit in loco extẽsum: quia, cum ex vna parte Angelus non exigat ex se ad operandum subiectum extensum, & ex alia impulsus ab extrinseco proueniens corpori proijciendo non sit ex accidentibus, quæ hoc exigit ex natura sua, non est cur dicamus, extensionem naturã subiecti prærequiri vt conditionem ad talis accidentis receptionem. Ex his facile colligetur, quid dicendum sit de agente, & passo corporeis indiuisibilibus, si hæc sint possibilia, de quibus agemus in libris de Anima. Quanta vero debeat esse approximatio agentis, cum passo dicemus in libris de Generatione disp. 3. sect. 2. & 3.

De vltima conditione.

101 QVarto denique addenda est alia conditio in causis creatis, nempe causæ producẽtes, seu conseruantes causam eo tẽpore, quo producit effectum. Exempli sit ignis producens calorem, qui, vt caloré producat, debet esse existens: vt autem sit existens, cum sit ens ab alio, debet produci, seu cõseruari ab alio. Causæ ergo conseruantes ignem, & causalitates, per quas illum conseruant, sunt cõditiones necessario requisitæ ex parte ignis, vt calorem producat. Ratio est: quia ideo approximatio est cõditio ex parte agentis requisita ad causandũ, quia necessarium est, quod passo approximetur, vt in illo operetur: sed, vt ignis producat calorem, necessarium est, quod eo tempore conseruetur à suis causis. ergo causæ ignem cõseruantes sunt conditiones requisita, vt caloré producat Ex quo infers, causas conseruantes ignem eo tempore, quo producit calorem præsup-

ex vi huius præsentiæ determinatur forma terræ ad producendã in seipsa præsentiã propriã in eo cẽtro (si quælibet entitas cõposita sit præsens per distinctam præsentiã, de quo agemus lib. 4.) quia, eo ipso quod recipitur in materia, seu illi vnitur, debet esse in eodẽ loco cum materia: ergo ex vi præsentiæ materiæ determinabitur forma ad producendam hìc, & nunc præsentiã in suo cẽtro. Patet consequẽtia quia ex vna parte habet virtutẽ ad eam præsentiã producendã, cum sit præsentia in proprio centro; ex alia vero parte non potest in eo instanti admittere ex naturâ rei præsentiã in alio loco, nisi in eo, in quo est materia, vt ignorat nullus: ergo ex vi præsentiæ materiæ, cui tunc vnitur, seu in qua recipitur, determinatur ad producendã in se ipsa eã præsentiã. Hinc est, quod præsentia materiæ in hoc casu est cõditio prærequisita ex parte formæ ad productionẽ propriæ præsentiæ, quia præsentia materiæ cõducit hic & nunc, vt forma producat suam præsentiã, non vero è cõtra: ergo illa supponitur in priori naturæ ad istã iuxta supra dicta.

97 Dico tertio vt agens se ipsum moueat de vno loco in alium, requiritur vt conditio, quod duratione antecedente fuerit approximatũ loco, ad quẽ tunc mouetur. Ita est certum apud omnes. Ratio est: quia ex eo agens transit modo ad hunc locum, & non ad aliũ distantẽ, quia immediatè antea fuit applicatũ huic, & non alteri: ergo approximatio præcedens per se conducit ad acquirendã præsentiã in hoc loco potius, quam in alio: ergo conditio per se requisita ad talem acquisitionẽ, est, quod immediatè antea præcesserit ea approximatio. In eâ verò duratione, in qua corpus acquirit præsentiã, nõ datur præsentia aliqua, quæ pro priori naturæ supponatur ad talẽ acquisitionẽ: neque enim in ea duratione aliam habet præsentiam illud corpus præter illam, quam acquirit, vt notum est.

98 Dico quarto: vt agens impulsum imprimat in passo extraneo, non est necessarium, quod pro priori naturæ supponatur illi approximatum. In hanc consentit P. Arriaga supra. Patet: quia potest contingere, quod in eadẽ duratione, in qua corpus impulsum accipit ab agente, moueatur per ipsum impulsum: ergo in eo casu præsentia, quam accipit in ea duratione supponit impulsum tanquã causam, à qua procedit: ergo non potest supponi ad illũ pro priori naturæ. Hæc consequentia est bona quia, vt infra disp. 18. sect. 2. dicemus, duæ entitates non possunt inter se esse mutuo priores secundũ naturã. Antecedens est mihi certũ: quia, vt cõstabit ex dicendis in libris de Generat disp. 5. sect. 3. & 4. impulsus potest produci tã in tẽpore, quàm in instanti. Si autẽ in tẽpore produceretur, posset tunc mouere corpus, in quo producitur: neq; enim quidquã esset, quod talem motum impediret. In hoc tamen casu necessarium esset, quod agens prius tempore applicatũ fuisset corpori,

in

in quo nunc impulsum producit: alioqui non posset modo illũ mouere, sicut non potest mouere corpora longe distantia.

99 Hic est dubiũ an hæc approximatio debeat esse per præsẽtias diuisibiles, & extensas, hoc est, extendentes sua subiecta? Dico primo: si agens, & passum sint corporea, & diuisibilia approximari debent ad agendũ, per præsentias diuisibiles, & extẽsas. Ratio est quia omne agens corporeum diuisibile petit ex natura sua ad sui existentiam, præsentiã diuisibilẽ, & extẽsam, ita vt viribus naturæ non possit esse sine illa: ergo eandem petet ad operandũ quia, sicut esse rerum est propter operari, ita conditiones, quæ ex natura rei per se requiruntur ad esse, requiri etiã debent per se ad operari. Idem dicito de passo corporeo, & diuisibili respectu accidẽtium, quæ illi connaturalia sunt; quia sicut ad sui existentiam petit extensionẽ, ita etiã eam petet ad receptionẽ accidentium, quę illi cõnaturalia sunt, siue ea recipienda sint ab agente corporeo, siue ab spirituali.

100 Secus dicerem de accidentibus, quę cõnaturalia nõ sunt subiecto corporeo, vt est impulsus ab extrinseco impressus, is enim potest introduci ab agẽte spirituali, Angelo, v.g. in subiecto corporeo, & diuisibili, etiam si hoc non sit in loco extẽsum: quia, cum ex vna parte Angelus non exigat ex se ad operandum subiectum extensum, & ex alia impulsus ab extrinseco proueniens corpori proijciendo non sit ex accidentibus, quæ hoc exigit ex natura sua; non est cur dicamus, extensionem nativã subiecti prærequiri vt conditionem ad talis accidentis receptionem. Ex his facile colligetur, quid dicendum sit de agente, & passo corporeis indiuisibilibus, si hæc sint possibilia, de quibus agemus in libris de Anima. Quanta vero debeat esse approximatio agentis, cum passo dicemus in libris de Generatione disp. 3. sect. 2. & 3.

De vltima conditione.

101 QVarto denique addenda est alia conditio in causis creatis, nempe causæ producẽtes, seu conseruantes causam eo tẽpore, quo producit effectum. Exemplum sit ignis producens calorem, qui, vt caloré producat, debet esse existens: vt autem sit existens, cum sit ens ab alio, debet produci, seu cõseruari ab alio. Causæ ergo conseruantes ignem, & causalitates, per quas illum conseruant, sunt cõditiones necessario requisitæ ex parte ignis, vt calorem producat. Ratio est: quia ideo approximatio est cõditio ex parte agentis requisita ad causandũ, quia necessarium est, quod passo approximetur, vt in illo operetur: sed, vt ignis producat calorem, necessarium est, quod eo tempore conseruetur à suis causis. ergo causæ ignem cõseruantes sunt conditiones requisita, vt calorẽ producat Ex quo infers, causas conseruantes ignem eo tempore, quo producit calorem præsup-

ponit ad ipsum calorem in eadem prioritate naturæ, in qua ignis est ante caloré; quia, vt diximus sect. 2. omnes cõditiones ex parte causæ requisitæ præcedunt effectum eâdem prioritate naturæ, qua causa est ante ipsum effectum.

SECTIO VI.

Diuiditur causa in communi.

102 COmmuniter est iam recepta diuisio causæ ab Aristotele tradita in hoc libro tex. 27 & 5. Meta. text. 2. videlicet in *Materialem, Formalẽ, Efficientẽ, & Finalẽ*, quæ, licèt non sit immediata, est tamen adæquata, & bona: tum quia omnia membra rationẽ causæ participant (cum singula influant, hoc est, tribuant, seu cõmunicent esse effectui) neque vllũ est, quod in aliud coincidat: tùm quia nulla est causa, quæ ad eas quatuor reduci nequeat, vt ex decursu subsequentiũ disputationũ constabit. Lubet tamen alias adiungere diuisiones causæ, vt ad subsequentes disputationes viam expeditiorẽ aperiam.

103 Immediatè ergò diuiditur causa in intrinsecam, & extrinsecam. Intrinseca est, *quæ meluditur in effectu, tanquam pars illius.* Tales sunt materialis, & formalis quatenus componunt totum. Extrinseca est, *quæ est extra entitatẽ effectus*; vt, efficiens, & finalis; imo & materialis, prout causat per passionẽ, quia hæ prout tales non sunt de ratione intrinsecâ effectus. Ex his finalis non causat physice effectum; sed intentionaliter, quia nõ concurrit ad il ũ per suam physicã entitatẽ; sed tantũ vt apprehensa, vt dicemus infra disp. 16. Deinde efficiens diuiditur in Primã, & Secundam. Prima est Deus, quia ita efficit, vt à nullo ipse efficiatur. Secunda sunt omnia agentia creata, quia ab alio efficiuntur.

104 Rursus causa efficiens secunda, diuiditur in physicã, & moralem. Physica est, *quæ realiter per suam entitatem influit in effectum*; vt, ignis dum producit calorem, &c. Moralis, *quæ licèt immediatè per suam entitatem non concurrat ad effectum, tamen in prudentum æstimatione, illi attribuitur effectus, ac si vere influxisset in illũ.* Hac ratione, qui cõsulit, aut imperat dicitur causa effectus imperati. Præterea causa efficiens physica diuiditur in principalem, & instrumentalem, de quibus agemus ex professo disp. 13. Denique principalis diuiditur in vniuocam, & æquiuocam. Vniuoca est *quæ causat effectum eiusdem speciei.* Æquiuoca, *quæ causat effectum diuersæ speciei.*

105 Alio modo diuiditur causa in causam per se, & causam per accidens. Causa per se est illa, *cuius influxus per se requiritur ad effectum, quem producit.* Causa per accidens est, *quæ impertinenter se habet ad effectum*; dicitur tamẽ causa, quia ratione cõiunctionis cum verâ causâ illi tribuitur effectus. V.g. Musicus dicitur causa cursus, quia musica inuenitur in homine currente. Causa per se par-

sortitur in mediatam, & immediatam. Immediata, seu proxima est; *qua per suam entitatem concurrit ad effectum*, & hæc est, quæ propriè loquendo est causa per se. Dum dico concurrere per suam entitatē, non excludo actionem mediam inter vtrunque. Causa mediata seu remota est, *qua medio aliquo effectu à se causato influit in effectum*; vt, aqua, quæ dicitur calefacere medio calore in se recepto. Hęc, si propriè loquendum sit, non est vere causa effectus remoti; est tamen conditio per se requisita ad illum causandum eo modo, quo diximus sectione præcedente in fine.

105 Rursus causa per se immediata, alia est essentialis, *qua essentialiter requiritur ad effectum*, ea autem dicitur essentialiter requiri, cuius loco non potest adhuc de potentia Dei alia substitui. Talis est Deus respectu omnium rerum creatarum, vt dicemus disp. 14. Alia est non essentialis, *qua non essentialiter requiritur ad effectum*, quia licèt proprijssime loquendo sit causa per se, potest tamen alia loco illius substitui. Talis est habitus charitatis respectu actus amoris Dei in nobis existentis; qui quidem habitus, licèt per se immediatè concurrat ad amorem, quando datur in nostra voluntate; potest tamen concursus illius supplerià Deo.

107 Denique potest dividi causa alio modo in totalem, seu adæquatam, & in partialem seu inadæquatam. Totalis est *tota illa virtus, quæ influit in effectum*. Hæc autem aut potest esse in omni genere requisito ad effectum, vt, in ente naturali, cuius adæquata causa est quadruplex genus causarum, quia omnes ex causæ ad illum concurrunt: aut causa est adæquata in vno genere, causæ efficientis v. g. sic autem causa adæquata efficiens est omne id, quod efficit effectum. Præterea in genere causæ efficientis potest causa esse adæquata in vno ordine; vt, ignis est causa adæquata alterius ignis in ordine causæ secundæ; &, Deus in ordine causæ primæ.

108 Totidem modis dicitur causa partialis; quia vnunquodq; genus causæ dicitur causa partialis, quando cum alio, aut aujs concurrit ad effectum. Deinde in eodem genere, efficientis v. g. dicitur aliqua causa inadæquata, quando habet consortium in eodem genere ad producendum effectum. Hac ratione causa secunda semper est causa inadæquata effectus in genere efficientis, quia semper concurrit Deus cum illa ad ipsius effectum. Præterea in ordine causæ secundæ dicitur aliqua inadæquata, quando ad producendum effectum eget consortio alterius causæ secundæ. Sic intellectus est causa secunda inadæquata respectu intellectionis in opinione asserente speciem intelligibilem concurrere efficienter, quia in hac opinione intellectus ex natura sua indiget alia causa secunda ad producendam intellectionem.

109 Potest autem contingere, quod vtraque causa secunda sit

ordinis naturalis, & in hoc casu qualibet ex illis dicitur habere potentiam naturalem respectu effectus ab vtraque producendi. Vel potest contingere; quod vna ex illis sit ordinis naturalis; altera verò ordinis supernaturalis; vt, quando voluntas, & habitus charitatis concurrunt ad producendum amorem Dei. In hoc autem casu ea, quæ est ordinis naturalis, non dicitur habere potentiam naturalem respectu effectus ab vtraque producendi, sed potentiam nativam obedientialem, quæ quidem potentia dicitur *nativa*, quia non distinguitur ab entitate rei, & est quasi nata, & congenita cum ipsa. Dicitur præterea *obedientialis*, quia est in ordine ad effectum supernaturalis ordinis; cum quo nõ habet proportionem, quæ nemus est ex se, proportionatur tamen, & eleuatur ad illum producendum per comprincipium supernaturale tanquam per virtutẽ superiorem. Hæc verò eleuatio in eo tantum consistit, quod causa naturalis, cum sit ordinis inferioris, effectum supernaturalem producit cum comprincipio supernaturali per vnam indiuisibilem actionem ab vtroque procedentem.

110 Hìc aduerte, causam, quæ aliàs ex naturâ suâ habet virtutem adæquatam ad producendum aliquem effectum, posse esse inadæquatam, si de facto illum producat in consortio alterius per actionem ab vtraq; indiuisibiliter procedentem; vt, quando duo ignes, quorum vterque ex se sufficeret ad producendum alium, coniunguntur ad illum producendum per vnam & eandem actionem ab vtroque simul procedentem: Hæc tamẽ non dicuntur causæ ex natura sua inadæquatæ, quia ex se potest quælibet seorsim effectum adæquate producere; dicuntur tamen inadæquatę, prout concurrunt per prędictam actionem, quia cum talis actio ex suâ essentiâ sit modus vtriusque, non potest effectus mediâ illâ ab vna existis causis solum procedere.

DISPVTATIO XI.

De Causa materiali.

EA, quæ pertinent ad essentiam, potentiam, existentiam; & appetitum materiæ primæ latissimè peracta sunt disp. 2. Ad hanc vero disputationem pertinet materia vt munus causæ materialis exercet. Nec de materia solũ præsẽs instituitur disputatio; sed etiã de omni entitate, quæ rationem causæ materialis sortitur; vt, Angelus, & anima rationalis respectu intellectionis, & volitionis: quantitas respectu suæ præsentiæ, & aliorum accidentium: ac demum quidquid est subiectum, ex quo educitur aliqua forma, vel totum aliquod resultat.

SE-

SECTIO I.

Quæ sit causa materialis, & quæ eius causalitas?

1 COmmuniter recepta est definitio causæ materialis, quam Aristoteles tradidit in hoc libro text. 28. in hunc modũ, *Causa materialis est, ex quæ fit aliquid, cum insit*. Quæ quidem non eodem modo ab omnibus explicatur. Quidam putant per illam particulam, *ex qua*, differre causam materialem à reliquis, quia ea sola est, cui propriè tribuitur particula *ex*: formalis enim causa est, *per quam*: efficiens, *à qua*: &, finalis, *propter quam* fiunt res. Cæterum si per illam particulam, *ex qua*, sufficienter distinguitur causa materialis à reliquis, superuacanea est vltima *cum insit*: quia per illa verba, *fit aliquid*, conuenit cum alijs causis; per Tò, *ex qua*, differt ab omnibus: ad quid ergo additur, *cum insit*?

2 Recentiores aliqui sic definiunt causam materialem: *Est, qua causat, vel patiendo ab agente, vel per vnionem ad formam*. Per Tò, *vel patiendo ab agente* dicunt significari modum causandi per passionem. Per To, *vel per vnionem ad formam* dicunt explicari modum causandi totum per vnionem. Videtur autem ipsis hæc definitio non discrepare ab Aristotelica quia quòd in definitione Aristotelis continetur per illa verba, *ex qua aliquid fit*, explicant ipsi per primam partem definitionis: &, per secundam id, quod innuit Aristoteles in vltimis verbis, *cum insit*.

3 Duo peccata inuenio in hac explicatione. Primum est, quod non explicat rationem causæ materialis aliquo modo vnam; explicat enim duas omnino distinctas. Ex quo sequitur, neque ponendum esse vnum genus causæ materialis; sed duo adæquatè distincta neque rectè diuisam esse causam in communi in quatuor genera causarum; sed in quinque diuidendam fore. Patet sequela: quia materia prout causatiua per vnionem iuxta præfatam explicationem in nulla ratione conuenit cum se ipsã prout causatiuã per passionem, nisi in ratione causæ. ergo hoc, quod est esse causatiuam per vnionem; &, esse causatiuam per passionẽ sunt duæ rationes immediatè contrahentes rationẽ causæ ad duas species: ergo, cum sint alię tres rationes contrahentes rationem causæ ad Formalem, Efficientem, & Finalem, causa in communi diuidenda erit in quinque species. Secundum peccatum est, quod in secunda parte non satis explicat rationẽ specialẽ cauſæ materialis, prout est causatiua per vnionem; quia ex eo, quod causet per vnionem ad Formam, solum colligitur causare totum, illud componendo, & non vt Formam sed per hoc, quod est componere totum, & non vt formam: hoc declarat positiue rationẽ specialẽ cauſæ materialis, sed tantùm in negatiuo ergo, &.

5 Censeo ergo standum esse definitioni Arist. si adiatur id, quod ipse subintellexit. Verba Aristotelis sunt eo text. 18. *Uno igitur modo causa dicitur, ex quo fit aliquid, cum insit, &c.* Vbi in illis verbis, *ex quo* subintellexit *Subiectum*, quia paulo infra text. 31 dum omnia reduceret ad varia genera causarum, ea, quæ reduxit ad causam materialem, dixit se habere vt subiectum: ergo ex mente Aristotelis ad rationem causæ materialis spectat esse subiectum.

6 Sic ergo compones definitionem. *Causa materialis est, quæ se habet vt subiectum, ex quo aliquid fit, cum insit.* Causa ponitur loco generis, in quo conuenit cum reliquis causis. Per *Tò, quæ se habet vt subiectum*, differt ab illis. Et se autem subiectum est esse potentiam receptiuam. Potentia verò receptiua potest dupliciter causare, videlicet, vel recipiendo formam seu vnionem ad illam; vel componendo totum cum forma. Primum modum causandi explicuit Aristot. per illa verba, *ex quo aliquid fit*, quæ apud Aristot. idem significant, ac ex quo generatur compositum, vt diximus disput 2. sect. 2. Generatur autem compositum per actionem, quæ est receptio vnionis, vt sæpè diximus. Aristot. verò per receptionem modi vnionis explicuit modum, quem causa materialis habet causandi per passionem, quia licèt sæpè etiã recipiat formam, præcipua tamen causæ materialis passio est receptio vnionis, cùm per illam causet totum. Secundum modũ causandi explicuit Arist. per vltima verba *cum insit*: inest enim causa materialis, seu constituitur in composito per vnionem tanquam per causalitatem, per quam causat illud vt pars componens.

7 Porrò vtranque causalitatem exercet vt subiectum, seu potentia receptiua; quia, vt nemo dubitat, receptio tam formæ, quam vnionis est exercitium subiecti, seu potentiæ receptiuæ vt talis. Præterea vnio, vt se habet ex parte materiæ, est exercitium materiæ vt talis in ordine ad cõponendũ totũ sed materia constituitur in esse talis per potentiam receptiuam vnionis, vt diximus disp. 2. sect. 3. & licèt ibi loquebamur solum de materiâ primâ; verum in hoc conuenit cum quâlibet aliâ causâ materiali; vt ibidem adnotauimus: ergo vnio, vt se habet ex parte materiæ, est exercitium causæ materialis, vt subiectum est seu potentia receptiua. non cuiuslibet effectus, sed tantùm vnionis, quia in hâc solùm potentia diximus constituendam esse metaphysicã essentiam materiæ.

8 Aduertendũ tamen est, quod ad hoc, vt causa materialis vniatur vt potentia receptiua cum formâ, necessarium non est, quod actu recipiat vnionem; sed sufficit, quod ex se sit receptiua illius. Vnde, etiamsi vnio crearetur de facto; materia tamen vniretur cum formâ vt potentia receptiua vnionis, quia adhuc dato, quod crearetur

vnio

vnio defacto, maneret ipsa ex se potentia receptiua illius.

9 Ex his est facile iuxta mentem Aristotelis constituere definitionem causæ materialis vt sic: est enim, *quæ causat vt subiectum*; in quâ ratione conuenit tam causa materialis causatiua per passionem, quam causa materialis causatiua per vnionem. Deinde ea, quæ causat per passionem potest definiri, *quæ causat vt subiectum recipiens*. Ea verò, quæ causat per vnionem definitur, *quæ causat vt subiectum vnitum*. Vbi inuenies ea, quæ desiderabamus in secunda explicatione recentiorum. Primò enim datur ratio causæ materialis aliquo modo vna, & communis vtrique modo causandi materialiter. Secundò, positiue explicatur ratio causæ materialis vt distinctæ à formali; causa enim materialis à formali distinguitur per hoc, quod est vniri vt subiectum receptiuum vnionis. Ex hoc inferes receptionem, & vnionem esse duo exercitia inadæquata materiæ vt talis.

10 Secundò, est facile assignare causalitates causæ materialis: causalitas enim illius circa formam est passio, mediâ quâ recipit quamlibet ex illis. Circa totum verò duas habet causalitates. Vna est passio, per quâ recipit vnionẽ, quia sicut agens efficiendo vnionẽ, dicitur dare esse toti, eo quod, vnione posita, non potest non esse totum, ita etiam materia dando esse vnioni per receptionem dicetur etiam dare esse toti. Altera est vnio, mediâ quâ ex formâ, & ipsâ causâ materiali resultat totum. Per passionem vnionis dicitur causa materialis causare totum ordine productionis, quod ab aliis dicitur causare totum in fieri. Per vnionem verò dicitur causare totum ordine compositionis, quod ab aliis dicitur causare totũ in facto esse. Ea, quæ hucusque diximus, intelligenda sunt, quando vnio est distincta ab vtroque extremo, quia quando vnio est idẽ cum formâ, vt cõtingit in formis modalibus, tunc materia ordine productionis causat totum per passionem, per quâ recipit ipsam formam modalem; ordine verò compositionis causat totum per ipsam formam modalem, quatenus est vnio sui ipsius cũ ipsâ causâ materiali.

11 Dices: materia vniendo se toti, causat totum essentiale: ergo etiam vna pars integralis vniendo se alteri causabit totum integrale: sed non potest causare illud vt causa efficiens, aut finalis, vt patet; neque vt causa formalis, aut materialis, quia vna pars integralis non est forma, aut materia respectu alterius, vt constat ex dictis disp. 2. n. 134. ergo debet assignari aliud genus causæ præter quatuor communiter assignata. Respondeo, partes integrantes reduci ad causam materialem, vt constat ex Arist. 2. Physicorũ t. x. 31. respectu verò illarum se habet vt forma, vnio, per quam ex illis resultat totum integrale. Reducũtur autem ad causam materialem, & vnio ad formalem propter similitu-

litudinem, quàm hæc habet cum forma, & illæ cum materia: sicut enim materia ex se indifferens ad hoc, vel illud compositum, determinatur per formã ad hoc potiùs, quàm ad illud; ita etiam partes integrales ex se sunt, indifferentes ad hoc vel illud totum integrale, determinanturq; per hanc vnionẽ ad hoc potiùs, quàm ad illud componendum.

SECTIO. II.

De causa materiali accidentium materialium.

12 PLura sunt accidentia in cõposito substantiali corporeo, quæ diversas illi tribuunt denominationes, qualia sunt quantitas, primæ qualitates, & secundæ: deinde potentiæ vitales, & earum actus. Est tamen difficultas; an compositum sit solum subiectum denominationis; vel sit etiã receptionis? Clarius. Quæritur; an hæc accidentia recipiantur in solã materiã primã immediatè, vel potius in toto composito substãtiali? Et non est animo in præsenti de potentijs vitalibus, & earum actibus (de his enim agemus in libr. de Ani.) sed solùm de reliquis. Thomistæ ergo omnes vno agmine affirmant, recipi immediatè in toto composito substãtiali. Ita Albert. Magn. Capreol. Caiet. Sonzin. Ferra. Sot. & Duran. quibus accesserunt è nostris P. Rub. 1. de Gener. cap. 4. tract. 3. q. 7. num. 11. & P. Vazq. tom. 2. in 3. part. d. 129 num. 30. & 1. 2. disp. 19 c. 3. Præcipua fundamenta huius sententiæ sunt Arist. & S. Thomas, quorum mentẽ infra disquiram. Probationes verò, quæ ratione nituntur, infrà obijciam.

13 Vera tamen sententia est, accidentia prædicta in solâ materiâ primâ subiectari. Ita P. Hurt. in Phys. disp 5. sect. 6. num. 1. vbi refert pro hac sententia simplic. Philop. Amon. Gregor. Niphum, Venet. Marsil. & Zimar. Aliquæ rationes solent adduci pro hac sententia non adeo efficaces, & ideo eas omitto. Sic ergo efficaciter probatur 1. quia quãtitas, & temperamentum primarum qualitatum sunt dispositiones præparãtes materiam ad suscipiendam formam substantialem: ergo in eadem materia debent recipi. Patet consequentia: quia non alio modo præparant materiam nisi illam informando: in eodem autem subiecto, quod informant, recipiuntur, vt concedunt aduersarij. Quod autẽ sint dispositiones materia præparantes, experientia constat: neque enim ignis introducit suam formam substantialem in lignũ, nisi prius calorem, & siccitatem inducat.

14 Dices, has dispositiones recipi in materia tanquam in subiecto inadæquato, quod sufficit, vt præparetur ad receptionẽ formæ substantialis. Sed contrà: materia præparatur ad formam substantialem per dispositiones eã ratione, quâ est apta ad recipiendam ipsam formam substantialẽ, seu vnionem eius: sed prout constituit vnum subiectum adæquatum

cum

cum forma præexistente, non est apta ad recipiendam subsequentem (ad quam prærequiruntur dispositiones in ipsâ) neque enim formâ subsequens recipitur in materiâ prout unitâ cum præcedente; sed in illa secundùm se: ergo secundum se sumpta præparatur per dispositiones, & non prout unita cum formâ præexistente; ergo non recipit dispositiones vt subiectum inadæquatum, sed vt adæquatum.

15 Secundò probatur nostra sententia; quia forma substantialis non introduceretur in materia, nisi hæc sic præparata sufficienter ad illam per dispositiones: si autem accidentia recipiuntur in toto composito, nunquam materia erit de facto sufficienter præparata ad formam ergo &c. Minorem probo, & ponamus casum, quo forma ignis introducatur in materiâ immediate anteà existente sub formâ aquæ, vt de facto cõtingit, quando aliqua pars aquæ conuertitur in ignem. In hoc ergo casu materia non erat sufficienter præparata ad formam ignis tempore immediato ante instans introductionis ipsius formæ ignis, quia tunc temporis erat sub formâ aquæ de facto impedientis introductionem formæ ignis: neque præparatur sufficienter in instãti, in quo introducitur ipsa forma ignis, quia in eo instanti nihil dispositionis introducitur in materia ante formam ignis, nam cũ dispositiones per se subiectentur in toto composito, prius est, quod vnia tur formæ substantialis cum materiâ, quàm quod recipiatur dispositiones ergo eo tempore immediate antecedente non erat materia sufficienter præparata ad formã ignis, neque erit in præcedo instanti.

16 Dices, tempore antecedẽte dari in aqua vltimam dispositionem ad ignem, non pro eo tẽpore; sed pro instanti sequente. Sed contrà: tempore antecedente non erat sufficienter disposita pro eo tempore, quia forma aquæ erat cum sufficiente dispositione ad impediendam introductionẽ formæ ignis; sed in instanti sequente nõ minuitur dispositio aquæ ante introductionem formæ ignis; quia hæc deberet minui per introductionem dispositionis contrariæ, quæ per se non introducitur ante formam ignis; ergo non est, cur forma aquæ in instanti sequente non impediat introductionẽ formæ ignis; ergo tempore antecedente nõ solũ nõ erat sufficienter disposita materia pro eo tempore; sed neque pro instanti sequẽte.

Soluuntur obiectiones.

17 Obijciunt 1. Thomistæ: materia prima mutuatur existentiam à formâ: ergo nõ potest se solâ accidẽtia recipere. In primis antecedẽs est falsũ, vt satis probauimus disput. 2. sect. 6. sed dato antecedente, nego consequẽtiã, neque enim vlla est ratio, quæ probet, materiam, acceptã iã existentiâ à formâ, nõ posse se so-

lã

la recipere quantitatē, & reliqua accidentia. Quod quidem confirmari potest exemplo humanitatis Christi Domini, quam docent Thomistæ existere per existentiā Verbi, & nihilominus sola humanitas recipit accidentia propria compositi, vt necessario est concedendum, ne admittatur Verbum aliquid in se recipere, & mutari: ergo idem posset dici in materiā primā, etiam si existeret per existentiam formæ. Ex hāc doctrinā corruunt omnia argumenta, quæ pro contrariā sententiā sumuntur ex authoritate. S. Thomæ, & Aristotelis: omnia enim nituntur in eo, quod dixerint, prius esse substantiam, quam accidens, seu materiam prius recipere formas substantiales, quā accidentales; quod quidem verum esse posset, etiam si accidentia non reciperentur in toto composito; sed in materiā solum.

18 Objiciunt secundō. ex materiā, & formā substantiali fit vnū per se, ex subiecto vero; & formā accidentali vnum per accidens: sed vnum per se est prius, quam vnum per accidens: igitur prius est, quod materia recipiat formam substantialem, quam accidentia: ergo recipiuntur in toto, & non in sola materia. Distinguo minorem: vnum per se est prius ordine intentionis, & ordine perfectionis, quā vnum per accidens, concedo; ordine executionis, nego minorem. Est dicere: totum substantiale est quid perfectius, ac primario intentum à naturā, accidentia vero, saltem aliqua priùs executioni mandantur, quia plura le habent vt dispositiones, & media requisita ad positionem totius substantialis. Quod negare nequeunt Thomistæ de aliquibus accidentibus, quia in sententiā communi, cui ipsi subscribunt, priùs ordine executionis recipitur in materiā primā, generatio, quàm forma substantialis. Vnde hæc solum dicitur prior ordine perfectionis, & intentionis. In quo sensu explicandus est Aristoteles 7. Meta. text. 4. vbi dixit substantiam completam esse primum ens.

19 Dices: prius est, quod substātia sit completa in suo esse substantiali, quam quod recipiat accidentia, vt diximus disp. 8. sect. vltima; sed materia prima completur in suo esse substāriali per vnionem ad formam substantialem: ergo prius est, quod vniatur formæ substantiali, quam quod recipiat accidentia. Pro solutione noto, materiam primam dupliciter cōpleri in suo esse substantiali; vno modo per partem subsistentiæ ipsi respondentem; alio, per vnionem ad formam substantialem. Deinde duo sunt genera accidentiūm: alia, quę parant materiā, vt totum substantiale constituat; alia, quæ cōsequuntur totum. Dico ergo ad argumentum, respectu priorum accidentium supponi materiam completam per partem subsistentiæ tantū ń; respectu vero posteriorum supponi completam etiam per vnionem; ita tamen vt tam pars subsistentiæ, quam vnio

se

se habeant vt conditiones requisitæ ad hoc, vt materia recipiat accidentia, non vero vt subiecta inadæquata.

20 Obiciunt 3. formæ materiales sunt extensæ: ergo ab aliqua forma non ab alia, nisi a quãtitate: ergo recipitur in illis quantitas. Retorqueo argumẽtum: accidẽtia materialia, vt calor, frigus &c. sunt extensa: ergo ab aliqua forma: non ab alia, nisi à quantitate· ergo quantitas recipitur in illis. Agnosce tuas consequentias. Respõdeo, formas materiales esse formaliter extensas per præsentiam, per quam respondent spatio diuisibili secundum diuersas partes, debetur tamẽ illis hæc præsentia ex suppositione quod sint in subiecto habente quantitatẽ: quia cum subiectum habens quantitatẽ petat habere partes extra partes in loco, & quælibet forma petat esse in loco eodem cũ suo subiecto, fit, vt forma diuisibilis existens in subiecto extenso petat esse extensa per eundem locum cũ illo sicut iuxta omnium sententiã contingit in qualitatibus materialibus.

21 Obiciunt 4. in homine subiectantur sensationes materiales in toto composito: ergo & reliqua accidentia. Concedo antecedens propter rationem peculiarem, quæ inuenitur in sensationibus, quam dabo in libris de Anima. Nego tamen consequentiam: quia non datur eadem ratio circa reliqua accidentia: imo oppositũ probatur de dispositionibus, quæ, cum præparent materiam ad formam substantialem, debent prius recipi, vt iam probauimus.

De mente Aristotelis, & Sancti Thomæ.

22 VEnio ad Arist. & S. Thomam. Primus quidem nostram tradidit sententiam aliquibus in locis, quia lib. 2. de Gener. text. 6. docet expresse, dari vnam materiam, ex qua generantur elementa, quæ sit subiectum contrariarum qualitatum taliter, vt non possit ab illis separari. sed materia prima est, ex qua generantur elementa iuxta sententiam Arist. ergo eadem erit subiectum contrariarum qualitatum. Præterea text. 27. probat, facilius fieri aquam ex aere, quam ex igne, quia ad hoc, vt fiat aqua ex aere corrũpitur calor, & manet humiditas; at vero ad hoc, vt fiat ex igne, necessarium est, quod vtraque qualitas existens in igne, calor videlicet, & siccitas, corrumpatur: sed si accidentia reciperentur in toto composito, non posset iuxta sententiam Thomistarum humiditas aeris perseuerare in aquã· ergo subiectari debent in materiã primã.

23 Obiciunt 1. Arist. cap. de substantia, vbi dixit: *corruptis primis substantijs impossibile esse, aliquid eorum remanere*: ergo, quã so corrumpitur totum substantiale, nullum accidens ex his, quæ erant in illo perseuerat, ergo subiectãtur in toto cõposito. Respõdeo

deo, Arist. intelligendum esse de accidentibus, quæ sunt proprietates, & passiones compositi substantialis, quæ quidem, licet recipiantur in materiâ; dependent tamen in conseruari à formâ, & ideo eâ deficiente deficiunt.

24 Obijciunt secundò eundem Aristotelem. 1. de Gener. text. 23 vbi docet, in generatione substantiali nullum sensibile manere ex his, quæ erant in composito præexistente; quod corrumpitur. Verba Aristotelis sunt: *quando autem totum transmutatur, non manente aliquo sensibili, vt subiecto eodem, &c. generatio in hoc talis* · Ergo, cum accidentia sint, quæ dicuntur sensibilia, nullum ex his, quæ erant in composito præexistente, perseverat in eo, quod denuo generatur. Respondeo, Arist. nomine *sensibilis*, non significare in hoc loco accidentia, sed formam substantialem. Id, quod constat ex discrimine, quod ibi assignat inter alterationem, & generationem, nempe; quod in alteratione manet idem subiectum sensibile, secus in generatione: atqui subiectum, quod manet in alteratione non sunt accidentia sensibilia, qualia sunt calor, albedo, &c. tum quia hæc non sunt subiectum aliorum accidentium; tum quia sæpe corrumpuntur per ipsam alterationem: ergo ibi loquitur de formâ substantiali præexistente, quæ corrumpitur per generationem alterius formæ substantialis denuo aduenientis, quam quidem vocat subiectum, non receptionis; sed denominationis, quia licet accidentia recipiantur in solâ materiâ, tamẽ totum compositum denominatur album, calidũ, &c. Deinde vocat eam sensibilem, quia in eius cognitionem deuenimus per accidẽtia sensibilia illam subsequẽtia. Vide contextum, & agnoscès aperte hanc esse mentem Arist.

25 Non minus nobis fauet S. Thomas, qui quidem in 1. dist. 8. q. 5. art. 2. ad 4. docet, esse aliqua accidentia in homine, albedinem videlicet, & nigredinẽ, quibus nõ potest subijci anima: ergo sentit in materiâ solum subiectari. Præterea in 4. dist. 12. q. 1. art. 2. quæstiun. 4. in corpore docet, materiã ante aduentum formæ substantialis intelligi extensam per quantitatem (quã ibi vocat dimẽsiones) quia alias non posset ipsam formã recipere. Ex quo infert easdem dimensiones manere in substantia denuo generata, ac erant in corrupta. Quibus expresse docet, materiã præparari ad nouam formam substantialẽ per quantitatẽ, quæ erat cũ forma præexistente, ac per consequens quãtitatẽ nõ recipi in composito; sed in materiâ primâ.

26 Deinde addit, dimensiones præexistentes in materiâ accipere esse completum per aduentũ formæ substantialis. Ex qua doctrina explicandus est 1 p. q. 76. art. 6. in corpore, vbi dixit impossibile esse, quod quæcunq; dispositiones accidentales præexistant in materiâ ante formam substantialẽ. intelligendus ergo est, non de præexistẽ-

riâ

tiã secundum esse incompletum accidentium, sed secundum esse completũ quod expressis verbis tradidit ipse Doctor Angelicus q 5 de Verit. quæst de Provid. art. 9. ad 6. vbi hæc habet. *Ad sextum dicendũ, quod dimensiones præintelliguntur in materia, non in actu completo ante formas naturales, sed in actu incompleto, & ideò sunt priùs secundum viam generationis, sed forma est prior in via complementi.* Certè nõ potuit clarius nostram tradere sententiã.

27 Deinde in 4. dist. 46. quæ. 2. art. 6. docet, formã non coniungi subiecto, quod ibi vocat perfectibile, nisi quando hoc habet dispositiones, quibus efficitur susceptiuũ talis formæ. In quibus verbis duo cõtinentur. Primũ, quod in eodem tempore, in quo introducitur forma in subiecto, debeant esse dispositiones in eodem subiecto: Secundum, quod subiectũ per dispositiones fit susceptiuum formæ: ergo sentit in eo tempore præcedere dispositiones in subiecto prius natura ante introductionem formæ. Neque enim subiectum fit susceptiuũm formæ per id, quod subsequitur ipsam formã; sed per id, quod antecedit, vt per se patet.

28 Denique 3. p q 9. art. 3. ad 2. expresse docet Angelicus Doctor, adueniente formâ, perseuerare in materiâ accidentia, quæ illã præparant ad ipsam formam: ergo sentit recipi ea accidẽtia in materiâ prima solâ. alioqui deficiente forma præexistente deficeret subiectum, quo deficiente nõ possent perseuerare dispositiones iuxta sententiã Thomistarum. Neque potest explicari ita, vt velit perseuerare accidentia eadem, non numero, sed specie, inepte enim loqueretur S. Thomas, sicut inepte ego diceré, perseuerare in hoc gymnasio hominem, qui erat anteà, eo quod ipso egrediẽte, ingressus esset alius eiusdem speciei.

29 Obijcitur 1. S. Thomas q. de spiritual. creatu. art. 3. ad 19. vbi docet, quod quando ex aere fit ignis, manet idem calor secundũ speciem, non tamen secundum numerum; quia non manet idem subiectum. ergo sentit, subiectum esse totum compositum non solã materiam primam. Respondeo, S. Thomã ex eo dicere, non manere eundem numero calorem, quia cum ignis petat intensiorem calorem quam aer, adueniẽte formã ignis, augetur calor, qui erat antea, & ideo saltem inadæquate est numero diuersus, ac anteà. Deinde cum ex corruptione aeris proueniat, quod ille calor iam non sit calor vt sex, v. g. sed vt octo, dicitur corrumpi ille numero calor ex corruptione *subiecti*, quod *intellige* de subiecto denominationis, non de subiecto receptionis.

30 Obijcitur. 2. ex 1. de Gen. lect. 10 sed ibi potest explicari sicut obiectione præcedẽti. & licet in his locis videatur inclinari in cõtrariã sentẽtiã. tamẽ cũ alijs in locis pro nobis adductis, quę post illos tractatus in lucẽ edidit, nostram manifeste tradat a nobis esse censendus est. Tãdem solet hic obijci

obijci locus difficilis ex Opusc. 22. cap. 4. 6. & 7. Cæterum tractatus ille suppositiuius est vt constat ex editione facta iussu Pij V. vbi exiguis characteribus inscribitur illud opusculum in signum dubiæ authoritatis, vt ibidem notatur, & viderunt docti recentiores.

SECTIO. III.

Vtrum qualitates recipiantur immediate in quantitate?

31 NOn est sermo de qualitatibus vitalibus (harum enim discussio ad libr. de Anima spectat) sed solum de primis & secundis qualitatibus, quales sunt calor, & frigus; albedo, & dulcedo, & idem esto de luce. Quæritur, an hæc accidentia immediatè recipiantur in quantitate, & eâ media in materiâ primâ? vel an potius omnia immediate in materiâ primâ recipiantur? Prima sententia docet, subiectari immediate omnia accidentia in materiâ primâ. Ita P. Hurt. in Phys. disp. 6. sect. 6. num. 75. vbi pro se adducit Caxeolum. Fundamentū est quia dispositio ad aliquam formam debet recipi in eodē subiecto; quod disponitur ad talem formam: ergo, cum materia per qualitates disponatur ad recipiendam formam substantialem, debet eas in se recipere non mediate, quia non disponitur per illas ad recipiendam immediate formam substantialem ergo immediate.

32 Contraria sententia mihi magis arridet. Eam tenet S. Thomas 3. par. q. 79 art. 2. P. Suar. in Meta. disp. 14. sect. 4 & tom. 3. in 3 par. disp. 56. sect. 3. & cōmuniter recentiores. Probatur: quia in primis, vnum accidens potest esse immediatum subiectum alterius, vt patet in quantitate, quæ est subiectum immediatum præsentiæ, per quam constituitur in loco, vt cōcedūt omnes: deinde Eucharistia suadet, qualitates de facto recipi immediate in quātitate, quia cū ibi non sit substātia panis, & vini, & agentia naturalia naturaliter producant calorem, & frigus, ac alias qualitates in speciebus sacramētalibus, necessariū est, quod detur aliquod subiectum, in quo eas producant; quia non possunt eas producere per creationē: hoc autem nullum aliud esse potest nisi quantitas, quia reliquis variatis, sola ipsa manet inuariata: ergo in eâ recipiuntur immediate.

33 Respondent aduersarij, Deū miraculosè creare illas qualitates ad præsentiam agentium naturalium, vt abscondatur mysterium Eucharistiæ, ne suus Fidei desit locus; & meritum. Sed cōtra est, quod non sunt adstruenda miracula sine fundamento sed hic nō est fundamentum ad adstruendum hoc miraculum, vt constabit ex solutione rationis aduersariorū: ergo, &c. Confirmatur: quia effectus semper sunt proprijs, & connaturalibus causis (si hæ sint applicatæ) attribuendi, dum ratio, aut Fides Diuina aliud non suadet, alioqui nihil ex his, quæ videmus posse-

possemus certo affirmare: in præsenti autem neq; ratio, neq, Fides Diuina suadet, ignem applicatum nonproducere calorem in speciebus sacramentalibus: cur ergo nõ dicemus, talem calorem produci ab igne?

34 Ad argumentum oppositę sententiæ, cõcesso primo entimemate, nego minorem: neque enim omne id, quod materiam disponit ad recipiendam immediate formam substantialem; debet recipi immediate in eadem materia. Id constat in extensione quantitatis, quæ in sententia omnium est dispositio; vt materia recipiat in se formam substantialem, quia nõ potest eam recipere, quin habeat quantitatem extensam; & nihilominus extensiõ quantitatis non recipitur immediate in materia prima; sed in quantitate: ergo idẽ esse poterit de qualitatibus. Itaq, materia immediate disponitur per quantitatem affectam qualitatibus, sicut immediate disponitur per quãtitatem affectam propria extensione.

SECTIO IIII.

An dispositiones præsupponantur ex parte materiæ non solum ad introductionẽ, sed etiam ad conseruationem formæ substantialis.

35 SVppono primo, dispositiones prærequiri in materia ad introductionẽ formę substantialis. Constat enim experiẽtia, nunquam introduci formã ignis v. g. in aliquo subiecto, quin priùs calore & siccitate præparetur. Suppono secũdo, dispositiones non prærequiri in materia tãquam causas materiales immediate recipientes formam substantialẽ: hæc enim, vt supra diximus disput 2. sect. 2. recipitur immediatè in materia; & illi immediatè vnitur. Prærequiruntur tamen in materia tanquam conditiones ex parte ipsius materiæ necessariæ ad formam recipiendam. Vndè in genere causę materialis precedent, in materia ante introductionẽ formæ eãdem naturæ prioritate, qua ipsa materia præcedit introductionem ipsius formę, iuxta dicta disp. 10. num. 19. Est ergo difficultas: an forma non solum pendeat ab his dispositionibus, quoad primam sui productionem; sed etiam quoad conseruationem, ita vt in genere causę materialis præcedant etiam ex parte materiæ ad formam conseruãdam.

36 Recentiores quidã dicunt, formam non dependere in conseruari à dispositionibus, ita vt priùs natura supponantur in materia ad conseruationem illius. Adducunt pro se P Hurt. disput. 2. de Gener. sect 1. numer. 23. vbi docet, dispositiones post primum instans generationis formę conseruari efficiẽter ab ipsa forma; ad quam in primo instanti disponebant: cum autem ipse alibi doceat, non dari mutuas prioritates inter causas adhuc in diuerso genere, fateri debet post primum illud instans

non dependere formam à dispositionibus.

37 Ego verò existimo, dispositiones non solùm prærequiri in materia ante primam productionem formæ in primo instanti; sed etiã toto tempore sequenti prærequiri ex parte materiæ ad conseruationem eiusdem formæ, ita vt sicut pendet ab illis in primâ sui productione, sic etiam in conseruatione. Ratio est· quia, si dispositiones sunt prærequisitæ in materia ad primam introductionem formæ: ergo etiam ad eiusdem cõseruationem. Probo consequentiam · quia eiusdem rationis est actio conseruatiua, formæ, ac primo productiua, imò sæpe est eadem numero: ergo, si actio primo productiua prærequirit in materia dispositiones ad sui existentiam, eas etiam prærequiret actio conseruatiua.

38 Dicunt primò, in prima productione requiri dispositiones, vt materia ex se indifferens ad hanc, vel illam formam, determinetur ad hanc recipiendam, hac tamen recepta, cum iam materia sit determinata ad illam, non indigere dispositionibus ex parte sui ad eam conseruandam. Sed contrà: ad hoc, vt subiectum ex se indifferens ad calorem, & frigus determinate recipiat calorem, non debet determinari per aliam qualitatem prærequisitam, sed sufficit, quod applicetur denuo agens fortiùs ad producendum calorem, quam aliud, ad producendum, seu conseruandum frigus in eodem subiecto: ergo, vt materia ex se indifferens determinaretur ad formam ignis, verbi gratia, sufficeret, quod applicaretur agens fortius ad illam introducendam, quàm aliud ad producendam, seu conseruandam oppositam in eodem subiecto. Vnde dispositiones non erunt necessariæ præcisè ad tollendam indifferentiam materiæ; sed solùm quia forma ex naturâ suâ est talis, quæ petit recipi in mãteriâ taliter præparatâ. Cũ autem natura formæ sit eadem in primâ productione, ac in tempore sequente, eodem modo prærequirentur dispositiones ex parte materiæ ad conseruationem, ac ad primam productionem.

39 Dicunt secundo, inanem esse nostram argumentationem: quia ad introductionem formę requiruntur plures dispositiones, quàm ad eius conseruationem, vt experientia ostendit in aquâ, cuius formam videmus conseruari cum intẽso calore, ac remisso frigore, quæ quidem nunquã primo introducitur nisi in subiecto intẽsè frigido· ergo sicut ex eo, quod requiratur in materia frigus intẽsum ad introductionem aquæ, non licet inferre, requiri etiam ad eius conseruationem, ita ex eo, quod requirantur dispositiones ad primam introductionem formæ, non licebit inferre, requiri etiam ad eiusdem conseruationem · Sed cõtrà est, quod duobus modis potest contingere introductio formæ in aliquo subiecto. Vno modo, si subiectum nullam habeat formam contra-

contrariam. Altero, si contrariâ habeat. Si primo modo contingat, non requiruntur in materia plures dispositiones ad primam productionem, quàm ad conseruationem formæ. Si vero contingat secundo modo, plures requiruntur ad primam productionem, quàm ad conseruationem.

40 Ratio huius est, quia quando præexistit forma aliqua in materia, necessarium est ad oppositam introducendam vincere resistentiam præexistentis: hæc autem non vincitur per introductionem dispositionum, quæ requirũtur præcise ad conseruationẽ; plus enim virtutis requiritur ad vincẽdum contrarium, quam ad seruẽdum ab illo: quia ad contrarium vincendum necessarium est illum superare; at vero ad seruandum, sufficit non superari, & potest cõtingere, quod dispositiones, quæ sufficiunt ad conseruationem, quia non superantur à contrario, nihilominus non excedant virtutem contrarij, & propterea non sufficiant ad illud expellendum.

41 Obijcies primò: dispositiones conseruantur à forma substantiali in genere causæ efficientis, vt apparet in aqua, quæ efficienter se reducit ad amissam frigiditatẽ, & eam in posterum conseruat ergo non possunt præsupponi in genere causæ materialis ad conseruationem formæ alias sibi mutuo essent causæ, quod non admittis. Respõdeõ, esse duplex genus dispositionum: alias, quæ perse sunt necessariæ ad conseruationẽ formæ, alias exsuperantes, quæ perse necessariæ non sunt ad talẽ cõseruationẽ, conducunt tamen eo modo, quo dicam numero sequente. Illæ, quæ perse necessariæ sunt ad conseruationem formæ, non conseruantur à formâ, sed à Deo, & absit agens, à quo primo introductæ sunt, & hæ sunt, quas diximus prærequiri ex parte materiæ ad formæ conseruationẽ: at verò dispositiones exsuperãtes possunt produci, & conseruari à formâ, quia istæ non sunt per se requisitæ ex parte materiæ ad conseruationem ipsius formæ.

42 Rogas quâ ratione cõducũt dispositiones exsuperãtes ad cõseruationẽ formæ? Et ratio dubitandi potest esse quia si conducunt ad conseruationẽ formæ, necessarium est, quod præsupponantur ad illam in aliquo genere causæ: si autem ad illam præsupponũtur, non possunt cõseruari ab ipsa, quia nõ admittimus mutuã dependentiã inter causas adhuc diuersi generis, vt dicemus dis. 18. sect. 3. Vt respondeam, noto, dupliciter posse rẽ aliquã cõducere ad productionẽ, seu cõseruationẽ alterius. Primò positiuè, & perse, hoc est, vel influendo in ilã, vel se habẽdo tãquã conditionẽ perse requisitã ad influxũ. hac ratione conducit vnus ignis cũ suis cõditionibus ad immediatã productionẽ seu conseruationẽ alterius. Secũdò negatiue, & per accidens, hoc est, contrariũ imminens impediendo, ne talẽ rẽ corrũpat. hac ratione cõ luceré ego ad conseruandam vitã Petri,

inè & ignem, si gladium iam ab illi, vel mutuum immittentem auerterem. Hoc posito.

43. Respondeo, dispositiones exsuperantes cõducere negatiue, & per accidens ad conseruationem formæ, quando contrarium aliàs sufficiens ad introducendas dispositiones ad formam contrariam est applicatum. Ponamus claritatis gratiâ aquam cum frigore vt octo, ex quo quatuor tantum gradus sunt per se requisiti ex parte materiæ ad formam conseruandam, & alij quatuor sint exsuperãtes applicetur etiam ignis calidus etiam vt octo; illi quatuor gradus frigoris exsuperantes tùm resistendo formaliter, tùm imminuendo vires caloris ignis sunt in causa vt ignis, qui alias, si ibi deessent, introduceret quinque gradus caloris, qui sufficerent ad introducendam formam ignis in materia aquæ, non producat, nisi tres caloris. Ex quo sequitur, quod neque introducatur dispositio vltima ad formam ignis, neque corrumpatur forma aquæ. In hoc casu illi quatuor gradus frigoris exsuperãtes in aqua, dicuntur conducere negatiuè ad conseruationem formæ aquæ, quia non aliter concurrunt nisi impediendo concursum, quo destrueretur. Et propter eandem rationem dicuntur conducere per accidens, quia causa remouens prohibens inter causas per accidens recenseri solet. Vnde illi quatuor gradus non dicũtur præcedere propriè, & per se ante conseruationem formæ; sed tantùm impropriè, & per accidens.

44. Obijcies secundo, forma embrionis conseruatur in materia sine vltima dispositione: ergo non præsupponitur ad conseruationem formæ dispositio eiusdem formæ in materia. Antecedens probatur: quia forma viuentis, per quã corrumpitur forma embrionis, non potest introduci nisi in materia certa, & determinata, vt omnes concedunt: deinde partes huius materiæ determinatæ non possunt omnes simul disponi quoad intensionem in ipsis requisitam, vt in eis introducatur forma viuentis, quia, cum non omnes sint æque applicatæ causæ disponenti, neque omnes requirant eandem perfectionem dispositionum, necesse est, quod aliquæ prius quãm aliæ recipiant dispositiones in ipsis requisitas: præterea, cum forma viuentis sit simul introducenda in omnibus partibus materiæ, ex, quæ priùs receperunt intensionẽ in ipsis requisitã ad formam viuentis, habebunt formã embrionis toto eo tẽpore, quod necessariũ est ad hoc, vt aliæ partes vltimo disponãtur: ergo pro eo tẽpore cõseruatur forma embrionis sine dispositione in illis partibus. Probat. cõseq. quia dispositio vltima ad vnã formã nõ potest simul esse cũ dispositione vltima ad aliã incõpossibilẽ. sed in illis partibus certe est dispositio ad formã viuẽtis vltima quoad intẽsionẽ. ergo non manet dispositio vltima ad formam embrionis,

Ex

Ex quo infertur, ad conseruationem formæ necessariam non esse dispositionem prærequisitam per se ex parte materiæ.

45 Respondeo, conseruari in illis partibus dispositionem vltimam prærequisitam per se ex parte materiæ ad conseruationem formæ embrionis. Neque est inconueniens, quod in eâdem parte dentur simul dispositiones vltimæ secundum intensionem sufficientes ex se ad duas formas oppositas, seu incompossibiles: dum enim homo iugulatus obit, non est verosimile, quod in eo instanti corrumpantur in omnibus partibus corporis dispositiones, cum quibus connaturaliter conseruabatur in illis forma viuentis, & nihilominus certum est, in eo instanti dari in omnibus illis partibus dispositionem vltimam ad formam cadaueris ergo bene poterunt componi in aliquibus partibus materiæ dispositio requisita ad conseruandam formam embrionis, & intensio requisita ad formam viuentis. In eo ergo casu forma embrionis non corrumpitur ex defectu dispositionum, sed per aduentum formæ viuentis, quæ non potest ex natura rei componi simul cum forma embrionis in eâdem materiâ.

DISPVTATIO. XII.

De Causa formali.

COgnitâ naturâ causæ materialis, oportet gradum facere ad formalem, quæ non aliâ ratione, vt simul cum materiali suum causat effectum.

SECTIO I.

Quid sit causa formalis?

1 ARistoteles sæpè sæpius definiuit causam formalem his verbis *Ratio ipsius quod quid erat esse* Lit dicere: essentiæ, seu quidditatis ratio. Ita in hoc libro tex 28. & 5. Meta. capit. 2. text. 2. & alijs in locis. Ideo autem formã vocat rationem quidditatis, quia materia ex se indifferens ad hanc, vel illam essentiam constituendam, determinatur per hanc formam, vt hanc essentiam determinate constituat; &, per illam, vt illam etiam determinate constituat, ita vt hæc forma sit id, quo hæc essentia rata fit. Quod quidem dici non potest de materia, cum ex se non magis determinata sit ad hanc essentiam, quam ad illam, & ideo *tò Ratio quidditatis* optimè adaptatur formæ, nullatenus vero materiæ Verùm, licet hæc definitio explicet naturam formæ, quam Arist. cognouit, non tamen explicat naturam omnis formæ qualis supra disp. 2 diximus, possibilem esse materiam ex se determinatam ad vnam solam formam, ac per consequens ad vnam essentiam constituendam: & deinde possibilem esse formam ex se indifferentem ad plures materias specie diuersas informandas, ac per consequens ad plures species cum illis constituendas.

2 Ex his ergo, quæ disputat. 2 diximus circa essentiam materiæ primæ, & disp. 3 circa essentiam formæ, facile erit causam formalem definire. Sic eam definio *Est causa ex naturâ suâ ordinata ad constituendum totum simul cum subiecto, vt actus vltimus ipsius subiecti.* Causa ponitur loco generis. Deinde additur, *ad cõstituendum totum simul cum subiecto*, vt distinguatur à cæteris causis. Per *totũ cũ subiecto*, intellige potentiam receptiuam vnionis iuxta dicta disp 2. circa essentiam materiæ primæ. Dicitur *ex natura sua ordinata*, vt Verbum Diuinum vnitum cum humanitate Christi Domini excludatur à propriâ ratione causæ formalis licet enim Verbum Diuinum cõstituat cum humanitate Christum Dominum per vnionem hypostaticam receptam in ipsa humanitate; tamen quia ex naturâ suâ non ordinatur ad hanc constitutionem non habet rationem formæ, seu causæ formalis propriè loquendo.

3 Denique additur, *vt actus vltimus ipsius subiecti*, vt magis explicetur propria ratio causæ formalis, quæ ex se debet esse vltimus terminus subiecti, secundum quod hoc est potentia receptiua vnionis, vt diximus disput. 3. sect. 2. Vox aduerte, necessarium non esse ad rationem causæ formalis, quod vnio actu recipiatur in subiecto, sed tantum, quod petat ex se recipi, vt in simili diximus de causa materiali disp. 11. sect. 1 Hæc definitio conuenit omni formæ, si extrinsecam excipias, quia hæc nõ est propriè causa formalis, quia tamen reducitur ad causam formalem propter similitudinem, quam habet cum formâ intrinseca, eo quod sicut hæc denominat subiectum, & illud determinat ad hoc cõpositum, ita etiã illa. Et propter eandem rationem reducuntur ad causam formalem omnes modi, quibus propriè non conuenit ratio formæ.

4 Causalitas causæ formalis respectu totius est vnio cum materiâ, seu subiecto, quia media illa constituit totum, quod est effectus primarius illius, vt dicemus sect. 1. sequente. Hæc vnio, prout se habet ex parte formæ, dicitur informatio; at verò prout se habet ex parte materiæ, materializatio. Est tamen difficultas an informatio & materializatio formaliter distinguantur, hoc est, an sint duæ formalitates distinctæ per intellectum cum fundamento in ipsis rebus? Dico ergo, non esse formaliter distinctas. Ratio est: quia ad distinctionem formalem cum fundamento in re necessariũ esset, quod haberent diuersa connotata, vel, si eadem, diuerso tamen modo ea connotarent, neque enim aliud est fundamentum ex parte rerum ad hoc, vt intellectus diuersas formalitates distinguat: sed neque habent diuersa connotata, quia, cum materializatio sit vnio materiæ cum forma, & informatio vnio formæ cum materia, quælibet ex illis connotat simul

simul materiam, & formam. Neque diuerso modo eas connotant quia materializatio vnit materiam vt talem cum forma vt tali, & informatio vnit formam vt talem cum materia vt tali, vt probauimus disputat. 5. section 3. ergo quilibet attingit & connotat materiam, & formam eodem modo.

5 Confirmatur quia nullus est, qui in visione distinguat duas formalitates, vnam, qua potentia constituatur videns obiectum; & alteram, qua obiectum constituatur visum, seu terminans visionem; sed per eandem formalitatem, nempe per visionem vt talem constituitur potentia videns, & obiectum visum seu terminans visionem ergo per eandem formalitatem vnitur materia formæ, & forma materiæ. Idem dicam disputa. 20. section 3. de eductione, & passione.

6 Dices, diuerso modo connotari materiam & formam quia per informationem connotatur forma in recto, & materia in obliquo, at vero per materializationem materia in recto, & forma in obliquo. Sed contra vna connotatur in recto, & altera in obliquo, vel quia homo pro suo libito sine aliquo fundamento ex parte rerum ita eas disponit, & sic erit distinctio rationis ratiocinantis tantum, quam quidem libēter admittimus in præsenti: vel quia ex modo, quo vnio attingit extrema, desumit intellectus fundamētum ad distinguendas materializationem, & informationem: id autem non est verum, quia vnio prout se habet ex parte formæ attingit formam vt vltimum extremū, ac materiam vt alterum extremum vnibile. Deinde prout se habet ex parte materiæ attingit eas eodem modo: ergo nullum fundamentum est ex parte rerum ad disponendā vnam partē in recto potius, quam aliam, aut è contra. Nec propter caputes, hæc nomina, nempè *materializatio*, & *informatio*, esse synonoma quia significant vnionem diuerso modo cōceptam, saltem ratione ratiocinante, quod sufficit, vt non sint synonoma.

7 Objicies, vt probes, vnionē non esse causalitatem causæ formalis. Vnio non potest dependere à forma in genere causæ formalis ergo neque potest esse causalitas illius. Consequentia videtur bona, quia causalitas, vt videri potest in actione, & passione, pendet à suâ causa in eo genere, in quo est eius causalitas. Antecedens probatur: quia causa formalis causat suum effectum illum componendo sed vnio non componitur ex forma ergo non dependet ab illa in genere causæ formalis. Concedo primum antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem dico, eā esse verā in actione, & passione, secus in causalitate causæ intrinsecæ, quales sunt forma, & materia vt componentes totum. Disparitas est quia cum causa intrinseca nō alio modo causet suum effectum, nisi illū cōponendo, causalitas eius debet

esse id, medio quo componit. Id autem, medio quo causa intrinseca componit suum effectum, non potest componi ex illa, vt cõstat, & ideo non potest pendere ab illa in eodem genere, in quo pendet eius effectus. At vero causæ extrinsecæ, qualia sunt agens, & passum, producunt effectum quasi ex earum entitate prodeuntem media causalitate, nequit autem media causalitate prodire effectus, nisi etiam ipsa causalitas se ipsa prodeat à causa, alioqui vel à sola causalitate prodiret effectus, vel impertinenter se haberet ipsa ad talem processionem. Aliam causalitatem habet causa formalis circa suum effectum secundarium, quæ ex dicendis sectione sequenti facile explicabitur.

SECTIO II.

De effectibus causæ formalis.

8 DVo genera effectuum sortitur causa formalis, positiuos videlicet; & negatiuos. De vtrisque agendum est in hac sectione. Et quidem, quod attinet ad positiuos, qui effectus primarij formæ dicuntur, eo quod immediate ab illa causentur, certum est, compositum resultans ex materiâ, & formâ esse primariũ effectum causæ formalis: quia forma eatenùs causat, quatenùs componit: sed componit immediate cõpositum: ergo illud causat immediate: ergo est effectus primarius illius. Hinc oritur id, quod apud omnes philosophos est maximè receptum, nempè, nõ posse, adhuc de potentia Dei, esse formam in subiecto, & non causare suum effectum formalem, quod quidem intelligendum est de existentia in subiecto, non per receptionem; sed per vnionem quia effectus formalis est totum resultans ex forma, & subiecto: sed non potest esse forma vnita subiecto, quin totum resultet ex illis, vt certũ est apud omnes: ergo neq, potest esse vnita subiecto, quin causet suum effectum formalem. Idem dici potest de materiâ, seu subiecto, videlicet, quod non possit habere formam per vnionem, quin causet suum effectum materialem vt causa componens, quia effectus materialis subiecti vt causæ componentis est ipsum totum resultans ex materiâ, & formâ vnitis.

9 Duo hìc animaduerterim. Primum est, necessarium non esse, quod cum quolibet subiecto causet forma quoslibet effectus formales, quos ex se potest causare: quia, cum effectus formalis sit totum essentialiter, & determinate includens formam, & subiectum, non solùm requiritur ad hoc totum, quod forma sit talis, sed etiã quod subiectum sit tale. Hinc est, quod subsistentia Verbi vnita humanitati constituit cum illa suppositum, seu personam, secus cum animâ rationali separatâ quia, vt diximus disput 8. suppositum, seu persona non solum includit essentialiter subsistentiam, sed etiam naturam substantialem completam

tam in esse naturæ. Secundum est, si proprie loquendum sit, non esse verum id, quod communiter circumfertur, nempè formam tribuere suum effectum formalem materiæ cum enim effectus formalis sit totum, & totum nó tribuatur materiæ a formâ, non potest hæc illi suum effectum formalem tribuere. Potest tamen verum habere sensum, si eo modo loquendi significetur, vel quod forma materiam ex naturâ suâ indifferentem determinat ad hunc effectum formalem constituendum potiùs, quam ad aliud (& propterea dum ipsi materiæ communicatur, cẽsetur quasi tribuere illi radicaliter talem effectum formalem) vel quod materia denominatur à forma talis, vel talis alba videlicet, vel nigra, animata, vel ignefacta, &c.

10 Obiicies: totum non distinguitur realiter à suis partibus, & vnione: sed forma non est causa alicuius partis, aut vnionis: ergo non est causa totius. Minor constat quia non causat seipsam, vt patet, neque causat materiam, vt vidimus disp. 2 sect 8 neq, vnionem, vt vidimus sectione præcedẽte in fine: ergo nullo modo causat totum. Distinguo minorem primi syllogismi: forma non est causa alicuius partis, aut vnionis seorsim sumptarum, concedo non est causa partium & vnionis, si simul, & collectiue sumantur, nego minorem. Et deinde nego cõsequentiam quia forma non alio modo causat, nisi componendo, cum autem possit componere totum, quin aliquam partem, seu vnionem seorsim sumptam componat, fit, vt possit causare totũ, quin aliquam partem seorsim sumptam causet. Præter totum nullũ aliud effectum positiuum habet forma in genere causæ formalis: quia si aliquem maxime materiã, aut vnionem, neutram tamen causat, vt probatum est.

11 Effectus negatiuus causæ formalis est expulsio formæ præexistentis, quam quidem ideò dicitur expellere in genere causæ formalis, quia per sui informationem exigit, quod Deus cesset à conseruanda informatione formæ præexistentis in subiecto: nam cum tales formæ componi nequeant ex naturâ rei in eodem subiecto, eo ipso quod informatio vnius introducitur in subiecto, petit, quod informatio præexistentis desinat esse, ac per cõsequens, quod Deus, seu causa, quæ illam conseruabat, cesset à conseruatione. Neque solum desitio informationis formæ præexistentis est effectus secundarius aduenientis; sed etiam desitio ipsius formæ, si fuerit materialis talis forma hæc enim ex naturâ rei corrumpitur, corruptâ eius informatione, quia destructâ informatione manet ex natura rei talis forma inepta ad exercendas operationes compositi, ad quas tanquam ad finem proprium ordinatur, neque potest aliquam aliam exercere sine informatione seu vnione cum materia, vt concedunt communiter Doctores. Ex quo fit, quod cessat

ſet finis conſeruationis illius inxta ea, quæ diximus diſp. 2. ſect 8. Id autem non contingit in forma ſpirituali, qualis eſt rationalis: quia, cum in ſtatu ſeparationis à corpore aliquas poſsit operationes exercere ex naturâ rei, non ceſſat finis conſeruationis illius, atque adeo, corruptâ vnione, perſeuerat.

12 Rogas quæ ſit cauſalitas, per quam forma aduenies cauſat deſtructionem tam formæ præexiſtentis, quam eius informationis? Reſpondeo, eſſe ipſam deſitionem formæ, & informationis prout poſitam ex vi informationis aduenientis formæ. Itaque cauſalitas, per quam forma aduenies expellit è ſubiecto præexiſtentem, & eam deſtruit, neque eſt ſola informatio formæ aduenientis, quia, hâc poſita, poſſet nõ cauſari expulſio præexiſtẽtis, ſi Deus illam miraculoſe conſeruaret, neque eſt ſola deſitio formæ præexiſtentis, & informationis illius; quia hæc poſſet dari, quin expulſio cauſaretur à formâ aduenie-te, vt ſi Deus informationem, & formam deſtrueret ante aduentum nouæ formæ: ergo ex vtraque debet conflari talis cauſalitas: quia poſita deſitione formæ, & vnionis præexiſtentis ex vi vnionis aduenientis, non poteſt talis deſtructio non cauſari à forma aduenie-te: cauſalitas autem, cum ſit exercitium actuale cauſæ, debet eſſe ea, quâ poſitâ, non poteſt non eſſe effectus à cauſâ.

13 Hic animaduerte, non ſolũ expelli formam præexiſtẽtẽ per vnionem aduenientis; ſed etiã per eius productionẽ, quando vtraq; producitur depẽdẽter à ſubiecto, quia ſicut vnio vnius formæ eſt incõpoſsibilis cum vnione alterius in eodem ſubiecto, ita etiã productio vnius cũ productione alterius: neque enim eſt ratio, cur vniones opponantur, & non productiones. Productiones verò opponuntur in genere cauſæ efficiẽtis: nam ex eo vniones opponuntur in genere cauſæ formalis; quia opponuntur tanquã informationes formarũ oppoſitarũ: ergo, cũ productiones opponãtur tanquã actiones contrariorum agentiũ, opponentur in genere cauſæ efficientis. Idẽ dicitur ſuo modo de receptionibus. Vnde actio, & receptio, & vnio formæ aduenientis ſecundũ diſtributionẽ accõmodã expellent immediate quælibet in ſuo genere actionẽ, receptionẽ, & vnionem formæ præexiſtentis.

DISPVTATIO XIII.

De Causa efficiente creata.

COgnitis iã cauſis intrinſecis, oportet extrinſecas explicare, inter quas præcipuã ſedẽ obtinet Efficiens, & ideò de illâ priùs agendũ. Cũ autem ſupra diſp. 10. ſect. 6. diuiſa ſit in Primã, ſeu Increatam; & in ſecundã, ſeu creatam, vtriuſq; naturam inueſtigabimus. In hac vero diſput. agemus de creata, vt viam paremus ad increatam; &, vt clarius procedamus

mus, prius definiemus causam efficientem vt sic.

SECTIO. I.

Quid sit causa efficiens?

1 ARutor. in hoc libro text. 29 30 31. & 5. Meta. cap 2 text 2 & 3 hanc efficientis causæ definitionẽ tradidit *Est id, vnde primum principium mutationis, & quietis.* Cæterũ Tò *primũ* in aliquibus ex citatis textibus non habetur. Hæc definitio ita difficilis visa est P. Hurt. hic disp. 9. sect. 1. vt Arist: in hâc re deferendum censuerit · tum quia videtur solũ competere causæ Primæ, cum hæc sola causet vt primũ principiũ tum etiã, quia non competit causæ creanti, cum hæc non sit principiũ motus tum denique, quia etiam competit reliquis causis, cum quælibet causa possit dici principium mutationis, & quietis.

2 Propterea ipse aliam assignat num 2. *Est principium per se influẽs esse in aliud sine mutatione sui ex præcisa ratione influxus.* Hęc vltima verba addit, quia licèt aliquando contingat, quod efficiens mutetur per suũ influxum, at id non prouenit præcise ex eo, quod sit ille fluxus efficientis, sed quia est talis influxus, nẽpe actio immanens Per quod differt a causa materiali, & formali, quia hæc in sententia illius authoris causant per vniones in ipsis receptas, ac per consequens mutantur per suos influxus. Finis vero non est per se influens, quia non est causa per se, sed per accidens. Hæc tamen doctrina non consonat cum his quæ ipse Pater docet disp. 12 sect 5. num 93. & sequentibus, nempe vniones materiæ, & formæ creari posse, & casu, quo crearentur, materiam, & formam causaturas totum per ipsas vniones, quia hæ prout præcisæ à receptione sui in partibus, sunt causalitates eorum in ordine ad componendum totum.

3 Ex qua doctrina sic argumentor· Materia, & forma causant totum per vniones provt præcisas à receptione: ergo causant totum per vniones prout præcisas à mutatione. Consequentia est bona · quia per te nullo alio modo mutantur materia, & forma per vniones nisi recipiendo ipsas vniones. Pergo. Ergo materia, & forma, prout sunt causæ intrinsecæ totius, causant illud sine mutatione sui ex præcisa ratione influxus · non ergo assignas in tuâ definitione id, per quod causa efficiens à reliquis distinguatur.

4 Alij aliàs definitiones adducunt, quibus vt parum consonis omissis, amplector Aristotelicam pro his efficientibus, quæ non causant per creationem, hanc enim cum Aristotel. ignoraverit, non mirũ, quod eius causam non definierit. In ea ergo subsumi fingitur *causa* loco generis. Additur particula *vnde*, vt per eam distinguatur efficiens à reliquis causis hæc enim particula proprie significat locum, a quo aliquis exit, & ideo rectè applicata est efficienti, quod

q. ui vt tale, est id, aquo oritur effectus. In quo primum differt à materiâ, & formâ, prout sunt causa componentes: ab his enim non oritur effectus; sed resultat ex illis. Secũdò differt à materiâ prout recipiente, neque enim, si proprie loquendum sit, ab illa; sed in illa oritur effectus. Et denique à fine, quia is non est, *aquo*, sed *propter quem* fit effectus.

5 Deinde dicitur, *Vnde primum principium mutationis*, non vt denotetur, necessarium esse ad rationem causæ efficientis, quod ab illa oriatur id, quod est principium motus; sed tantum vt denotetur, eam esse, aqua oritur motus iuxta satis communem loquendi modum, quo, vt significemus, vnum oriri ab alio, solemus dicere, ortum, seu principium ducere ab illo. Propterea à Aristotel. hic text. 30. & 5. Metaph. text. 2. expunxit illam particulam *primum principium*; & dixit causam efficientẽ *esse vnde motus*. Ex quo colliges τὸ *primum* positum non esse, quia causa efficiens prius cõcurrat ad motum, quam reliquæ: neque enim motus prius pendet ab efficiente, quam a passo, sed ab vtroque simul. Arist. autem eam addidit particulam nonnullis in locis, non quia putabat necessariam esse, sed vt vulgo morem gereret, apud quem efficiens censetur esse, quod inter reliquas causas primum incipit operari. Vltimo additur *mutationis, & quietis*, quæ verba accipienda sunt in eo sensu, in quo diximus accipiendi esse in definitionẽ nãturæ, videlicet pro prima rei productione in subiecto, & eius conseruatione.

6 Ex dictis colligo sensum definitionis Aristot. esse hunc. *Efficiens est causa, vnde originem ducit motus, & quies* Quæ quidem definitio solum conuenit efficienti, quod causat per eductionẽ. Si autem velis causam creantem cõprehendere, sic definies: *Efficiens est causa, vnde*, vel *aqua aliquid oritur*. *Causa* ponitur loco generis reliquæ particulæ pro differentia, per quam differt à reliquis causis, vt constat ex dictis. Circa causalitatem efficientis certum est, eam esse actionem: quia id est causalitas causæ efficientis, per quod redditur actu efficiens: sed per actionem redditur actu efficiens, vt concedunt omnes: ergo, &c. An vero actio distinguatur realiter ab agente, & termino? Dicam infra disp. 15. & disp. 20. sect. 2.

SECTIO II.

An substantiæ creatæ immediate efficiant aliquos effectus.

7 CErtum est, causas creatas aliquid efficere experimur enim, ignem comburere, Solem illuminare, &c. Id, quod frequenter tribuit illis Scriptura sacra, in qua arbores dicũtur producere ex se fructus Lucæ 21. terra germinare herbam virentem, ac facientem fructus, & pro-

du-

ducere animam viuentem in Geneſis 1. quod ſane vere non diceretur, niſi hæc entitates aliquem concurſum efficientem haberent. Et quidem neceſſario adſtrnenda eſt talis efficientia in viuentibus · quia de ratione operationis vitalis eſt, quod efficiatur à principio, in quo recipitur eo modo, quo dicemus in lib. de Anim. ergo, cum operationes vitales recipiantur in viuentibus, ab eis oriri debent efficienter. Confirmatur in agente libero, de cuius ratione eſt, quod ſit Dominus ſuarum operationum, eſſe autem Dominum ſuarum operationum eſt poſſe eas elicere, vel non elicere pro ſuo libito, quod quidem ad genus cauſæ efficientis pertinet. Neceſſarium ergo eſt, quod habeat virtutem effectiuam ſuarum operationum. Id quod decreuit Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 4. vbi damnat aſſerentes, *liberum arbitrium velut inanime inſtrumentum nihil omnino agere, ſed mere paſſiue ſe habere*. Eſt ergo difficultas; an ſubſtantiæ creatæ immediate eliciant aliquas actiones, vel ſemper operentur mediis proprietatibus, & potentijs accidentalibus?

8. Thomiſtæ omnes vno ore fatentur, ſubſtantiã nullam actionem immediate elicere, ſed ſolum mediis inſtrumentis ſibi à naturâ exhibitis ad eliciendas proprias operationes; ita vt actio, qua ignis, v. g. producit aliam ignem, non oriatur immediate à ſubſtantiâ ignis; ſed à calore in ipſo exiſtente. Huic ſententiæ ſubſcribunt ex noſtris P. Vazqu. 1 part. diſput. 189. cap. 3. P. Perez. lib. 8. ſuæ Phyſicæ cap 11. Oppoſitã ſententiam amplector vt veriſimiam; eam tenet Scotus cum aſſeclis, P. Suar. in Metaph. diſput. 18. ſect. 2. num. 21. P. Hurt. in Phyſic. diſp. 9. ſect. 3. à num. 23. qui quidem num. 28. proſe adducit PP. Conimb. & Nominales. Pro maiori autem explicatione

9. Dico primo, ſubſtantia creata completa producit efficienter in ſe ſuas paſſiones, & proprietates naturales. Idem dico de anima rationali. Hanc concluſionem expreſſe tradit S. Thomas 1. part. quæſt. 77. artic. 6. in quo rogat, vtrum potentiæ animæ fluant ab eius eſſentia? & in corpore articuli concludit per hæc verba: *Vnde actualitas formæ accidentalis* (hoc eſt potentiæ, ſeu proprietatis accidentalis ſubſtantiæ) *cauſatur ab actualitate ſubiecti, ita quod ſubiectum in quantum eſt in potentia, eſt ſuſceptiuum formæ accidentalis, in quantum autem eſt in actu, eſt eius productiuum; & hoc dico de proprio. & per ſe accidente; quam reſpectu accidentis extranei ſubiectum eſt ſuſceptiuum tantum; productiuum vero talis accidentis eſt agens extrinſecum.* Quibus expreſſe tradit noſtram concluſionem.

10. Quod autem addit ad ſecundum, nempe quod ſubiectum eſt cauſa quodammodo actiua accidentis

dentis proprij, non est contra verba adducta ex corpore articuli, sed ideò dicit subiectum esse quodammodò actiuam causam, non quia vere non producat suam proprietatem; sed quia illam non producit per veram transmutationem; sed tantùm per naturalem resultantiam, vt ipse Angelicus Doctor explicat in solutione 13. Vocat autem eam productionem naturalem resultantiam, & non transmutationem: quia ita necessario est connexa ex natura rei cum productione essentiæ, quam consequitur proprietas, vt non censeatur noua actio, sicut censentur actiones accidentis, seu agentis extranei. Ita aduertit P. Hurt.

11 Ratione probatur conclusio primò quia operationes, quas causat aqua medio frigore suo, & anima medijs suis potentijs, & quæcunque substantia medijs suis proprietatibus, tribuuntur ipsis substantijs tanquam principali efficienti, seu primæ radici talium operationum: at, si substantia non efficeret immediate tales potentias, & proprietates; non posset esse prima radix efficiens earum operationum: ergo immediate efficit potentias, & proprietates. Minor probatur: quia ad hoc, vt substantia dicatur prima radix earum operationum, non sufficit; quod potentiæ, seu accidentia immediate producentia ipsas operationes subiectentur in ipsa substantia; alioqui aqua etiam diceretur prima radix calefactionis precedentis à calore in ipsa recepto: neque sufficit, quod accidentia talia immediate producentia eas operationes exigantur à substantiâ, in quâ subiectantur; alioqui materia posset dici radix operationum proceden tium ab anima rationali, cum istâ exigat ex naturâ rei ex suppositione, quod sit disposita ad illam: ergo necessarium est, quod potentiæ, & proprietates efficienter procedant ab ipsâ substantiâ.

12 Secundò probatur quia, vt experientia constat, aqua calefacta, si separetur calefaciens, se reuocat in frigiditatem pristinam: at tunc nulla est causa efficiens, cui talis reductio tribui possit præter formam aquæ: ergo ipsa est immediate effectiua suæ frigiditatis. Minor probatur: quia si alicui causæ esset tribuenda talis reductio, maximè corpori ambienti: atqui hoc sæpe est calidum sicut aqua: ergo, &c. Respondet Iabellus, frigiditatem in eo casu produci ab occulta quadam qualitate. Sed contra: vnde noti occultâ illâ qualitatẽ? Deindẽ, si hæc occulta qualitas producit frigus in aqua, cur non producit frigus extra aquam? quia per te ideo forma aquæ non producit frigus in se ipsa, quia inde sequeretur illud producere in subiecto extraneo: ergo, si ea qualitas posset frigefacere aquã, posset etiã subiectum extraneum, ac per consequens non esset, cur diceremus, frigus aquæ esse causam frigoris in alio subiecto producti, vt tu in-

fers

sers contra efficientiam formæ aquæ. Vide P. Hurt. supra n. 26. & 27.

13. Alij Thomistæ respondent, frigiditatem aquæ (& idem dicunt de proprietatibus aliarum substãtiarum) produci per eandem actionem, per quam forma aquæ producitur: vnde idem agens, qui producit formam, producit etiam proprietates eius per vnam, & eandem actionem, respectu cuius forma se habet vt terminus primarius, & proprietates vt terminus secundarius, & idem est de conseruatione. Cum autem accedit agens calidum, & corrumpit frigiditatẽ, perseuerat eadẽ actio cõseruans formam aquæ, quia, licèt actio ista non possit perseuerare sine termino primario; perseuerare tamen potest sine secundario. Deinde remoto agẽte calido, per eandem actionem iterum recuperatur frigus amissum.

14. Multa continentur in hac solutione, quę falsa merito videntur. Et in primis, dum formam aquæ dicunt esse terminum primariũ, & frigus secũdariũ illius actionis, vel ita intelligendũ est, vt tam forma, quã frigus producantur immediate per iliã actionẽ; cum hoc tamen discrimine, quod forma se habeat vt terminus magis principalis, & frigus minus principalis, vel ita intelligendũ est, vt solũ forma immediate producatur, frigus verò mediate. Si hoc vltimum, assignari debet causa immediata frigoris, quæ nulla alia poterit esse nisi forma aquæ. Si dicatur primo igitur hæc actio per suam essentiam est productio actualis tã aquæ, quã frigoris: sed ablato frigore non potest esse productio actualis ipsius; quia, quod non est, non producitur actualiter pro eo tempore, in quo non est: ergo, ablato frigore, non potest perseuerare ea actio.

15. Dices, eã actionẽ non esse productionẽ actualem termini secundarij. Sed cõtrà; ergo ad hoc, vt producatur actu terminus secũdarius, necessariũ est, quod detur alia actio, quæ sit productio actualis illius. Probo consequentiam: quia ad hoc, vt actu producatur terminus primarius, non sufficit entitas agentis, sed necessaria est actio, quæ per se ipsam sit productio actualis ipsius termini primarij: cuius ratio est, quia entitas agentis potest esse in rerũ naturâ sine hoc, quod est actu agere, & ita indiget formâ superaddita ad agendũ actu: sed per te agens cũ productione termini primarij potest esse, quin actu agat terminũ secundarium: ergo vt illum actu agat, indiget nouâ actione distincta à productione termini primarij.

16. Secundò, si per eandem actionem, qua producitur forma, producerentur eius proprietates, non possent non creari hæ, si forma crearetur. sed sic est, quod, quando forma creatur, non creãtur eius proprietates: ergo non producuntur per eandem actionem. Minor constat in anima rationali, quæ quidem creatur, proprietates vero illius, intellectus

tis videlicet, & voluntas, non creantur in sententia Thomistarum, quia recipiuntur in anima tanquam in subiecto. Maior vero facile probatur: quia, si proprietates animæ rationalis productæ per eandem actionem, per quam ipsa anima creatur; non crearentur per illam eandem actionem, sed educerentur, eadem actio esset simul creatio, & eductio, ac per consequens eadem actio se ipsâ penderet à subiecto, quia id est de ratione eductionis, & se ipsa non penderet; quia id est de ratione creationis, vt dicemus infra disput. 15. sectio. 1; atqui hoc implicat, vt constat: ergo &c illud.

17 Dico secundò: substantia creata immediate concurrit ad producendam aliam substantiam: Ita authores supra citati. Probatur; quia, dum ignis applicatur ligno, ignefit, lignum; sed ignefactio ligni non potest immediate effici solùm à calore, vel alia proprietate ignis: ergo debet immediate procedere ab ipsâ substantiâ ignis. Minor probatur: quia causa, quæ efficit effectum dat & communicat esse eidem effectui ergo necessarium est, quod habeat esse saltem æque perfectum cum effectu: alioqui qua ratione communicabit perfectionem, quam ipsa non habet? sed nullum accidens ignis applicati est æque perfectum cum igne producto: ergo nullum accidens potest immediate se solo ignem producere.

18 Dicunt, calorem producere ignem, non virtute propria; sed in virtute substantiæ, cuius est instrumentum, & ideò posse attingere se solo productionē ipsius ignis. Sed contrà: dum calor dicitur agere in virtute substantiæ, ignis videlicet, cuius est instrumentum; vel illi communicat aliquid ipsa substantia, ratione cuius idem calor operetur; vel non. Si hoc vltimum: solus calor concurret ad producendum ignem: cum autem calor sit imperfectior igne non poterit illum producere. Si primum: vel hoc, quod ab igne derivatur in calorem, est substantia, vel accidens. Si substantia: ergo hæc est immediate operativa. Si accidens, erit imperfectius effectu producendo: ergo non poterit calor ratione illius attingere productionem ignis.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta Thomistarum.

19 OBiciunt primò Thomistæ: in creatis distinguuntur realiter esse, & operari: ergo potentia, quæ ordinatur ad esse, hoc est, ad existentiam, distinguitur realiter à potentiâ, quæ ordinatur ad operari: sed essentia substantiæ est potentia ad esse, seu existentiam, & potentia operativa est potentia ad operari: ergo substantia, & potentia operativa realiter distinguuntur. Prima cōsequentia probatur: quia sicut potentiæ specificantur per actus, sic etiam

distin-

distinguuntur per illos: ergo, cum actus substantiæ, & potentiæ operatiuæ distinguantur realiter, distinguentur etiam realiter potentiæ. In primis primũ consequens supponit, essentiam distingui realiter ab existentia, quod, vt diximus disp. 7. est falsum.

20 Sed admissâ suppositione, nego illam primam consequentiã. Ad probationem dico, potentias nec specificari, nec distingui per actus inadæquatos; sed per adæquatos. Est dicere: non semper sunt distinguendæ tot potentiæ, quot sunt actus realiter distincti; sed ex pluribus actibus sæpe fit vnum aggregatum, quod est quasi actus adæquatus vnius potentiæ. Exemplum sit intellectus, qui potest elicere apprehensionem, iudicium, & discursum, assensum, & dissensum, errorem, & demonstrationem, &c. & tamen non distinguimus realiter tot potentias intellectiuas, quot sunt actus intellectus realiter distincti, sed damus vnam potentiam, quæ in omnes illos actus tendat, & ita aggregatum illorum dicimus, esse actum adæquatũ talis potentiæ. Sic posset fieri in præsenti, videlicèt, quod essentia substantiæ ex se ordinaretur ad existentiã, & ad operationem, tanquam ad actus inadæquatos, ex quibus coalesceret quasi vnus actus adæquatus talis essentiæ. Id, quod concedere tenentur Thomistæ in ipsa substantia, quam ex vna parte docent esse potentiam ad existentiam, & ex alia docent, esse potentiam receptiuam accidentium: ergo eadem potentia, quæ ordinatur ad actum existentiæ, ordinatur etiã ad actũ recipiendi accidentia: cur ergo non poterit etiam dici, eandẽ substantiam, quæ ordinatur ad actum existendi, ordinari etiam ad actum agendi?

21 Obiciunt secundò: potentia operatiua specificatur ab actu operandi: sed substantia non potest specificari ab actu operandi: ergo nõ est immediatè operatiua. Minor probatur: quia actus, à quo specificatur aliqua potentia, debet esse in eodem genere, in quo est ipsa potentia: sed operatio, vtpotè quæ est accidens, non potest esse in eodem genere, in quo est substantia: ergo, &c. Distinguo maiorem primi syllogismi: potentia operatiua specificatur ab actu operandi tãquam ab obiecto extrinseco, cõcedo: tanquã ab obiecto intrinseco, nego maiorem. Obiectum intrinsecũ est ipsa differẽtia intrinseca, & essẽtialis rei, per quam genus contrahitur, & ipsa res constituitur in determinatâ specie, & essentiâ. Obiectum extrinsecum est illud, ad quod essentialiter ordinatur differẽtia intrinseca rei & dicitur res specificari ab illo, quia, cum respectus variari debeat specie pro variatione specifica termini, ad quem ordinatur, necessariũ est, quod quotiescunque id, ad quod essentialẽ ordinem dicit differentia intrinseca rei, est diuersum in specie, sit etiam diuersa in specie ipsa differentia intrinseca rei.

22 Deinde distinguo minorem: substantia non potest specificari ab actu operandi tanquam ab specificativo extrinseco, nego: tanquam ab intrinseco, concedo minorem: quia actus operandi cum sit accidens, non potest esse differentia intrinseca, & essentialis substantiæ. Ad probationem minoris distinguo maiorem: actus, a quo specificatur potentia, debet esse in eodem genere, ac ipsa, si specificatur ab illo tanquam ab specificativo intrinseco, concedo: si tanquam ab extrinseco, nego maiorem. Et quidem id concedere debent ipsi Thomistæ: quia potentia operativa, quam ipsi cõstituunt in substantia, in igne, v. g. ad producendum alium ignem, est calor, qui pertinet ad prædicamentum qualitatis, actus vero, quę est actus secundus, per quem calor producit alium ignem, pertinet ad prædicamentum actionis & ignis productus, qui est actus ultimus talis potentiæ, est in prædicamento substantiæ: ergo iam non est verum, quod potentia, & actus extrinsecus illius debent esse in eodem prædicamento.

23 Dices: si substantia ordinatur ad accidens tanquam ad id, à quo specificatur extrinsecè, accidens erit finis, ad quem ordinatur substantia: hoc autem videtur absurdum. Respondeo, accidens esse finem, *qui* appetitur ab ipsa substantia tanquam perfectio propria, ipsa vero substantia est finis *cui*, quia sibi ipsi appetit talem perfectionem. Vnde ex accidenti, & ipsa substantia conflatur adæquatus finis eiusdem substantiæ, quod nullum est absurdum.

24 Obijciunt tertio: ignis calefacit subiectum extraneũ medio suo calore, & aqua infrigidat medio suo frigore, &c. ergo substantia non operatur immediatè, & per se; sed mediis solùm accidentibus. Concedo antecedens, & nego consequentiam: neque enim affirmamus, substantiam immediatè operari omnes suos effectus; sed nonnullos, quales sunt producere aliam substantiam, producere passiones, & proprietates suas, &c. Dices. si ignis posset in se producere caloreẽ, qui est eius proprietas, cur non posset illum producere in subiecto extraneo? Respondeo: quia sunt plura agentia, quæ, cum in se possint operari, non tamen possunt in subiecto extraneo quantumuis applicato. Tales sunt potentiæ vitales, quæ in se possunt producere suos actus, & non in subiecto extraneo: cur ergo non poterit substantia ignis esse talis naturæ, quæ calorem in se possit producere, secùs in alio subiecto: at vero alium ignem possit immediatè producere in subiecto extraneo?

25 Obijciunt quartò: calor separatus ab igne se solo producit ignem: ergo non est necessarius concursus substantiæ ignis ad producendum alium ignem. Antecedens cõstat in ferro candente præmio calore, quod stupam sibi applicatam combussit. Respondeo,

in

in casu posito non generari immediatè ignem a calore existente in ferro; sed solum ab illo produci dispositionem vltimam ad formã ignis, ad cuius exigentiam Deus vt author naturæ immediatè producit ignem in materiâ stupæ, & idem dicito in similibus casibus, quando ad præsentiam alicuius agentis accidentalis introducitur forma substantialis aliqua, & non est præsens substantia creata, à qua immediatè possit prouenire talis introductio. Obijciunt quinto: quod est proprium Dei, non est concedendum creaturis sed proprium Dei est esse immediatè operatiuum: ergo non est concedendum substantiæ creatæ. Distinguo minorem, proprũ Dei est esse immediatè operatiuum à se, & independenter ab alio, concedo: dependenter ab alio, nego minorem. Et distinguo consequens non est tribuendum substantiæ creatæ eo modo, quo est proprium Dei, concedo: alio modo, nego consequentiam.

296 Obijciunt sextò: nulla datur substantia creata, quæ possit esse idem realiter cum sua operatione: ergo neque potest dari aliqua, quæ sit idem realiter cum suâ potentia operandi. Mala consequentia. Argumentaretur ne bene, nullum datur accidens, quod sit idem realiter cum sua operatione: ergo neque, quod sit idem realiter cum sua potentia operandi? Negas hanc consequentiam ladem ratione, nego tuam etenim identificari realiter cum sua operatione est maxima actualitas, quæ concedenda non est creaturis at vero identitas realis substantiæ cum potentia operatiua est actualitas, quæ recte componitur cum aliqua potentialitate, seu imperfectione & ideo inuenitur potest in creaturâ, vt per te de facto inuenitur in accidenti.

Obiectiones desumptæ ex Arist. & S. Thoma.

297 PRæter hæc obijcitur S. Thomas 1. p. quæst. 77. art. 1. & quæst. vnica de Spiritual. creat art. 11, & quæst. vnica de Anima art. 12. vbi docet, animam rationalem (& idem docet de Angelo 1. p. quæst. 54. art. 2.) distingui realiter à suis potentijs, & probat ex eo, quod ex diuersitate actuum colligenda est diuersitas potentiarum. In primis S. Thomas in his locis non negat concursum animæ in proprias potentias. Secundo respondeo, Angelicum Doctorem in his locis solum probare animam se sola non posse elicere tam diuersos actus, sed illis addendas esse diuersas potentias pro diuersitate actuum. An vero simul cum illis concurrat anima? Non curat. Imo vt probabimus in libr. de Anima, si potentia distinguantur realiter ab anima, (de quo ibi) necessarium erit, quod hæc simul cum illis concurrat, immediatè ad eorum actus.

298 Obijcitur præterea 3. par. quæst. 77. art. 3. ad 3. vbi docet



inm tationem, quæ fit in materia ad formam substantialem, non fie iab alia forma substantiali immediatè, sed mediantibus qualitatibus · ergo sentit, ignem, v. g. non concurrere immediatè ad productionem alterius ignis; sed solùm calorem, qui est in igne producente Respondeo, S. Thomam hic solùm asserere, substantiam viam non posse generare aliam, quin prius qualitates, quæ sunt in generante, disponant subiectum in ordine ad introducendam formam geniti; non tamen negat, disposito iam subiecto, concurrere immediatè substantiam generantis ad introductionem formæ geniti.

29 Imò id videtur docere 1. part. quæst. 45. art. 5: vbi adnrobandum non posse assumi a Deo aliquam creaturam vt instrumentum ad creandum; hanc adducit rationem: *Quia causa secunda instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositiue operatur ad effectum principalis agentis.* Vbi docet, causam instrumentalem; qualis est calor respectu ignis, non concurrere ad alium ignem, qui est effectus principalis ignis, nisi præuie disponendo passum · ergo sentit, ignem immediatè oriri non à calore ignis applicati, sed ab ipso igne. Hac ratione est intelligendus quæstione vnicâ de Anima, art. 12. vbi docet, id, quod immediatè agit ex parte agentis substantialis, esse formam accidentalem; & propterea in elementis non apparere alia principia actionum nisi qualitates. Quod intellige de principijs disponentibus.

30 Tandem obijciuntur Aristot & S. Thomas asserentes, omnem actionem fieri inter contraria · sed solùm accidentia sunt contraria · ergo illa solum sunt operatiua. Secundò Aristoteles docet, ignem in quantum calidum producere ignem · ergo sentit calorem esse rationem agendi in igne. Ad primum dico, esse falsum, si intelligatur de qualibet actione, quia certum est dari actionem illuminatiuam, & nihilominus ista non versatur inter contraria, quia lux non habet contrarium. Qua propter intelligendi sunt Philosophus, & Sanctus Thomas de actione corruptiuâ; hæc enim verum est, quod versatur inter contraria, siue quæ talia sunt formaliter vt calor, & frigus, siue radicaliter, vt ignis, & aqua. Ad secundum dico, Aristotelem ibi non reduplicare rationem formalem agendi in igne; sed tantum conditionem ex parte ignis requisitam ad producendum alium ignem, quia vnus ignis non potest alium producere, nisi calor existens in illo materiam, in quâ producendus est nouus ignis si aliàs indisposita sit, prius dispo-

nat.

SE-

SECTIO. IV.

Vtrùm accidentia simul cum substantia concurrant ad productionem alterius substantiæ?

31 DIximus sectione præcedente, substantiam immediatè concurrere ad productionem alterius substantiæ. Inuestigandũ modo, an simul cum illâ concurrant etiam immediatè accidentia per eandem actionem? vt, quando vnus ignis alium producit, non solum concurrat immediatè forma ignis producentis, sed etiam calor in ipso existens, ita vt ignis productus fiat per actionem immediatè ab vtroque procedentem. P. Suar. in Meta. disp. 18. sect. 2. num. 11. & PP. Cõimb. hic cap. 7. quæst. 18. art. 2. conclus. 2. affirmant. Contraria sententia mihi magis arridet cum Scoto in 1. dist. 37 & in 2. dist. 17 & latius in 4 dist. 12. quæst. 3. quem sequuntur Ocham, Durand. & P. Hurtad. hic disp. 9 sect. 5. num. 63 & nonnulli recentiores. Pro eius probatione.

32 Noto, causam efficientem adæquatam esse illam, cui respondent omnes formalitates, quæ dantur in effectu. Tunc autem dicuntur omnes formalitates effectus respondere causæ, quando effectus non potest produci a causa taliter, vt omnia prædicata eius in virtute causæ contineantur vel formaliter, vt, quando sunt eiusdẽ speciei causa, & effectus, vel virtualiter, vt quando sunt diuersæ speciei. Vnde quando plura requiruntur ad productionẽ alicuius effectus, vt cognoscamus, an omnia sint causa, vel vnum ex illis solum, & reliquas cõditiones, indagamus, an omnes formalitates effectus, respondeant vni ex illis entitatibus, vel non? Si autem deprehendimus, omnes formalitates effectus vni entitati respondere, eam solum dicimus esse causam, reliquas vero conditiones. secus si omnes formalitates effectus non vni solum, sed pluribus vel omnibus respõdeant. Hinc est, quod, licèt requiratur approximatio ignis ad agendũ alium ignem, non dicimus, approximationem esse causam, sed tantum conditionem, vt ignis concurrat, quia omnes formalitates existentes in igne producto adæquatè respondent alteri igni. Deinde ad probãdum, species intentionales concurrere efficienter simul cum potentia cognoscitiua ad actum cognitionis, assumitur vt medium dari aliquam formalitatem in actu cognitionis ipsis speciebus respõdentem. [illegible]

33 Dices omnes formalitates, quæ sunt in effectu identificantur realiter: ergo a quacumque causa procedat vna, procedent omnes: ergo non sunt multiplicandæ causæ ex eo, quod effectus habeat has, vel illas formalitates. Fateor omnes formalitates esse idem realiter, & nullam procedere ab vlla causa, a quâ aliæ non procedant; nihilominus ex formalitatibus, quæ sunt in effectu, rectè colligimus,

mus, an sint multiplicandæ causæ efficientes, vel non: quia, cum in causa efficiente debeat contineri vel formaliter, vel virtualiter tota perfectio effectus, si in vna causa non contineatur tota, necessarium est addere aliam, vt in vtraque simul contineatur, & ab illis totam suam perfectionem participare possit effectus, & in tali casu dicetur oriri totus effectus realiter à quolibet ex illis causis inadæquatè, & ab vtraque simul adæquatè. In hoc sensu accipiēda est correspondentia formalitatum effectus respectu causæ efficiētis. His positis.

34 Probatur nostra sententia: quia ex vnâ parte ignis, v. g. petit produci ab alio igne, vt diximus sectionibus præcedentibus: ex aliâ verò parte omnes formalitates, quæ sunt in igne producto continentur in igne producente · ergo ignis producens est causa adæquata alterius ignis. Consequentia est bona, & colligitur ex præcedentibus. Antecedens patet quia hi duo ignes sunt eiusdem speciei: ergo omnia prædicata essentialia, quæ continentur in vno, continentur formaliter in alio. Differentia verò individualis vnius continetur virtualiter in alio: quia, eo ipso quod habeat virtutem ad producenda omnia prædicata essentialia, debet virtualiter continere differentiam individualem, nullam enim causam inuenies, quæ, cum contineat in sua virtute omnia essentialia prædicata alicuius effectus, indigeat consortio alterius causæ ad producendum individuum.

35 Obijcies primò · etiamsi vnus ignis habeat virtutem adæquatè productiuā alterius ignis, nihilominus, si duo ignes simul applicentur eidem passo, ambo simul concurrent per concursum indiuisibilem ad producendum ignem in illo passo: ergo, etiamsi ignis habeat adæquatam virtutem ad producendum alium, poterit nihilominùs calor cōcurrere cum illo ad productionem effectus per concursum indiuisibilem, hoc est, per eandem actionem. Nego consequentiam, etenim in primo casu id concedimus, quia aliàs nobis constat, quodlibet ex illis individuis habere virtutem adæquatè productiuam alterius ignis. Cum autem vterque hìc, & nunc simul applicetur, & sit possibilis concursus, per quem vterque indiuisibiliter concurrat, non est, cur illis negemus talem concursum, de quo infra agendum est · at in præsenti casu ex vna parte nobis constat calorem non habere virtutem adæquatam ad efficiendum ignem, quia est imperfectior illo: ex aliâ parte probauimus iam, ignem, cum quo coniungitur calor, habere virtutem adæquatam ad efficiendum alium ignem: sine fundamento ergo tribuetur calori virtus productiua ignis: imò, & contra rationem, vt constat ex notabili adducto pro probatione nostræ sententiæ. Et quidem, si talem virtutem concedamus calori, non erit fundamentum aliquod ad il ā

dele-

denegandam approximationi ipsius ignis.

36 Obijcies secundó, si accidentia non concurrerent simul cũ substantiâ, sæpe agens produceret effectum in passo, cui non est applicatum immediatè secundùm aliquam partem sui: hoc autem non posset esse, vt dicemus in lib de Gener. ergo, &c. Maior probatur: quia Sol generat metalla in visceribus terræ, quibus non est applicatus immediatè ratione sui: sed solùm ratione qualitatum, quas per medium produxit: ergo, si hæ non concurrant cum Sole ad generationẽ formæ substantialis metallorum, operabitur Sol in passo, cui non est applicatus ratione sui, neque ratione alterius, quod simul cum ipso concurrat. Respondeo, in eo casu Solem non generare immediatè metalla; sed solùm disponere materiam medijs qualitatibus in medio ab ipso productis, & dispositâ materiâ, Deum vt authorem naturę introducere formã substantialem in illâ ad exigentiã vltimæ dispositionis. Tribuitur autem Soli talis generatio, quia ipse medijs suis qualitatibus disponit materiam.

37 Ex dictis in hac sectione constat, calorem ignis non alterationc concurrere ad productionem alterius ignis, nisi disponendo subiectum per productionem graduum caloris, qui necessarij sunt in illo ad introductionem formæ substantialis. Hìc miscentur a nonnullis plura de sphæra actiuitatis de propinquitate agentis cum effectu, & passo, de similitudine, & resistentia passi, & de reactione: quæ quidem propriam sedem habent. 1. libr. de Generat. vbi ea pertractabo.

SECTIO V.

Quæ sint causæ principales, & instrumentales?

38 CErtum est primò, causam instrumentalem pertinere ad solum genus causæ efficientis, quia solùm efficiens dicitur apud philosophos vti instrumentis ad suos effectus producendos. Certum est secundo, causam instrumẽtalem inter causas creatas comprehendi: quia in communi sensu omnium inuoluit imperfectionẽ, quæ quidem cadere non potest in causam increatam. In præsenti ergo quærimus, in quo consistat ratio formalis causæ principalis, & instrumentalis? Et quidẽ rem hanc difficilem reddiderunt varia acceptiones instrumenti, quæ apud philosophos, & Theologos communiter circunferuntur eas vide apud P. Vazquez 1. p. disp. 176. cap. 5. ex his vero, quæ dicemus in hac sectione, facile nosces, quæ stricte, & proprie, & quæ laxe, & improprie instrumenta nuncupentur.

39 Suppono primo, causam principalẽ non distingui ab instrumentali ex eo, quod effectus cõmuniter attribuatur illi, sic ipse quia sacerdos est causa instrumẽtalis cõsecrationis, remissionis peccatorũ per absolutionẽ, &c. & nihilominus cõmuniter solent illi attribui

ſtri ſectus. Non absolutè dicitur concurrere, absoluere, &c. Suppono secundo, rationem causæ principalis non consistere in eo, quod virtute ſufficiente, & adæquata influat in effectum, quia intellectus agens confertur ab omnibus causa principalis ſpecies intelligibilis; & tamen non eſt causa adequata illius, ſed ſimul cum phantaſmate illam producit.

42 Suppono tertiò, causã principalem, & instrumentalem non eſſe distinguendas ex eo, quod hæc ſolum agat vt mota ab alio, illa vero ſine motione ab alio operetur. Hoc eſt contra Thomiſtas. Probatur quia in ſententia Thomiſtarũ calor eſt instrumentũ vnius actus ad actum producendum, & tamen nullam motionem ſpecialem recipit à causa principali vt præuiam ad productionẽ ignis. Deinde omnes cauſæ ſecundæ in ſententia Thomiſtarũ agunt vt motæ à Primo, & tamen plures dantur cauſæ ſecundæ, quæ operantur vt proprix cauſæ principales.

41 Suppono quartò, cauſam principalẽ, & instrumentalem non eſſe distinguendas ex eo, quod hæc producat effectum perfectiorẽ ſe, illa verò æque, vel minus perfectũ. Hoc eſt contra P. Suarez in Met. diſp. 17. ſect. 2. num. 17. Probatur. quia vt ipſe Pater fatetur num. 18 phãtaſma vt causa principalis producit ſimul cum intellectu agente ſpeciem intelligibilem, & tamen hæc, cum ſit ſpiritualis, eſt perfectior phãtaſmate materiali, & corporeo. Secundo, quia iuxta doctrinam, quam ipſe tradit tomo 1. in 3. part. diſp. 3 1. ſect. 4 & 5 vna albedo aſſumi poteſt a Deo vt inſtrumentum ad aliam pro lucendam, & tamen vna albedo non eſt perfectior alia.

42 Dicendum ergo cenſeo cũ P. Hurt. diſp. 9 ſect 13. num. 142. & recentioribus, inſtrumentũ eſſe illud, *quod cũ concurrat efficienter ad effectum, nulla ei reſpondet formalitas in effectu*. Principalis verò causa eſt, *cui omnes, vel ſaltem aliqua formalitas effectus reſpondet*. In hanc ſententiam conſentit P. Vazq 1. p. diſp. 176. cap. 3. in principio, & clarius c. 4. nu 19 & 20. Explico definitionẽ inſtrumẽti, & ex eius explicatione manebit explicata definitio cauſæ principalis. Dicitur autẽ inſtrumentũ concurrere efficiẽter ad effectũ, reſpectu cuius dicitur cauſa inſtrumentalis: quia ſi non habeat cõcurſum aliquem, non erit cauſa. Talis verò concurſus debet eſſe in genere cauſæ efficiẽtis quia in hoc tantũ genere dantur inſtrumenta in conſenſu omniũ. Additur, *cui nulla formalitas reſpondet in effectu* tunc autẽ dicitur aliqua formalitas effectus reſpondere cauſæ, quãdo effectus ratione alicuius prædicati petit, talẽ cauſam immediatè concurrere efficiẽter ad ipſius productionem. Neq, eſt neceſſarium, quod petat ab hac determinatâ cauſâ procedere, ſed ſufficit, quod petat hãc vel aliã vage. Vnde prædicata caloris reſpondent tãm luci, quam alteri calori, quia ab vtroque ſufficienter poteſt produci.

43 Eſt

43 Et ergo necessarium ad rationem instrumenti, quòd nulla formalitas effectus ibi respondeat quæ, si aliqua illi responderet, nõ esset cum non foret causa principalis. Rem explicemus in actu supernaturalis amoris, quo Deum amamus, qui quidem est vitalis, & supernaturalis. Ratione vitalitatis respõdet nostræ voluntati. Ratione vero supernaturalitatis respõdet habitui supernaturali charitatis, & tam necessaria est voluntas, vt producatur iste actus vitalis, quam habitus supernaturalis charitatis, vt producatur idem actus supernaturalis: ergo nõ est ratio, cur habitus dicatur potiùs causa principalis, quam voluntas. Confirmatur quia, licèt voluntas in hoc casu concurrat ad producendum actum supernaturalem, qui est superioris ordinis, nihilominus concurrit vt domina ipsius actus, quæ potest se determinare, vel non determinare ad illum pro suo libito ergo non se habet vt instrumentum, quia hoc iuxta communem existimationem ita subditur causæ principali; vt nõ habeat dominium operationis ipsius causæ principalis, sed eam sequatur, & quasi obtẽperet ad ipsam operationem.

44 Ex his fit, 1. instrumentũ naturalis ordinis (naturalis ordinis voco illud, quo vtitur causa principalis naturalis ordinis ad suos cõnaturales effectus, seu proprios pro lucendos) non aliter cõcurrere ad effectum principalem, nisi præparando, & disponendo subiectum ipsum effectum. Ratio est quia vere est, & ex natura sua ab illo immediate orti, vel non. Si primum, respondebit illi aliqua formalitas effectus, & ideo erit causa principalis inadæquata. Si secundum non concurret ex natura rei immediate ad eius productionem, ac per consequens si concurrit, solum concurret disponendo, & præparando subiectum.

45 Fit secundo, instrumentũ artificiale vere, & proprie participare rationem instrumenti respecta formæ artificialis, cuius causa principalis est artifex Est ergo artifex causa principalis, quia ipse taliter dirigit, & coordinat partes suæ materiæ, vt ex eis resultet forma artificialis: instrumentum vero est proprie causa instrumentalis, quia concurrit ad materiam præparandam, & disponendam ea ratione, quæ necessaria est, vt ex materia opus artificiale compingatur quod quidem non aliter peragit instrumentum, nisi removendo prohibentia, & applicando ea, quæ necessaria sunt ad hoc, vt opus euadat artificiosum. Id autem facile videri potest in instrumentis pictoris, fabri lignarij, &c.

46 Fit tertiò, quando causæ secundæ dicuntur assumi à Deo vt instrumenta ad proprios, & connaturales effectus earum producendos, vt ignis ad producendam aliam ignem, &c. Iuxe est accipiendam eam locutionem, quod etiam intellige de phantasmate, dum

dum à S. Thoma dicitur assumi vt instrumentum ad productionem speciei intelligibilis. Ratio est: quia istis propriè conuenit ratio causæ principalis, vt constat ex dictis.

43 Obijcies, vt probes, voluntatem concurrere vt instrumẽtum ad actum supernaturalẽ charitatis: voluntas eleuatur ab habitu charitatis ad productionem actus supernaturalis: ergo cõcurrit vt instrumentũ ad talem actũ. Consequentia videtur bona: quia hoc, quod est eleuari, solùm attribuitur instrumento. Antecedens probatur: quia illud dicitur eleuari, quod assumitur ad effectum superioris ordinis. Distinguo antecedens: voluntas eleuatur ad actũ supernaturalem, in quo aliqua illi formalitas respondet, concedo: in quo nulla illi formalitas respondet, nego antecedens. Et deinde nego consequentiam: nam, licet, quod est instrumentum, semper dicatur eleuari; attamen nõ omne, quod eleuatur, est instrumentum.

SECTIO. VI.

An quælibet res possit assumi à Deo ad quamlibet aliam immediate producendam?

48 QVæstio procedit de potentiâ absolutâ Dei, an videlicet fieri possit supernaturaliter, quod quælibet res immediatè cõcurrat ad quamuis aliam producendam? Communiter dici solet, rem taliter concurrentem fore instrumentum. In meâ tamen sententiâ non dicenda esset instrumẽtum (si propriè loquendum sit) sed causa principalis inadæquata, vt colligi potest tũ ex dictis sect. præcedente, tum ex dicendis in hâc sectione. In præsenti ergo quæstione P. Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 9. sect. 1. & 2. affirmatiuam partem tuetur, subscribit P. Hurt. hìc disp. 9. sect. 14. num. 177. Probat 1. quia materia potest de potẽtia Dei recipere formam supernaturalem, vt est vnio hypostatica, &c. ergo potest etiam assumi ad illam efficiendam. Si autem potest materia, poterit, & alia quæuis entitas. Consequentiam probat: quia difficilius est, rem inferioris ordinis recipere aliam superioris, quã illam efficere: vnde, si primum potest fieri de potentiâ Dei, poterit & secundum. Secundò, quia intellectus noster potest assumi ad producendam intellectionem supernaturalem. ergo & quæuis res ad quamuis aliam efficiendam.

49 Contrariam sententiã amplector cum P. Vazq. tom. 1. in 1. p. disp. 176. cap. 4. Pro eius tamen declaratione, & probatione. Pono 1. ad hoc, vt vna res possit assumi ad aliam producendam, necessariũ esse, quod per suam entitatẽ habeat virtutem intrinsecã saltem inchoatam productricem talis effectus. Ratio est: quia, quãdo calor, v. g. assumeretur immediate ad producendam gratiam, Angelum, &c. vel concurreret per suam entitatem ad talem productionẽ; vel per aliquid superadditũ. Si hoc secũdum: illud superadditũ esset, quod

quod haberet rationem causæ respectu talis effectus; non calor. Si dicatur primum, ergo concursus ille oriretur immediate ab entitate caloris: ergo contineretur immediate in illa: ergo entitas caloris haberet virtutum saltem in adæquatam, seu inchoatam ad producendum talem effectum.

60 Pono 2. de facto dari in aliquibus entitatibus naturalis ordinis virtutem inchoatam, seu inadæquatam ad efficiendos aliquos effectus supernaturales: quia voluntas nostra concurrit efficiēter ad actum supernaturalem charitatis: ergo habet virtutem effectiuam illius. Consequentia est bona, vt constat ex nu. præcedente. Antecedens probatur: tum quia ille actus est vitalis, & propterea oriri debet efficienter à voluntate, quæ est principium vitale: tum etiā quia ille actus est meritorius, & Concilium Tridentin. sess. 6. can. 4. damnat asserentes, liberum arbitrium nihil omnino agere; sed mere passiue se habere, circa actus videlicet meritorios: tū denique quia, cū voluntas libere amet Deum per talem actū, vt est Fide sanctū, debet esse in eius potestate illū habere, vel non habere. si autē actus efficienter procederet à solo Deo, vel ab habitu charitatis, & nō ab ipsâ volūtate, non esset in potestate illius talem actū habere, vel nō habere, sed illū necessario reciperet quotiescunque Deus, vel habitus ipsum actū in illâ efficere et. His positis.

61 Dico 1. de facto nullum est fundamentum ad asserendum, quālibet entitatem posse assumi a Deo ad quamuis aliam immediate producendam. Hæc est P. Vazq. Probatur: quia ad hoc, vt quæuis entitas assumi posset ad omnes effectus, necessarium esset, quod haberet virtutem intrinsecam saltem inchoatam ad illos producendos, vt constat ex supra dictis: sed de facto nullum est fundamentum ad asserendam talem virtutem in qualibet re: ergo, &c. Minorem probo: quia, si aliquod esset, maxime adducta pro contraria sententia: hæc autem nulla sunt; quia ex eo, quod vna res habeat virtutem intrinsecam naturalem adæquatā, vel inadæquatā ad recipiendū aliquem effectum, non recte infertur habere virtutem naturalem ad illum efficiendum: neque ex eo, quod vna entitas habeat virtutem naturalem ad efficiendum aliquē effectum naturalem, recte infertur quamlibet aliam habere talē virtutem: ergo ex eo, quod entitas aliqua habeat virtutem intrinsecā ad recipiendum aliquem effectum supernaturalem, nō recte infertur habere virtutem ad illum efficiendū: neque ex eo, quod vna entitas naturalis habeat virtutem intrinsecam inchoatam ad efficiendum aliquem effectum supernaturalē, recte infertur, quamlibet aliam habere talem virtutem. Consequentia patet: quia, si vna res potest habere virtutem intrinsecam naturalem adæquatam, vel inadæquatam ad effectum naturalem, quem non possit producere

quæ-

qui æuis alia, cur non poterit vna res naturalis habere virtutem inchoatam ad effectum supernaturalem, quem non possit attingere quæuis alia?

52 Dico secundò: verosimilius est, non posse quamlibet rem de facto assumi à Deo ad quamuis aliam producẽdam. Est P. Vazq. sup. Probatur: quia, vt de facto assumeretur, necessarium esset, quod de facto haberet virtutem saltem inchoatam ad producendos quoslibet effectus: sed verosimilius est, non dari talem virtutẽ in quauis re ergo, &c. Minorem probo: quia inter res naturales non quęuis habet virtutem naturalem ad quoslibet effectus naturales; sed vna habet determinatam virtutem ad aliquos effectus; & alia ad alios: ergo idem continget in nostro casu, nempe quod non quæuis entitas habeat virtutem inchoatam ad quoslibet effectus supernaturaliter producendos; sed vna ad hos, & alia ad alios, &c. Et ratio à priori est, quia, cum quæuis creata virtus sit finita & limitata, nõ debet extendi ad quoscunque effectus, sed ad aliquos tantum.

53 Secundo: quia, si quæuis res haberet virtutem inchoatam ad quamuis aliam producendam, non esset, cur calor de facto sæpe non concurreret ad producendum frigus, & lapis ad producendum ignem, &c. quia sæpe calor est applicatus passo, in quo de facto producitur frigus ab alio frigore: dum ergo calor habet virtutem inchoatam per se ad frigus producendum: quare ergo virtus illius non cõplebitur de facto per agens frigidum ad hoc, vt simul cum illo producat frigiditatem?

54 Dices: frigus ex naturâ suâ potest produci a frigore, & nõ à calore; & ideo naturaliter non potest ab illo produci. Sed cõtrà: in primis frigus ex naturâ suâ non magis potest produci à frigore, quam à quacunque aliâ causa habente virtutem ad illum producẽdum: vnde, si calor habeat talem virtutem, non erit contra naturã frigoris ab illo produci. Secũdo; licet id esset cõtra naturam frigoris; nihilominùs si calor haberet virtutem intrinsecam ad frigus producendum, nõ esse, cur naturaliter, hoc est, sine miraculo non posset ab illo produci. quia, licèt sit cõtra naturam lapidis moueri sursum, nihilominus si naturaliter applicetur causa habens virtutem intrinsecam ad causandum talem motum in lapide, illũ causabit sine vllo miraculo, vt cõstat experientiâ ergo, licèt sit cõtra naturam frigoris produci à calore, si tamen calor habeat virtutem intrinsecam ad illud producendum, & naturaliter applicetur passo (vt potest de facto) cum alio agente, quod possit virtutem caloris complere, non erit, cur non concurrat sine miraculo cum illo ad producendum frigus.

SE-

SECTIO. VII.

An aliqua entitas possit assumi à Deo ad se ipsam physice efficiendam?

55 PRobauimus sectione præcedenti, nó posse quanuis rem assumi ad quanuis aliam efficiendam. Restat nunc explicare; an sit aliqua, quæ de potentia Dei absoluta possit assumi ad sui effectionem tanquam principium efficiens physice in se ipsam influens. Et quidem res aliqua produci potest vel per vnam totalem actionem solùm; vel per duas totales simul, quarum quælibet per se esset sufficiens, adhùc aliâ deficiéte, ad rem ipsam producendam. In vtroque casu agitatur præsens difficultas.

56 Dico primó: nulla res potest assumi à Deo, ad se ipsam efficiendam, quando per vnam solam actionem efficitur. Ita P. Vazq. P. Hurt & P. Suar. infra referendi. Probatur: quia quæuis causa prioritate reali naturæ supponitur existens: ante causalitatem, per quam causat suum effectum, vt constat ex disput. 10. num. 18. sed nulla res creata potest præsupponi existens in genere causæ efficiétis ante actionem, per quam efficitur: ergo neq, potest efficiéter cócurrere ad actionẽ, per quã efficitur. Minorem probo: quia non potest res in genere causæ efficientis supponi existens ante id, per quod efficienter fit existens, quia, si iam supponitur existens efficiéter, qua ratione fieri poterit per illud existens? sed efficiéter fit res existens per actionem, per quam producitur: ergo non potest supponi in genere causæ efficientis ante ipsam actionem: ergo neque ad illam efficienter concurrere. Hæc conclusio est vera non solùm respectu primi instantis, in quo res producitur; sed etiam respectu temporis sequentis, in quo conseruatur, de vtroque enim probat ratio facta.

57 Dico secundò; adhuc positâ primâ actione, per quam res producitur, non potest assumi ad se ipsam effitiẽdam per aliã actionem siue in primo instanti productionis, siue in tempore conseruationis. Hæc conclusio est contra P. Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 50. sect. 4. prope finem: eam tenet P. Vazq. tom. 3. in 3. par. disp. 181 cap. 7. à n. 88. & P. Hurt. in Phys. dis. 6. sect. 13. Probatur: quia quæuis causa est prior naturâ realiter suo effectu, vt nemo non cõcedit, siue illa producatur per vnam causalitatem siue per duas: sed vna, & eadem res non potest realiter esse prior naturâ se ipsâ: ergo neque causa sui ipsius siue per primam, siue per secundam actionem. Minorem probo: quia prioritas, & posterioritas realis non potest dari nisi inter extrema realiter distincta: sed vna, & eadem realis entitas, siue producatur per vnam, siue per duas causalitates, non potest esse realiter distincta à se ipsâ. ergo neque realiter prior naturâ se ipsâ. Confirmatur: quia vnio realis non potest dari, nisi inter extrema realiter inter se distincta, neque

que receptio, seu informatio realis, nisi inter formam, & subiectum realiter interse distincta: albedo namque non potest se ipsam realiter informare; neq; materia se ipsam realiter recipere: ergo neque prioritas naturæ realis potest dari nisi inter extrema distincta realiter.

58 Dices. vna entitas prout producta per vnam causalitatẽ distinguitur realiter à se ipsâ prout producta per secundam, quia prima, & secunda causalitas realiter distinguũtur. Ex quo fit, vnam, & eandẽ entitatem prout productã per primã causalitatem posse esse realiter priorem se ipsâ prout producta per secundam causalitatẽ, ac per consequens posse esse causam sui ipsius secundũ hanc rationẽ. Vnũ velim animaduertas, nempe, causam non solum esse priorẽ naturâ causalitate, seu cõcreto resultãte ex ipsâ causalitate, & effectu; sed etiam esse priorẽ ipsâ entitate effectus secũdùm se: quia causa est prior natura illo, quod habet existentiã ab ipsâ causâ: atqui non solùm causalitas seu concretũ resultans ex causalitate, & effectu habet existentiam à causâ; sed etiam ipsa entitas effectus secundũ se: ergo causa nõ solũ est naturâ prior causalitate, & cõcreto prædicto; sed etiam entitate effectus.

59 Vnde hoc versatur discrimen inter hoc, quod est esse *calidũ*, & hoc quod est esse *productũ*, quod *calidum* est, & dicitur totum illud resultans ex calore, & subiecto, ita vt subiectum secũdùm suã entitatem non sit reuerà calidũ; sed solũ dicatur habere caloreẽ, vt ex illo, & calore habito resultet calidum tanquam vnum compositum ex illis. At vero *productũ* non solum est concretum resultans ex productione, & termino; sed etiã ipse terminus secundum suam entitatem est reuerà productus propter rationem suprà traditam. Ex quo fit, denominationẽ producti non prouenire à productione tanquàm à formâ mere exercente rationem formæ circa terminũ productum, sed tanquàm a causalitate; & viâ, mediâ quâ ipsa entitas effectus oritur, & fit existens à suâ causâ. Ex his ergo colliges, entitatem prout productam per primã causalitatem, non posse esse prius naturâ se ipsâ prout productã per secundam, quin etiam sit prior suâ ipsius entitate: cũ autẽ repugnet, esse naturâ priorẽ suâ entitate secundũ se, repugnabit etiam, quod sit prior secundâ illâ causalitate. Omitto aliam rationem, quam adducit P. Hurt. suprâ, quia Theologica est.

SECTIO. VIII.

An forma materialis, & eius vnio cum materia producantur per eandem actionem?

60 ADidẽ agens, ad quod pertinet formam materialem educere ex potentiâ materiæ, pertinet etiã vnionẽ eiusdem formæ producere, vt communiter concedunt authores. Quærimus modo; an id peragat mediâ vnâ actione; vel duplici? P. Suar. in Met. disp. 15 sect. 4. n. 3. & disp. 48. sect. 3. n. 11

P. Rub.

p Rub. 1. de Gen. tract. 1. quæst. 3 n. 39. aiunt, vtranquè produci per eandem actionem. Probari potest hæc sententia: quia forma educibilis, & eius vnio ita sunt cõnexæ, vt vna sine aliâ produci nequeat ex natura rei: cur ergo non dicemus, produci per eandem actionẽ. Hæc opinio est valde probabilis.

61 Nihilominus cõtraria mihi est probabilior, eã tenent Duran in 2. dist. 1. quæst. 5. ad vlti. & Niphus lib. 7. disp. 4. ac multi recentiores. Probatur primó: quia vnio est terminus, & complementum existentiæ formæ substantialis, vt cõstat ex dictis disp. 5. sect. 2. ergo supponit illam existentem: sed, si producerentur per eandem actionem, non posset vnio supponere formam existentem: sed simul veraque existeret, si quidem simul fieret: ergo non producuntur per eandem actionem. Prima consequentia probatur: quia quod completur, & terminat aliud, quasi advenit illi sub eâ ratione, sub quâ illud complet: illud autem quod advenit alteri, supponit illud.

62 Secundò probatur: quia, licèt vltima dispositio ad formã aliquã produci nequeat, quin in eodem tempore producatur ipsa forma, neque pars cõtinui possit produci, quin simul producatur indiuisibile terminatiuũ, seu continuatiuũ illius partis cũ alia, nihilominus hæ producuntur per diuersas actiones, vt concedunt omnes: ergo, licèt forma materialis produci non possit ex naturâ rei, quin in eodẽ tempore producatur vnio, producẽtur nihilominus per diuersas actiones. Ex hoc constat ad rationem adductam pro contrariâ sententiâ.

63 Obijcit P. Suar. 1. formæ materiales fiunt per actionẽ, per quã materia influit in ipsas vt causa materialis: sed materia non influit in formã, nisi vnitã: ergo per eandẽ actionẽ, per quam influit in formã, influit in vnionẽ. Nego minorẽ quia prius est, quod materia influat in entitatẽ formæ, & deinde influit in vnionem. Instat: eductio, & creatio sunt actiones specie distinctæ: ergo debent habere terminos specie distinctos: sed, si vnio nó educatur per eãdẽ actionẽ, per quã educitur forma materialis, sæpe continget, quod creatio, & eductio non habeant terminos specie distinctos: ergo, &c. Minor cõstat in quãtitate Eucharisticâ, quæ ante consecrationẽ educitur ex materiâ panis; post cõsecrationẽ verò creatur: ergo, quando educebatur, aliquid habebat, ratione cuius, esset terminus eductionis specie diuersus à se ipsâ, quã do terminat creationẽ. Id antẽ nõ potest esse aliud, nisi vnio: ergo &c. Concedo primum antecedens, & nego consequẽtiam: quia ad hoc, vt eductio, & creatio distinguãtur specie adhuc circa eundẽ terminũ, sufficit, quód vna producat illum dependenter à subiecto; alia verò independenter.

64 Obijcit secundò P. Rub. formæ materiales fiunt inhærentes materiæ per actionem, per quã educuntur ex potentiâ ipsius mate-

materiæ sed nõ inhærent nisi per vnionem: ergo per eandem actionem, per quam educũtur, fit vnio. Respondeo, inhærentiam formæ materialis coalescere ex eductione ipsius formę, & vnione eiusdem cum subiecto · adueniente vero vnione completur inhærentia, ex quo non sequitur, vnionem producendam esse per eandem actionẽ, ac formam, sed tantum non fore inhærentem formam complete, si post eductionem ipsius non succedat eductio vnionis.

65 Obijcies 3. non repugnat formam, & vnionem produci per eandem actionem · ergo de facto producetur. Antecedens probatur quia nõ repugnat, duos ignes, quorum quilibet seorsim sufficeret ad producendum alium tertiũ, producere illum per cõcursum indiuisibilem, si simul applicentur: ergo, licèt vnio, & forma sint tales, quę, si seorsim producerentur, terminarent diuersas actiones; tamen si in eodem tempore producantur, terminare poterunt eandem. Nego primum antecedens. Ad probationem, concesso antecedente, nego cõsequentiã. Disparitas est: quia cuilibet ex illis ignibus applicatis debetur concursus in passum; cũ autẽ nõ possint ambo habere diuersas actiones circa eũ tẽ effectũ, quia vna ex illis superflueret, vt dicemus disp. 18. sect. 2. debetur illis vna indiuisibiliter ab vtroque procedẽs: at verò forma, & vnio possunt, & debent produci per diuersas actiones, vt constat ex dictis pro nostra conclusione.

DISPVTATIO XIIII.

De causa Prima.

SECTIO. I.

Statuitur causa Prima, à qua omnes secundæ fuere, & conseruantur.

NOn solum sanctũ est Fide, dari vnum Primum ens, omnino independens in suo esse ab alio, & summa perfectione pollens; sed etiam naturali lumine adeò notum, vt vel ipsi philosophi, quibus fidei lumen non illuxit, non parum mirati fuerint eos, qui belluina feritate id ausi sint negare. Vide authorem libri de Mundo ad Alexandrum; Platonem in Timæo, Senecam libr. de Consol. Cicer. libr. de Natura Deorum, Arist. lib. 8. Phys. & 12. Metaph. Propterea D. Paulus ad Romanos 1. ait, inexcusabiles esse philosophos antiquos: quia, cũ eni ẽtiã habuerint Diuinitatis, & attributorum Dei, eum non glorificauerunt vt Deũ. Vide P. Suar. in Meta. disp. 29. sibi rem hanc doctissime, vt assolet, & eruditissime pertractat.

2 Hoc Primum & perfectissimum ens esse causam omnium causarum creatarum docet catholica Fides: Ioannes 1. *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil* · & in symbolo Niceno dicitur *Deum factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium.*

Idem

Idem offenditur manifesta ratione. Sit prima, quam adducit Aristot. hoc lib. 2. cap. 4. text. 44. & 45. iuxta diuisionē PP. Conn. vbi merito miratur Philosophus, quod, cū omnes fateri cogamur, omnes effectus, quos vel natura, vel arte effici conspicimus, non fieri casu, sed magno consilio, & arte, nihilominus fuerint aliqui adeo stolidi, qui putauerint, cælos, elementa, & reliqua, ex quibus hæc mundi machina cōpingitur, casu facta esse, & non ab aliquo supremo artifice, in quo mira inueniatur sapientia, & eximia virtus.

3 Secundò probatur: quia in tota collectione rerum creatarum nihil cōtinetur, quod non sit ab alio. ergo debet dari extra hanc collectionē aliquid, aquo sint omnia, quæ in ea continētur. Patet consequentia: quia in hāc collectione non potest dari vnum, quod sit causa totius collectionis; alioqui esset causa sui ipsius. Si autem detur vnum, quod sit causa cæterorum; vel hoc vnum est a se, vel non. Si primum: iam erit extra collectionē causarum creatarum, & erit Deus. Si secundū, non potest esse ab alio illius collectionis; quia esset effectus sui effectus. ergo debet esse ab aliquo, quod sit extra collectionem illam. Hunc autem dicimus esse *Deum*, qui quidem erit causa immediata illius effectus, & mediata saltem cæterorū. Ex quo sequitur, Deum esse causam primam creaturarum. tum quia est, aquo primo pendent; tum etiam quia ipse non est ab alio; alioqui ipse esset etiam creatura, ac per cōsequens non esset extra collectionem creaturarum.

4 Posset infidelis aliquis rēspondere, totā collectionē creatarum causarum esse infinitam, ita vt nulla sit, quæ non fit ab alia, & illa ab alia in infinitum absq; eo, quod vnquam peruenīri possit ad vltimam. Sed contrà: licèt in causis creatis daretur processus in infinitum, nihilominus tota hæc collectio infinita esset ab alio: ergo extra totam collectionē deberet dari aliqua causa, aqua esset. & sic redit argumentum suprà factum. Antecedens videtur certum: quia tu fateris, hanc infinitam collectionē esse rerum creatarum: ergo nihil est in illâ, quod non habeat esse ab alio: ergo extra illam datur aliud ens, aquo omnes entitates, vel saltē vna ex illis prodeat: ergo, &c.

5 Restat explicare: an ea, quę prima causa produxit, non solum ab ipsa pendeant quoad primam sui productionem; sed etiā quoad conseruationē, ita vt sicut à *Deo* fuerunt primo producta, sic etiam ab ipso conseruentur? Et quidem de facto ab illo cōseruari non obscurè docet sacra pagina Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Super quæ verba hæc habet Augustinus lib. 5. Genes. cap. 20. *Sic credamus, vel, si possimus etiam intelligamus, vsq; nunc ita operari Deū, vt, si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant.* Deinde Sa-

pient. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod ate vocatum non esset, conseruaretur?* Adde Anselm. in Monol. cap. 1. vbi ait: *Sicut nihil factum est, nisi per creatricem præsentem essentiam, ita nihil vigeŕ nisi per eius conseruatricem potentiam.* Videatur P. Suar. in Meta. disput. 21. sect. 1. num. 4. & 5.

6 Probatur ratione primò quia omnes creatæ causæ in primâ sui productione dependẽt à Deo, vt iam vidimus: ergo & in conseruatione. Probo consequentiam quia ideo causæ creatæ pendent à Deo in prima sui productione, quia per suam essentiam sunt entia per participationem ab aliâ causâ sed, dum conseruantur permanet eadem essentia: ergo permanet eadem dependentia à Deo. Hoc modo est expendenda ratio adducta à S. Thom. 1. par. q. 104. art. 1 Dices: dato quod creatura habeat semel suum esse à Deo, perseuerabit in illa, si denuo nõ auferatur ipsi positiue: ergo superflue adhibetur actio positiua, per quam à Deo conseruetur. Sed contra est, quod, cum actio Dei in primâ rei productione necessaria sit, quia essentia creaturæ: vtpotè ens per participationem ab alio eam exigit, & hęc essentia perseueret eadem, toto tempore, quo durat, necessarium etiam erit, quod perseueret actio, perquam in primo instanti producta fuit, quę quidem actio non producet sæpius esse creatum, sed primo productum seruabit in esse.

7 Secundò probatur eadem veritas quia sicut Deus libere creauit omnia, sic etiam libere ea conseruat, impium enim, & blasphemum esset dicere, Deum, postquã rem semel produxit, non posse eam pro libito destruere atqui, si creaturæ non dependerent à Deo in conseruari, sæpe non posset rem semel productam destruere ergo, &c. Minorẽ probo: quia in primis non posset illam destruere per substractionem concursus, cum illam non conseruaret: neque per actionem positiuam; vel enim hæc immediate terminaretur ad destructionem rei corrumpendæ, & hoc non quia positiua actio est positiua productio, & non datur positiua productio destructionis, cum hæc sit negatio; vel terminaretur ad aliquid producendum, ex vi cuius desineret esse res corrumpenda, & neque hoc potest dici, tum quia plura dantur, quæ nullum habent contrarium, ex vi cuius destrui possint, vt, Angelus, anima rationalis, & materia prima; tum quia, etiamsi res habeat contrarium, non alio modo desinit ex vi contrarij, nisi quatenus hoc exigit, quod conseruãs desistat à conseruatione alterius: sed si non detur conseruans, contrarium non poterit id exigere. ergo, &c.

8 Obijcies: ad omnipotentiam Dei pertinet posse producere effectus, qui postquàm facti sunt, in

in suo esse permanent, etiamsi agentis operatio cesset; sicut ad perfectionem artificis creati pertinet talem fabricare domum, quę ipso absente perseuerare possit: imo Deum dedecet occupatũ esse in entitatibus adeò imperfectis cõseruandis, quales sunt pulices, putredines, &c. ergo non est, cur negemus, ista posse conseruari sine actuali concursu Dei.

9 Respondeo, maiorem arguere potentiã in Deo nihil conseruari posse in rerum naturâ, nisi ipso conseruante, vt constat tum ex dictis in hac sectione, tum ex dicendis sectione sequente. Id autem quod adducitur de artifice creato, nullius est momenti: quia duo requirit artifex creatus, vt sua opera efficiat. Primũ, quod materia, circa quam operatur supponatur facta, & conseruata ab alio. Secundum, quod materiam taliter disponat, vt opus artificiosum resultet. Supposito ergo primo, quod arguit imperfectionem in artifice creato; maior erit perfectio, ita res disponere, vt remoto artifice firmum perseueret artificium, quam, si semper necessaria esset assistentia, & operatio eius. At vero Deus, cum non egeat alio conseruante, vt ipse possit res disponere, necessarium est, quod ipse eas conseruet quandoquidem talis sunt naturæ, quæ persistere nõ possint, nisi ab alio conseruentur. Neque Deum dedecet minimas, & imperfectas entitates conseruare, sicut neque ipsum dedecet imperfecta cognoscere, & cuique loco etiam immundo præsentem necessario esse; sed potius maximam in Deo arguit perfectionem.

10 Rogas: an Deus creata, quę solus produxit cõseruet per eandẽ actionẽ, perquã primò produxit? Respondeo affirmatiue, quando ipse solus conseruat, quod solus produxit. quia sicut, per conservationẽ non producitur nouum esse rei, sed perseuerat id, quod primo fuit productum, ita etiam non est necessarium, quod detur alia noua actio; sed quod perseueret illa, perquã res fuit primò producta. Vnde in eo casu conseruatio solũ distinguitur à primâ productione per denominationẽ extrinsecam: actio enim dicitur prima productio, si res, ad quã terminatur, non existebat antea, conseruatio verò dicitur, si immediate antea existebat res, ad quã terminatur. Si autẽ rem, quã Deus solus produxit, conseruet in cõsortio alterius causæ; vel e contrà, rem, quam in consortio alterius causæ produxit, solus conseruet, non erit eadem actio prima productio, & cõseruatio: quia, cũ actio sit modus agentis adęquati, si varietur agẽs, necessarium est variari actionem.

SECTIO. II.

An causa prima concurrat immediate cum secundis ad omnes ipsarum effectus.

11 EVicimus sectione præcedente, causas creatas dependere immediatè à Deo in prima sui productione, & conseruatione

tione. Inuestigandum modo : an Deus præter primâ causarum productionem, & earum conseruationem nouum aliun concursum habeat necessario requisitum immediatè circa effectus ipsarũ causarũ secundarum? Prima sententia negat Ita Durand. in 2 dist. 1. q 5. & list 37 quæst 1 Præcipua probatio est quia, si Deus concurreret immediate cũ causis secundis ad illarum effectus, concurreret etiã immediate cum agentibus liberis ad actus peccaminosos, & ideo esset author peccati, quod procul esse debet à summâ illâ bonitate. Secunda sententia, licèt fateatur, de facto Deum immediate concurrere cum causis secundis ad ipsarum effectus, asserit tamen posse cõtingere, quod immediate non concurrat physice, sed moraliter tantum, decernendo videlicèt, seu imperando, quòd creatura se solâ concurrat Ita P. Hurt. hìc disp. 10. sect. 2. num. 33

12 Vera sententia asserit; Deum immediate ita concurrere cum causis secundis ad ipsarum effectus, vt nullâ ratione operari possint, sine immediato Dei concursu. Hanc sententiam amplectuntur omnes Scholastici vt Catholicum dogma; vt constat ex S Thom. 1. part. quæst. 105. art. 5 & 1. 2. quæst. 109. & lib 3. cõtra Gent. cap. 7. & plurib. alijs, quos refert P. Suar. in Meta disput. 22. sect. 1. n. 6. & 7. Eandem tuetur P. Molin. 1. par. quæst. 14. art. 3. disput. 6. P Vazqu. 1. 2. quæst. 79. art. 2. & disput. 129. cap. 3. P. Toletus hic cap. 3. quæst 8. conclus. 4. quos sequitur recentiorũ numerosa manus. Pro maiori ergo claritate.

13 Dico primò : Deus præter concursum, quo conseruat causas secundas, alium habet immediatum circa quoslibet earum effectus. Hæc est contra Durand. cuius placitum male audit apud Catholicos Doctores. Probatur ex Scriptura, & Patribus; quia Lucæ 12. dicitur *Si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos pusillæ fidei?* Vbi ex peculiari prouidentia, quam Deus habet circa vestitum fœni colligitur, potiori ratione habiturũ prouidentiam specialem, circa ea, quę necessaria sunt hominibus iustis. Si autem Deus non immediate concurreret ad effectus causarum secundarum, sed solùm ad ipsas causas, nulla in hoc eluceret specialis prouidentia Dei, sed causas ab ipso semel productas sequerentur necessario tales effectus.

14 Deinde prima ad Corinth. cap. 3. ait D Paulus · *Neque qui plãtat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* & c. 15. vers. 37. dicit, agricolam nudũ granũ seminare, Deũ autem dare vnicuiq, seminũ propriũ corpus, prout vult. Si autẽ Deus immediate non concurreret ad procreationẽ, & incremẽtũ plantarũ, quâ ratione diceretur dare illis corpus, prout vult, & conducere ad incrementum plantarũ magis, quam

quam agricola, qui planta? Imo agricolæ essent tribuendi tales effectus potiùs, quam Deo: quia Deus solùm concurreret ad conseruandas causas, quas, vbicunq; essent, conseruaret vt author naturæ; at verò agricola ipsas causas disponit, & aplicat eo modo, quo specialiter requiruntur ad causandos tales effectus: ergo quod hâc, vel illâ ratione prodirẽt potiori iure tribuendũ esset agricolæ, quam Deo. Alia omitto, quæ adducit P. Suar. loco citato.

15 Prædicta loca scripturæ; & alia similia in hunc sensum explicat Augustin. libr. 4. de Genes. ad litteram cap. 12. & lib. 5. capit. 20. & lib. 9. cap. 15. & epist. 46. ad Cõsentium, vbi ex professo probat, Deum immediate concurrere ad omnes effectus causarum secundarum. Deinde Prosper sentent. 281. Gregor. lib. 16. Moral. cap. 18. & reliqui PP. vbicunq; tractant de Diuina prouidentia, hanc veritatem vt certissimã supponunt. Et quidem cum verba Scripturæ suprà adducta hunc sensum præseferant in significatione propria, non sunt aliter explicanda; quia iuxta regulam D. Augustin. ab omnibus ad missam, verba Scripturæ sacræ sẽper sunt accipienda in significatione propria nisi aliud suadeat ratio, vel communis Patrum interpretatio. In præsenti autẽ neq; ratio, neq; Patrum interpretatio aliud suadent sensum, nisi illum, quẽ dedimus. Hæc conclusio probabitur etiam ratione adducenda pro secunda conclusione.

16 Dico secundò: nullus effectus potest oriri à causâ creatâ, quin Deus ad illum immediate cõcurrat per influxum physicũ. Hæc conclusio est contra P. Hurt. & in eam consentiunt authores suprà relati. Probatur: quia in Deo datur potentia physice productiua omnium creaturarum, quæ est omnipotentia, quia extenditur ad omnia, quæ in se non implicant contradictionẽ: ergo nulla creatura est possibilis, quæ nõ sit physice producibilis à Deo; alioqui iam non omnia posset Deus: sed, si causa secunda, ignis, v. g. aliam ignem se solo produceret, actio, per quam illum produceret, non esset physice producibilis à Deo: ergo potentia eius physica nõ extenderetur ad omnia possibilia. Minorem probo: quia non esset producibilis à Deo per se ipsam immediate; nã, cum sit actio solius ignis, vt supponis, ab eo solùm prodiret per se ipsam immediate; neque posset oriri à Deo per actionem superadditam, quia in communi sententiâ, quam admittit P. Hurt. vna actio non potest adhuc supernaturaliter produci per aliam actionem.

17 Secundò, dato, quòd posset vna actio supernaturaliter produci per aliam actionem, adhuc esset falsa opposita sententia: quia Deus, vt est author naturæ, debet continere in suâ virtute physice productiua rerũ naturalium omnes entitates naturalis

lis ordinis; alioqui limitem haberet in suâ serie talis virtus productiua; cum non extenderetur ad omnes entitâtes naturales; sed aliqua esset extra eius latitudinem: atqui, si actio ignis non posset prodire à Deo, nisi supernaturaliter per actionẽ superadditam, iam daretur entitas naturalis ordinis, quæ non pertineret ad Deum vt authorem naturę; sed vt supernaturalem causam: ergo potentia productiua Dei, vt est author naturæ, haberet limitem in suâ serie; quo quid absurdius? Dicendum ergo est, nullam dari posse naturalem actionem, quæ oriri possit physice à solâ causâ creatâ.

18 Ex hoc inferes primo, in omni ente creato esse aliquod prædicatum, ratione cuius exigat concursum immediatum Dei, qui suppleri nequeat ab vllâ causâ creatâ. Ratio est: quia, vt dictum est, nulla est actio seu effectus creatus, qui possit actu non dependere à Deo: ergo nulla est actio, seu effectus creatus, cuius omnia prædicata adæquatè respondeant alicui causæ creatæ; si enim adæquatè vtli responderent, cur non possent adæquatè ab ipsâ produci? Hoc autem prædicatum, ratione cuius entia creata petunt dependere à Deo, est esse ens participatũ à primo ente, omnis enim creatura est secundùm ens, & de ratione secundi entis est esse per participationem à Primo. Inferes secundò, Deum concurrere cum causis creatis ad earum effectus per eandem actionem, perquam ipsæ concurrunt. Ratio est: quia eadem actio, quæ se ipsa oritur à causa secunda tanquam exercitium actuale virtutis actiuæ illius; oritur etiam se ipsa à causa prima tanquam exercitiũ actuale actiuitatis illius; neque enim oritur per aliam actionem superadditam: ergo sicut causa secunda concurrit ad effectum media hac actione, ita & prima.

Aduersariorum obiecta solutur.

19 OBijcies primò: eadem actio non potest oriri à duplici agente specie diuerso: ergo non potest actio causæ secundæ se ipsa oriri à Deo, & à creatura. Distinguo antecedens: eadem actio non potest oriri à duplici agẽte specie diuerso, si quodlibet sit causa adæquata; concedo: si sit quodlibet causa inadęquata, nego antecedẽs. Etenim, si vna, & eadẽ actio realis potest simul oriri ab agente, & passo, vt est certũm omni eductione, cur non poterit oriri à duplici agente inadæquato? Dico esse causã inadæquatã est imperfectio: ergo Deus non potest esse causa inadæquata alicuius actionis. Respondeo, inadæquationẽ causę esse imperfectionẽ, si oriatur ex defectu virtutis in ipsa causa, non verò si oriatur vel ex voluntate agentis, vel ex repugnãtia effectus; Deus autẽ non est causa inadæquata actionis, quia ipse, quatenus est ex parte sui, non habeat virtutẽ ad illã producẽdã (vt in simili dicebamus disp. 10. sect. 4. circa primam conclusionem) sed

sed quia actio, cùm se ipsa sit exercitium actuale agentis creati, non potest non oriri ab illo.

20 Objicies secundò: non repugnat cũ omnipotẽtia Dei dari aliquas actiones, quas se solo nõ possit producere propter naturã talium actionum: ergo neq; pugnabit cũ ipsa omnipotẽtia dari aliquas actiones talis naturæ, quæ non possint produci à Deo, adhuc vt causa inadæquata. Probatur consequentia: ideo non pugnat cum omnipotentia Dei illas actiones nõ posse produci à solo Deo, quia sunt modi causarũ secundarũ: sed actio, quæ esset solius causæ creatæ, esset adæquate modus illius: ergo sicut in primo casu non pugnat cũ omnipotẽtia non posse illas actiones produci à solo Deo; neque pugnabit in secũdo casu, quòd Deus nullo modo eã actionẽ attingat. Nego primã cõsequentiã. Ad probationẽ, concessa maiori, & minori, nego consequentiã. Disparitas est: quia in primo casu etiãsi Deus se solo non possit producere eas actiones, nihilominus cõcurrit ad illas tanquam causa saltẽ inadæquata, quod sufficit ad hoc, vt illę dicantur contineri in omnipotentia Dei, & Deus dicatur absolute, & proprie posse illas facere. At vero in secundo casu ea actio non contineretur in omnipotẽtia Dei, neq; Deus vllo modo posset eam producere, ac per cõsequens non esset omnia potens, cum tamen daretur aliquid, quod, licèt non repugnaret secundũ sua prædicata, non posset à Deo produci.

21 Objicies tertiò: si eadem actio esset a Deo, & à creatura; eadem actio esset immanens, & transiens; vitalis, & non vitalis: at hoc esse nequit: ergo, &c. Maior probatur: quia actio intellectionis prout ab intellectu esset vitalis, & immanens; at verò prout a Deo esset transiens, & non vitalis. Respondeo, eandẽ actionem fore immanentẽ, & transeuntem respectu diuersorum agentiũ; non verò respectu eiusdem; quod quidem nullum est inconueniens. Deinde, quod attinet ad vitalitatẽ dico, quòd, licèt ea actio præcise prout a Deo non sit vitalis; absolute tamen nõ est dicẽda non vitalis; quia, cum negatio sit particula distribuens terminũ, quem afficit, negat omnem vitalitatem in actione, quod quidẽ falsum est, quia ea actio prout à creatura est vitalis.

22 Rogas: an actio creata per eandem formalitatem respondeat causæ creatæ, & increatæ; vel per diuersas? Respondeo, per diuersas formalitates illis respondere (& idem estó de effectu per actionem producto) causæ enim primæ respondet actio, & quælibet res creata, secundum quod est ens per participationem a primo ente: causæ verò secundæ respõdet ratione differẽtiæ particularis, per quam est capax dependendi ab hac causa potiùs, quam ab illa. Ratio huius asserti est: quia tunc formaliter distinguuntur aliqui cõceptus, quando adinuicem vnum potest expresse cõcipi sine

mo. sed ita contingit in prædictis conceptibus actionis creatæ: ergo distinguũtur formaliter Maiorem suppono ex Logicâ. Minorem probo. quia in primis potest actio creata concipi vt ens participatum à Deo, quin concipiatur vt causalitas causæ secundæ, vt perse constat; deinde potest concipi vt actio, & causalitas causæ secundæ, quin concipiatur vt quid immediate participatum à primo ente; neque enim dum assero, calefactionem esse actionem, qua calor producit alium calorem, expresse semper memini dependentiæ, quam à Deo habet talis calefactio, vt experientiâ constat, & firmant Peripateticorum Scholæ, quæ asserebãt, effectus, qui producuntur à causis secundis, non immediate pendere à primâ: ergo, &c.

23 Hìc aduerte, quòd licèt omnis entitas creata, sit perfectio realiter participata à Deo, nihilominus non debet id conuenire illi ratione omnium formalitatum nostro modo concipiẽdi; sed sufficit, quòd detur vna, ratione cuius illi conueniat; sicut ad hoc vt ego sim realiter rationalis, necessarium non est, quod nostro modo concipiendi id mihi conueniat ratione omnium formalitatum, quas intellectus in me distinguit; sed sufficit, quod ratione vnius mihi conueniat.

24 Dices: omnis perfectio extra Deum est perfectio participata à Deo: sed quælibet formalitas entis creati est perfectio extra Deum ergo est participata à Deo. Distinguo maiorem: est participata â Deo realiter sumpta, concedo: formaliter sumpta, nego maiorem. Est dicere: Nulla datur entitas creata adhuc dependens à causâ secundâ, quæ secundum suam entitatem realem non dependeat realiter à Deo: at, si sumatur formaliter prout pendens à creaturâ, non est pendés à Deo, quia vt sic solùm connotat creaturam; &, vt diximus in Logica, formalitates distinguuntur penes ordinem ad diuersa *connotata*, quando entitas potest expressè concipi in ordine ad vnum, quin in ordine ad aliud expressè concipiatur. Instabis, formalitas entis creati non est formaliter ens à se: ergo formaliter est ens ab aliq: ergo à Deo: ergo formaliter sumpta est ens participatum a Deo. Concesso antecedente, & admisso primo consequente; nego secundam consequentiam, quia ex eo præcisè, quòd res concipiatur esse ab aliquâ causâ creâta, sufficienter concipitur esse ab alio, etiam si non concipiatur expressè esse à Deo.

25 Obijcit primò Durand. omnes formalitates, quę sunt in vno calore, v.g. respõdent alteri: ergo poterit ab illo solo produci. Antecedẽs probatur: quia si aliqua illi non responderet, maximè ea, quam diximus respondere Deo, nẽpe esse ens participatũ à Primo: sed hæc respondet alteri calori, quia etiam datur in illo similis formalitas: ergo, &c. Ne-

go primum antecedens. Ad probationem nego minorem: quia ad hoc, vt aliqua formalitas effectus dicatur respõdere causæ, non sufficit, quod in causa inueniatur similis formalitas; sed necessarium est, quod illam possit cõmunicare effectui. Tunc autem dicimus, causam communicare posse effectui formalitatem, quam in se habet, quando ex vnâ parte nouimus talem causam concurrere ad effectum, & ex aliâ nulla est ratio suadens illam formalitatem non posse communicari â tali causa. In præsenti autem habemus rationem, quæ nos cogit ad asserendum, talem formalitatem non posse communicari à solâ causâ creatâ, vt constat ex dictis pro secunda conclusione.

126 Dices: ex tradita doctrina sequitur, Deum immediate concurrere cũ voluntate ad actus peccaminosos, at per consequens esse authorem peccati, hoc autem admitti nequit: ergo neque illud. Respondeo, in actu peccaminoso esse duo, nempe, & entitatem physicam actus, & rationem formalẽ peccati: quæ duo separari possunt; quia si actus ille non eliceretur liberè, vt potest contingere, nõ esset formaliter peccatum, vt concedunt plures è Theologis, & constabit ex dicendis in lib. de Anim. circa libertatem actuum. Dico ergo ad argumẽtum, Deum concurrere ad entitatem physicam actus peccaminosi, non verò ad rationem formalem peccati; sed solus homo ad hanc concurrit, & ideo ipsi soli tribuitur peccatum, vt authori illius.

127 Instabis: Deus non concurrit ad rationem formalem peccati: ergo iam datur aliqua entitas, ad quam Deus immediate nõ concurrat. Nego consequentiam: quia ratio formalis peccati non est aliqua entitas supra entitatem actus peccaminosi; sed denominatio quædã illi proueniens ab homine libere eliciente eundem actum sibi prohibitum. Itaque vnus, & idem actus prouenit à Deo, & voluntate. Prout à volũtate est peccatũ formaliter; nõ prout à Deo, & ideo dicitur homo concurrere ad rationem formalem peccati; non verò Deus. Id quod explicari potest exemplo eductionis, & pássionis in sententia distinguente illas formaliter: quia tam agẽs, quam passũm sunt causæ entitatis, quæ realiter est eductio & passio; at agens nullatenus dicitur esse causa illius formaliter, vt passio est: non alia de causa, nisi quia entitas ea est passio, quatenus est exercitium causæ recipientis, & agens non causat illam recipiendo, sed efficiendo. Idem dicendum est de peccato, nempe formaliter esse tale, prout à voluntate; non verò prout à Deo; & ideo solam voluntatem esse causam illius. Plena huius rei explicatio pertinet ad tractatum de peccatis: & ideo eam ommitto in præsenti.

SE-

SECTIO III

Non est ponenda in causis secundis physica prædeterminatio prævie requisita ad earum effectus producendos.

28 PRæter concursum simultaneum, quem sectione præcedenti euicimus habere Deũ cum omnibus causis secundis ad earum effectus, quem que omnes præter Durandũ admittunt, Thomistæ aliquid aliud adstruerunt ex parte causæ primæ necessarium, vt causæ secundæ operentur. Dicunt enim ex prædicato causæ secundæ, & subiectionis, seu subordinationis, quam habet ad primam, necessariũ esse, quòd Deus causas secundas compleat, excitet, seu præmoueat ad agendũ imprimendo illis aliquid præuium ad earum actiones. Hoc autẽ prævie impressum ad actiones quidam vocant præmotionẽ, alij physicam prædeterminationem; alij denique; præuiam applicationem. Quam quidem aliqui ita necessariã autumant in causis secundis, vt sine illa suos effectus promere non possint adhuc de potentia Dei absoluta. Adduntque, hanc præmotionem ita connexam esse cum effectu causæ secundæ, vt illâ positâ implicet contradictionẽ effectum non poni ab ipsa causa secunda. Ita Bañez primus parens physicæ prædeterminationis 1. part. q. 23. ar. 3. Alnarez disp. 18. n. 3. & 18. & sæpe alibi. Nauarrete, Cabrera, & plures alij Thomistæ.

Alij vero putant, physicam præmotionem non esse ita connexã cum effectu, vt ab illo separari non possit. Ita Gonzal. 1 p disp. 59. sect. 2. Zumel. 1. 2. quæst. 79. art. 2. disp. 3: Verdum relect. de efficacia auxilij Diuini concl. 12. & 13

29 Authores nostræ Societatis hanc prædeterminationẽ omnino reiecere sẽper. Primus dux P. Molin. in sua cõcordia disp. 26. & 27. quẽ secuti sunt P. Vazq. 1. p. disput. 98. cap. 5. & disp. 99. cap. 3. P. Suar. in Meta. disp. 22. sect. 2. & 3. & in opuscul. Theolog. & reliqui omnes, quos nouissime sequitur P. Didacus. Ruyz in suis scriptis, sed præcipue tom. de scientia a disp. 32. vsq; ad disp. 60. inclusiue. Probatur primò ex S. Thom. q. 3. de Potent. art. 7. ad 12. vbi ait: *Dicendum, quod Deus non dicitur hominem reliquisse in manu consily sui, quia in voluntate operetur; sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, vt non esset obligata ad alteram partem contradictionis.* Si autẽ voluntas indigeret physica præmotione habente essentialem connexionem cum effectu, qua ratione posset dici a S. Thom. domina sui actus, & non obligata ad alteram partem contradictionis? Deinde ad 13. addit: *Et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis* Ergo non admittit S. Thom. physicã illam præmotionem, quæ voluntatẽ alliget ad operandum: alioqui non diceret, determinationem reliqui in potestate voluntatis; sed à præmotione

tione physica prouenire.

30 Secundò probatur ratione philosophica nostra sententia: quia, ablata præmotione physica, vel in causa secunda cum concursu simultaneo *D*ei datur virtus completa ad producendas omnes formalitates effectus; vel non. Si primum superflua omnino erit talis præmotio, cũ nihil sit ex parte effectus, ad cuius productionẽ requiratur. Si secundũ: ergo sine præmotione physica non habet causa secunda virtutẽ ad totũ effectum actu producendũ: ergo sine præmotione non potest illum actu producere. Patet consequentia: quia ea causa non potest effectum actu producere, quæ nõ habet virtutẽ ad omnes illius formalitates producẽdas: sed causa secũda per se sine præmotione physica non habet virtutem ad omnes formalitates effectus producẽdas: ergo sine præmotione nõ potest effectũ actu producere. Maior videtur certa: quia, cum vna formalitas effectus nõ possit realiter produci sine altera, si ex parte causæ non datur virtus ad omnes, no poterit entitatem effectus actu producere. Minorem tu ipse concedis. & consequens rectè infertur.

31 Si ergo causa secũda sine prę motione prævia non potest effectũ actu producere: ergo voluntas nõ potest suũ actũ elicere sine prævia pręmotione: ergo, quãdo actu non adimplet aliquod præceptũ, nõ potest illud adimplere. Patet consequẽtia: quia volũtas, vt probatũ est non potest actu operari, nisi præcedat physica præmotio ex parte actus primi · sed quando actu non adimplet præceptũ non prędedit physica prędmotio ex parte actus primi, vt concedis: ergo nõ potest illud adimplere: ergo non peccat voluntas, dum violat prędcepta. Id nõ prosequor, quia Theologicũ.

32 Respondent aduersarij, causam secundã sine prędmotione habere potentiã ad hoc, quod est posse producere effectũ; non tamen ad illũ actu producendũ. Certe ego nunquã potui capere, quid sit habere potentiã ad posse producere effectũ: nam vel hoc est habere potentiã incõpletã, quæ cõpleri possit per præmotionẽ physicã, & hoc erit verum, si necessaria sit præmotio ex parte actus primi; cum hoc tamen cõstabit, quod causa secunda sine promotione non possit effectũ producere; sicut absolutè loquẽndo est verũ, potentiã visiuam non posse visionẽ producere sine specie impressa illã complente ex parte actus primi ad visionẽ: vel habere potentiã ad posse est habere potentiã ad possibilitatẽ effectus; & hoc nullius est momenti: tum quia potentia productiua non est in ordine ad ponendã possibilitatem effectus; sed existentiam: tum etiam quia si causa secunda potest ponere totam possibilitatem effectus sine prędmotione, cur non poterit ponere totam existentiã? Præterea voluntas non adimplens actum præceptũ nullatenus peccaret: quia ipsa sine præmotione physica non potest ponere existentiam actus,

sed

sed tantum facere, quod sit possibilis: at id iam præstat: ergo facit quod potest, & quod in se est: ergo non imputabitur illi ad peccatum, quod nõ eliciat actum adimpletiuum præcepti. Quod quis ausit dicere?

33 Tertiò probatur ratione nostra sententiá: quia omnes formalitates, quæ sunt in calore producto, v.g. respondent alteri calori, & Deo concurrenti per concursum simultaneũ: ergo sine fundamento additur physica præmotio. Antecedens constat: quia Deo respondet ratio entis secundi, & reliquæ formalitates alteri calori, vt patet. Dices; physicam præmotionem non poni ex parte actus primi tanquam principium inadæquatum effectus; sed tanquam id, quo causa secunda præmouetur, & applicatur ad operandum a primâ. Sed contrà primò sine hac præmotione causa secunda est approximata passo cum virtute ad producendas omnes formalitates effectus: ergo superuacanee additur alia applicatio. Contra secundò: est impossibile, quod effectus oriatur actu à causâ non habente omnes conditiones requisitas ad operandum: ergo, si præmotio physica est conditio requisita ex parte causæ secundæ ad operandum, non poterit hæc operari sine illa: Ex quo inferentur consequentiæ adductæ pro primâ nostrâ ratione.

Satis fit obiectionibus.

34 Obijciunt primò: Deus concurrit ad effectus causarum secundarũ vt causa prima: sed non potest habere rationem causæ primæ per concursum simultaneum: ergo addenda est physica præmotio, ratione cuius tribuatur illi ratio causæ primæ. Minorem probant; quia per concursum simultaneum, neque magis, neque prius concurrit Deus in effectum causæ creatæ, quã ipsa causa creata, cum realiter sit idem, & vnus concursus vtriusq; In primis nego minorem: quia licèt concursus simultaneus prout a Deo, non sit aliqua prioritate reali prior, quam prout à causa secunda; est tamen prior prioritate vniuersalitatis, ea videlicet, qua prædicata superiora dicuntur esse priora inferioribus. Etenim conceptus entis secundi, ratione cuius quælibet creatura respondet Deo, est vniuersalior, quam conceptus, per quos respõdet causis creatis. Hæc autem prioritas sufficeret, vt Deus absolute diceretur causa prima ratione concursus simultanei; quia licèt hæc prioritas formaliter sumpta sit rationis, illius tamen fundamentum datur à parte rei.

35 Sed age iam, admittamus minorem, inde non bene infertur consequens: quia Deus tria munera exercet circa causam secundam præcedentia ad eius operationem; ratione quorũ potest sibi vendicare rationem causæ pri-

Primò enim Deus producit, & conseruat causam secundam. Secundò applicat illam ad operandum siuè physice, approximando videlicet illam per physicam præsentiam, quando est causa physica, siuè intentionaliter, representando videlicet illi obiectum per cognitionem, quando causa secúda est potentia appetitua vt voluntas, & appetitus sensitiuus. Tertiò Deus alligat causæ secundæ suam omnipotentiam, vt simul cum ipsa causa secunda concurrat ad effectus. Ratione ergo horum trium rectè potest dici; &, quod Deus sit causa prima, cum ante secundæ operationem ea peragat Deus tanquam necessario requisita, vt secunda operari possit; &, quod causa secunda nõ operetur, nisi vt mota à primâ, vt sæpè loquitur S. Thomas, in quo sensu est explicandus vbicunque hæc, & similia protulit.

36 Objciunt secundò. voluntas dum libere operatur vel seipsam determinat ad operandũ; vel determinatur à Deo. Non primum: quia, cum voluntas sit ex se indifferens ad hũc, vel illum actũ, non est, cur se determinet ad hunc potiùs, quam ad illum: ergo determinari debet à Deo illam præmouente per physicam prædeterminationem. Respondeo, voluntatem se ipsam determinare, quia, cum sit indifferens ad operandum indifferentia libertatis, & dominij, necessarium est, quod operetur tanquã Domina suæ operationis: non autem operaretur vt Domina, si ab alio determinaretur. Se autem determinat, non ponendo in se aliquid præuium ad operationem; sed formaliter per ipsam operationem, eliciendo videlicet hanc, cum posset aliam, vel nullam elicere.

37 Objciunt tertiô Catechismum Romanum editum iussu Pij V in cuius 1. part. de primo symboli articulo, nu. 22. hæc habentur: *Non solum Deus vniuersa, quæ fecit, prouidentiâ suâ tuetur, atque administrat; verum etiã quæ mouentur, & agunt, pariter intimâ virtute ad motum, atque actionem, ita impellit, vt quànuis causarum secundarum efficientiam non impediat: præueniat tamen.* Vbi Deus dicitur *impellere intima virtute* causas secundas ad earum operationes, & præterea *eas præuenire*: Quod non potest esse verum, nisi ratione physicæ præmotionis à Deo impressæ, vt causas secundas prædeterminet ad effectus. Respondeo primo: pro illo verbo *impellit* in aliquibus editionibus, quales sunt Antuerpiensis, & Medinensis, haberi *implet*, quâ particulâ positâ rectus est sensus iuxta doctrinam traditam in secundâ responsione primæ obiectionis: quia dum Deus applicat causas secundas ad operandum, & alligat illis suam omnipotentiam, vt cum ipsis concurrat; rectè dicitur *intimâ suâ virtute implere*, seu, *complere virtutem causarum secundarum*; &, eas *præuenire ad suos effectus*.

38 Secun-

38 Secundò: licèt ponatur particula *impellit*, potest rectè explicari iuxta nostram doctrinã. quia, si referatur ad causas necessarias, potest dici Deus illas impellere, quia dum illis parat concursum generalem per alligationem suæ omnipotentiæ, & præterea illas physicè applicat subiecto, in quo sunt operaturæ, cogit illas quidem ad operãdum, cum non possint his positis se cohibere ab operatione. Si verò particula illa referatur ad causas liberas, potest dici Deus eas *impellere, & præuenire*, quia dat illis cogitationẽ in illis circunstantijs, cũ quibus nouit consensurã voluntatẽ. etenim per hãc cogitationẽ dicitur Deus suadere, trahere voluntatẽ, & facere vt faciamus, eo modo, quo dicitur in tractatu de Gratia.

SECTIO IIII.

De mente S. Thomæ & Aristotelis circa physicam prædeterminationem.

39 EXistimant Thomistæ pro illis stare S. Thomam; sed quàm immeritò, constabit ex hac sectione. Obijcitur 1. q. 3. de Poten. ar. 7. in corp. circa finẽ, vbi hæc habet: *Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet in quãtum dat virtutem agendi, & in quantum seruat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantum eius virtute communis alia virtus agit*: ergo sentit S. Thom. præter productionem causæ secundæ, & eius cõseruationem requiri ex parte Dei aliquam motionẽ, vt defacto operetur. Quod autem hæc motio nõn possit esse cõcursus simultaneus cõstat apertè ex respõsione ad 3. vbi ait. *Dicẽdũ, quod in operatione, qua Deus operatur mouendo naturam, non operatur natura*: ergo sentit Doctor Angelicus, naturam non concurrere ad motionem requisitam ex parte Dei, vt ipsa operetur: sed sic est, quod natura concurrit ad concursum simultaneum: ergo de alia motione loquitur S. Thomas. Quod verò hæc motio sit præuia ad operationem causæ secundæ, probatur ex responsione ad 7 vbi ait *Dicendum, quod virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in suâ constitutione collata, inest illis vt quædam forma habens esse ratũ, & firmum in naturâ. sed id, quod à Deo fit in re naturali, vt actualiter agat, est vt intentio sola habens esse quoddam incõpletum per modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis*: atqui virtus artis est in instrumento artificis tãquã aliquid præuium ad eius operationẽ; ergo id etiam, quod Deus operatur in causa secunda, est quid præuium ad eius operationem.

40 Tam longè abest Angelicus Doctor in hoc articulo â mente Thomistarũ, vt potiùs nostrã sententiã cõfirmet. Dico ergo ad prima verba ex corpore articuli, nullã ibi mẽtionẽ fecisse Doct. Ang. physicæ præmotionis: quia præter productionẽ causæ secũdæ, & eius cõseruationem duos alios modos addit, quibus causa prima cõcurrit ad actionẽ secundæ, nempe in quan-

quantum applicat ipsam causam secundam ad agendum, & in quitũ eius virtute omnis alia virtus agit · sed in nullo existis tradit physicam premotionẽ, ergo, &c. Minor probatur quia non in primo, in eo enim aperte loquitur de applicatione physicà, seu intẽtionali causę secundæ ad operandũ; hæc enim, posita iã virtute causæ, & conseruata, vlteriùs requiritur ad operationem, vt constat.

41 Neque in secundò: quia ibi loquitur de applicatione, qua Deus applicat suam omnipotentiam ipsi causæ secundæ in ordine ad concursum simultaneum. Id colligitur, tum ex eo, quòd ibi enumerat omnes modos, quibus causa prima concurrit cum secundâ ad eius operationes · si autem concursus simultanei non meminisset, diminutè satis processisset, cum vnum ex præcipuis modis, quibus causa prima concurrit ad operationem, seu effectum secundæ, prætermisisset. Tum etiã quia S. Thom. primam causam cõcurrere eo quarto modo ex eo probat, quod in quolibet effectu inuenitur ratio vniuersalissima entis, quæ non potest causæ secundæ respondere, nisi soli Deo; quia ratio entis (intellige rationem entis participati à primo) cum sit vniuersalissima (ad omnia enim entia creata extenditur) petit causam vniuersalissimam, qualis est Deus; sed sic est, quod ratio entis respondet Deo vt operanti per cõcursum simultaneum, vt diximus sectione præcedenti num. 1 ad quem præcedit applicatio omnipotentiæ; ergo de eo modo concurrendi loquitur ibi Doctor Angelicus; non de prævia præmotione.

42 Confirmatur: quia, cum dixisset S. Thom. virtutem Diuinam adesse cuilibet agenti, sicut virtus corporis cælestis adest cuilibet corpori elementari agenti, postea paulò ante verba prioris loco adducta in obiectione, assignans discrimen, quod versatur inter Deum, & corpus cęleste ait: *Et iterum Deus est sua virtus, non autem corpus cæleste, & ideo potest dici, quod Deus in qualibet re operatur, in quantũ eius virtute quælibet res indiget ad agendũ.* Ergo aperte loquitur S. Thom. de omnipotentia Dei applicata causæ secundæ, vt cũ illa concurrat per simultaneũ cõcursum, non de præmotione physica · quia ibi loquitur de virtute, quæ est idẽ realiter cũ Deo · sed omnipotentia est idẽ cũ Deo, non vero præmotio physica, quã assignãt Thomistæ: ergo, &c.

43 Ex hoc infero, cur dixerit S. Tho. in respõsione ad secundũ, quod in operatione, qua Deus operatur mouẽdo, nõ operatur creatura; & loquebatur de quarto illo modo cõcurrendi. Id ergo dixit; quia, licèt creatura concurrat ad cõcursũ simultaneũ, nõ tamẽ cõcurrit ad applicãdũ omnipotẽtiã ipsi creaturæ, quę applicatio præcedit cõcursũ simultaneũ, & fit à solo Deo · per hãc autem applicationem dicit, moueri naturam, quod non intelligendũ est de motione

tione physicâ, & intrinsecâ; sed de motione intentionali, & extrinseca. Quod quidem apertè constat ex responsione ad septimum, quæ adducitur in obiectione ab aduersarijs: ibi enim loquens de hâc motione ait: *Sed id, quod à Deo fit in re naturali, vt actualiter agat, est vt intentio sola*: ergo non agit de motione physica, sed solum de intentionali. Quod aperte constat ex his, quæ ibi addit, dicit enim, motionem illam esse in causa naturali; sicut virtus artis est in instrumento artificis: sed virtus artis, quæ nihil aliud est nisi actus elicitus ab arte, non est physice in instrumento artificis; sed solum intentionaliter ergo idem erit de motione à Deo facta in causâ secundâ. Minor est certa: quia virtus artis dicitur esse in instrumento non propter aliam rationem, nisi quia illud dirigit, & coordinat ad finem ipsius artis: sed hoc solùm est esse intentionaliter, & per denominationem extrinsecam in instrumento: ergo, &c.

44 Et propter hanc rationem addit S. Thomas in eâ responsione ad 7. quod virtus non potest esse in instrumento vt forma permanens, nisi instrumentum haberet intellectum. Ac si diceret. solum est extrinsece in instrumento, quia, vt intrinsece esset, necessarium erat, quod haberet intellectum, cum subiectum proprium actus elicitus ab arte (quem vocat virtutem artis) sit ipse intellectus. Et ex hoc infert, vim, qua causa secunda in virtute primæ causæ cõcurrit ad rationem entis, nõ posse esse intrinsece in ipsa causa secunda, nisi daretur, quod esset vniuersale principium essendi, quia hoc vnus, vt suprà dixerat, est ipsum esse Dei. Quod quidem dicit esse intentionaliter in causa secunda: quia, dum Deus libere illi applicat suam omnipotentiam, illam dirigit, & ordinat ad finem a Deo intentum cõstituendo in eius potestate effectus proportionatos ad consequendum talem finem.

45 Adde, quod in responsione ad 12. & 13. eiusdem articuli manifestè cõfirmat ea, quæ diximus, & nostram sententiam clarissimis verbis proponit. Ad 12. enim ait: *Dicendum, quod Deus non dicitur hominem dereliquisse in manu cõsilij sui, quia in voluntate operetur; sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, vt non esset obligata ad aliampartem contradictionis; quod quidem dominium natura non dedit, cum per suam formam determinata sit ad vnum.* Si autem voluntati imprimeret Deus præmotionem physicam essentialiter cõnexam cum effectu, obligata maneret ipsa voluntas ad alteram partẽ contradictionis. Docet vero S. Thomas, Deum dare voluntati dominium sui actus, non aliâ de causâ, nisi quia illi alligat suam omnipotentiam, vt eam comitetur in quancunq; partẽ se inclinauerit. Quod confirmatur ex solutione ad 13. vbi ait *Dicendum, quod voluntas dicitur habere dominium sui actus*

non

non per exclusionem causæ primæ; sed quia causa prima non ita agit in voluntate, vt eam de necessitate determinet, sicut determinat naturã; & ideo determinatio actus relinquatur in potestate rationis, & voluntatis. Nõ ergo ita Deus operatur in voluntate, vt illã determiner, cum ex mente S. Thomæ ipse actus relinquatur potestati voluntatis.

46 Obijcitur secundò S. Tho. 1. p q. 19. art. 3 ad 5. vbi ait: *Quod causa, quæ de se est contingens, oportet, quod determinetur ab aliquo extrinseco ad effectum*: Sed voluntas creata de se est contingens non solum in essendo; sed etiam in operando: ergo eget aliquo extrinseco præuie illam determinãte ad suos effectus: hic nullus alius esse potest nisi Deus: ergo, &c. Hæc verba sano modo intelligẽda sunt, ne cogamur dicere, S. Thomã sibi ipsi esse manifeste cõtrarium, nam 1. p. q. 22. art. 2. ad 4. expresse docet, voluntatem se determinare ad suos actus: loquens enim de causis naturalibus ait: *Quæ aguntur tantum quasi ab altero directa in finẽ, non autem seipsa agunt, quasi tendentia in finem, vt creaturæ rationales per liberum arbitriũ, quo cum sibi sufficiunt, & eligunt.* En assignat discrimen inter creaturas naturales, & rationales, seu liberas in eo, quod naturales aguntur in finem; rationales vero se agunt, & dirigunt per suam electionẽ ergo sentit aperte, non determinari ab extrinseco. Clarius id docet de Malo q 6. art. vnico a medio corporis; vbi ait. *Hoc modo voluntas mouet se ipsam, & omnes alias potentias.* Et post pauca: *Quantũ ergo ad exercitium actus primo quidem manifestum est, quod voluntas mouetur à se ipsa: sicut enim mouet alias potẽtias, ita & se ipsam mouet.* Et 1. 2. q 9. art. 6. in fine postquam dixit, Deum mouere voluntatẽ ad vniuersale bonũ, addit: *Sed homo per rationem se determinat ad volendũ hoc, vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonũ.* Tẽpus mihi deficeret, si vellẽ cõgerere omnia loca, in quibus Doctor Angelicus aperte tradit nostram sententiam. Videatur P. Didac. Ruiz. de Scient. disp. 49. sect. 2.

47 Respondeo ergo ad obiectionem suprà adductã, quod dum S. Thom. dicit, causam contingentem determinari ab aliquo extrinseco, sumit ibi determinationẽ, nõ pro principio tollente indifferentiam, sed pro principio inclinante illam ad vnum ex illis, ad quæ est indifferens. Id colligo ex ipso argumento, cui ibi respõdebat S. Doctor, quod sic se habebat: *Id eo, quod est ad vtrumlibet, nõ sequitur aliqua actio nisi ab aliquo alio inclinetur ad vnũ* si ergo voluntas Dei *in aliquibus se habet ad vtrumlibet, sequitur, quod ab aliquo alio determinetur ad effectũ.* Vbi ex eo quod agens indifferens debeat ad effectũ determinari ab aliquo extrinseco, colligitur, quod, si voluntas Dei est indifferens, debeat determinari ab extrinseco: ergo pro eodem sumitur *determinari*, ac *inclinari*. ergo cum Doctor Angelicus ait in responsione, causam contingentẽ

V de-

fieri determinari *ab extrinseco*, sumit sibi *determinari* pro *inclinari*, cum in eodem sensu intelligẽdus sit sumere illam particulã, ac sumebatur in obiectione. Et hinc asseguat discrimen inter Deum, & creaturã, quod Deus, cum sit summe necessarius, & independens à quocunque alio, non egeat aliquo extrinseco illum inclinante ad suos effectus; at causa creata indiget aliquo illam inclinante vel per physicam applicationẽ ad effectum, si sit causa naturalis; vel per intentionalem, si sit causa libera, dum enim bonum appetibile proponitur voluntati per cogitationem vel à Deo immissam, vel ab alio, inclinatur voluntas ad effectũ, ita tamen, vt in eius maneat potestate, quod se determinet ad illum.

48 *Hæc solutio efficaciter cõfirmatur ex ipso*, S. Doctore in 2. dist. 25. quæst. vnica art. 1. in quo, cum in corpore dixisset, in solis intellectum habentibus esse liberũ arbitrium, & non illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, in solutione ad tertium subiungit: *In libero arbitrio hoc modo agit Deus, vt virtutẽ agendi ministret, & ipso operante liberũ arbitrium agat. Sed tamen determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituitur, vnde remanet sibi dominium sui actus*: Vbi voluntati tribuit determinationem actionis, Deo vero, quod voluntati ministret virtutem agendi, quod quidem non aliter præstat nisi applicando illi suam omnipotentiam, & infundẽdo cogitationem, per quam illam inclinet in bonum. Si autem S. Doctor putaret, Deum infundere voluntati qualitatem aliquam prædeterminantẽ, non diceret manere in potestate voluntatis determinationẽ actionis. Idem docuit de Malo q. 3. art. 2. vbi ait: *Quædam sic mouentur à Deo, vt seipsa moueant, sicut quæ habent liberum arbitrium.*

49 Denique obijcitur S. Doctor 2. Physic. lect. 8. super tex. 48 vbi ait *Nihil quod est ad vtrumlibet exit in actum nisi per aliquid determinetur ad vnum.* Et concludit *Vnde ex eo quod est ad vtrumlibet nihil sequitur nisi per aliquid aliud quod determinat ad vnũ.* Sed explicandus est S. Thomas de causa indifferente indifferentia incõpletionis, vt est potentia visiua respectu visionis albedinis, & nigredinis; non de indifferentia libertatis, & dominij; ibi enim agebat de effectibus casualibus, & fortuitis, & nunquam dicuntur tales effectus, qui immediatè oriuntur à voluntate, quæ est indifferens indifferentia libertatis, & dominij, sed qui oriuntur à causis extrinsecis qualis est potentia loco motiua, & aliæ, quæ sunt indifferentes indifferentia incompletionis, quia compleri debent per aliquid extrinsecum, quo determinentur ad suos effectus. Id colligitur ex S. Thoma de Malo q. 3. art. 3. ad 5. vbi ait *Voluntas, cum sit ad vtrumlibet per aliquid determinatur ad vnum, scilicet per consilium rationis, neque oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum*: ergo in prio-

priori loco non loquitur de voluntate, sed de alijs causis indifferentibus eo modo, quo diximus. Hinc colliges, quod vbicumque S. Tho. vtitur his verbis *determinatio, praedeterminatio* & alijs similibus, vel explicãdus est de determinatione causarum indifferentiũ indifferentia incõpletionis, vel, si de indifferentibus liberis, sumenda sunt impropriè eo modo, quo illa explicuimus in superioribus, siquidem in locis, in quibus ex professo egit S. Doctor de libertate voluntatis, semper tribuit illi determinationem suorum actum, vt constat ex dictis. Et tunc non oritur effectus à principio in potentia, sed à principio constituto in actu primo.

40 Deinde vbicunque dicit, *causam secundã nõ operari, nisi praemotam à prima*, vel, *causam primam mouere secundã ad operandũ*, si sermo sit de causâ secunda necessariâ, explicãdus est vel de præmotione, per quam physicè applicat Deus causam secundã ad operãdũ, vel de præmotione quam intentionalẽ, per quã Deus illi applicat suã omnipotẽtiã; vt illã comitetur per concursum simultaneũ. Si vero sermo sit de causâ libera, qua is est voluntas, explicãdus est vel de applicatione intẽtionali obiecti per cognitionẽ, ratione cuius dicitur Deus præmouere, inuitare, seu trahere voluntatẽ ad amandũ obiectũ bonũ. vel explicandus est de applicatione omnipotẽtiæ per decretũ, seu promissionẽ, qua Deus voluntati suam alligat omnipotentiã, vt illam comitetur in quancunque partem se inclinauerit. Alia testimonia in quibus Doctor Angelicus loquitur de Deo vt causa primâ respectu effectuũ creaturarũ, explicanda sunt vel de prioritate vniuersalitatis, quã Deus habet ratione concursus simultanei, vt diximus supra nu. 34. vel de prioritate reali, quã Deus exercet cõseruando, applicãdo causas secundas, & subdendo illis suã omnipotentiam, vt diximus num. 35. Porrò plura pro nobis possemus adducere testimonia Angelici Doctoris, in quibus aperte nostrã sententiã tuetur; qui plura velit, adeat P. Didacũ Ruiz tomo de Scientia à disp. 32. vsque ad 60.

51 Obijciunt præterea Arist. quem 8. Phys. tex. 33. putant, physicam prænotionẽ tradidisse, ibi enim agens de causa prima, & secũda, & earũ subordinatione, hæc habet: *Vtraque igitur mouere dicimus & primũ & vltimũ mouentiũ, sed magis primũ illud enim mouet vltimum, sed non hoc primũ, & sine primo quidẽ vltimũ non mouebit, illud autem sine hoc.* Ex quibus verbis colligunt, Aristotelem hoc posuisse discrimen inter causam primam, & secundã, quod secunda nõ mouet, seu agit nisi mota à prima, prima verò agit non mota à secunda. Respondeo, Arist. solũm asserere, dari vnum primum motorem, à quo reliqua in suis actionibus dependeant saltem mediate, quia non possunt suas actiones elicere, quin à prima causa conseruentur.

52 Quod verò immediatè præmoueat illa ad suos effectus, nec som-

sompniauit Aristot. Quin potius fœde errauit in eo, quod Deo negauit prouidentiam circa res minimas, quia indecorum Deo existimabat, quod se in rebus infimis dispondendis occuparet. Id constat ex libro de Mundo ad Alexandrum cap. 6. vbi hæc habet *Itaque rectius est iudicare quod etiam conueniens, & Deo maxime decorum intelligitur, in cœlo virtutem esse constitutam, & plurimum remotã, & omnib⁹ in vniuersũ salutẽ afferre, quã penetrare, & eo frequenter accedere, vbi nequ⁹ honeste, neque liberaliter ipse pro se conficeret, quæ apud nos essent.* Et inferius. *Quapropter si nihil ad decus eius pertinere se Xerxẽ videri, & omnia præstare, & quæcunq, voluerit conficere, rebusque gerendis præesse, multo magis illiberale hoc ipsi Deo fuerit.* Ex probat Aristoteles indecorum esse Deo rebus omnibus curam adhibere: qua ergo ratione putaret, Deum præmouere causas secundas ad quemlibet effectum?

SECTIO V.

An causa prima determinet secundam ad individuationem effectus?

53 QVando ex duabus causis ad eundem effectum producendum subordinatis, vna potest attingere solum vnum, alia vero ad plures alios se potest extendere, hæc dicitur determinari ab illa ad talẽ effectũ producẽdũ: quia videlicet hunc effectũ potius, quã alios, ad quos habet virtutẽ produ cit hìc, & nunc ex eo, quod cum altera causarũ iungitur. Exẽplo gratia potentia visiua ex se est potens elicere visionẽ a bedinis, & nigredinis, detur illi species albedinis, quæ non potest concurrere, nisi ad visionẽ ipsius albedinis, per hanc dicitur determinari potentia visiua ad eliciendã talẽ visionẽ. Porrò determinatio & esse potest quoad speciẽ, & quoad individuũ. Quoad speciẽ quãdo vna causa alia ex se indifferentẽ ad effectus huius, vel illius speciei producendos determinat, vt ad effectũ huius speciei cõcurrat potiùs, quàm ad alterius speciei. Determinatio quoad individuum datur, quando causa ex se indifferens ad hoc, vel illud individuum intra eandem speciem producendum, determinatur ab aliã concausã, vt hoc potiùs individuum, quam illud producat.

54 Certum ergo est apud omnes, qui abijciunt prædeterminationem physicam, causam secundã siue necessariam, siue liberã determinare primam quoad speciem effectus, licèt non eodem modo: quia causa necessaria Deum determinat quoad speciẽ, exigendo ab eo concursum ad hanc potiùs speciem, quàm ad aliam: quia cũ ipsa ex se vltra hanc speciẽ non possit se extendere, necessariũ est quod si Deus velit cum illa iuxta naturam eius concurrere, pareat illi concursum ad hanc speciem, & non ad aliã. Hoc ratione determinat Deũ ignis ad producendum ignem, & calor ad calorem.

55 Causa verò libera non potest

test Deum determinare hac ratione· quia, cum voluntas antequam prodeat in actum sit ex se indifferens ad hunc actum, & ad oppositum, ad amorem, v.g. & ad odium, non potest exigere a Deo concursum ad amorem determinate, vel ad odium. Dicetur tamen determinare Deum, quoad specificationem, quia cum Deus illi alligauerit suam omnipotentiam, vt illam comitetur in quancunque partem se inclinauerit ipsa voluntas pro suo nutu (vt docent nostri Doctores in tractatu de Scientia) ita vt in potestate ipsius volũtatis, sit vt omnipotẽtia Dei, ad hũc vel illum actum eliciẽdum, fit, vt cum voluntas se determinat ad amorẽ, determinet etiam ipsam omnipotentiam ad amorẽ, & similiter cum se determinat ad odium· quia ratione alligationis præuiæ est parata omnipotẽtia ad quemlibet actũ eliciendum pro nutu voluntatis. Est ergo difficultas: an Deus determinet causam secundam, quoad indiuiduationẽ effectus, seu actionis, vel potius ipsa ex se determinata sit ad hunc numero effectũ per hunc numero actionẽ producendũ in hoc tempore, & in hoc loco?

56 P. Vazquez tom. 1. in 3. p. disp. 74 cap. 7. num. 46. docet, causam secundam necessariam, ex se esse determinatam ad talem numero effectũ per talem numero actionem hic, & nunc, hoc est in illis circunstantijs loci, temporis, & passi producendum. Circa actiones vero liberas num. 53. asserit esse in potestate voluntatis elicere non solũ hanc actionẽ in specie; sed etiam in indiuiduo, ita vt non solum sit voluntas libera circa speciem, sed etiam circa indiuiduum sui actus. Opposita sententia magis mihi placet, quæ asserit, quamlibet causam tam liberam, quàm necessariam ex se esse indifferentẽ in istis circunstantijs, loci, temporis, &c. ad producendum hunc, vel illum numero effectũ per hanc vel illam numero actionem, ac proinde necessariũ esse, quod à Deo determinetur ad hunc potius effectum, quàm ad illum per hanc numero actionem potiùs, quam per illam. Ita P. Suar. in Mera disp. 5. sect. 3. num. 34. & sect. 6. a num. 9. P. Hurt. hic disp. 10. sect. 4. P. Conimb. P. Fonle, & alij, vt autem clarè, & distinctè procedamus in probatione.

Prima conclusio vera sententia.

57 Dico primò: causa secunda necessaria determinatur a Deo quoad indiuiduationem effectus (idem dico de indiuiduatione actionis.) Probatur· quia calor, v.g. ex naturâ suâ est potens producere in hoc ligno plures calores numero diuersos, ergo si postquam in hoc ligno calorẽ produxit, removeatur ab ipso ligno, & postea calore illo corrupto iterum applicetur, iterum calefaciet lignum, & non per eundem numero calorẽ, ac anteà, quia iuxta communem aduersariorũ non potest effectus semel corruptus reproduci naturaliter: ergo secundo calefa-

ciet ligni per alium calorē nu-
mero diuersum; plures ergo calo-
res numero diuersos potest hic ca-
lor in hoc ligno producere sed ni-
hil est præter Deum, quod illū pos-
sit determinare, vt hic, & nunc pro
ducat hunc numero calorē potiùs,
quàm illum. ergo Deus illum de-
terminat. Minorē probo, quia non
potest determinare illū hic locus,
aut hoc tēpus. Non hic locus, tum
quia iste effectus non habet con-
nexionem cum hoc loco, cum possit
conseruari segregatus ab illo, vt
experientia constat: tum etiā quia
alter effectus potest etiā produci
in hoc loco, vt paulo antea proba-
bamus. Non determinat hoc tem-
pus. tum quia iste effectus non ha-
bet connexionē cum hoc tempore,
cum possit cōseruari transacto hoc
ipso tēpore, vt experientia constat:
tum etiam quia alter effectus nu-
mero diuersus posset habere con-
nexionē cum hoc eodem tēpore,
cum possit in illo produci: nam si
duplex effectus seorsim sumptus
potest esse in hoc loco, cur nō pote
rit seorsim etiā esse in hoc tēpore.

58 Dices, quemlibet effectum
habere connexionē naturalē cum
sua duratione intrinseca, & cū hæc
essentialiter connectatur cum hoc
tempore extrinseco, necessariū est,
quod hic effectus habeat connexio
nem cum eodē tēpore extrinseco.
Sed cōtra primo lib. 4. probabo,
nullam entitatem durare per mo-
dum durationis sibi intrinsecè in-
hærentis, sed talem modum omni-
no reijciendū esse. Secundo, admit
tamus tal em modum. vel hic mo-
dus perseuerat transacto tempore
extrinseco, in quo fuit primò pro-
ductus; vel non perseuerat. Si hoc
vltimū ergo, cum videamus, perse
uerare effectū, nō est dicendū, talē
effectū habere cōnexionē cum illo
modo durationis. Si dicatur pri-
mū, nempe, quod modus durationis
perseuerat transacto tēpore extrin
seco, in quo fuit primo productus:
ergo talis modus durationis nō
habet connexionem essentialem
cum illo tempore, ac per conse-
quens neque calor, qui per illum
durat, magis cōnectitur cum hoc
tempore, quàm cum alio.

59 Tertio, demus, quod iste ef-
fectus petat durationē, quæ con-
nectatur cum hoc tempore, & non
possit alteri respondere: cur alius
effectus numero diuersus non po-
terit habere eandē durationē essen
tialiter connexā cum hoc tēpore?
Nam sicut quodlibet corpus seor-
sim sumptū potest habere præsen-
tiam in hoc numero loco, ita etiā
poterit quilibet effectus huius ca-
loris seorsim sumptus habere dura
tionē in hoc tēpore. Hinc est, quod
nulla ratio sumi possit ex parte tē-
poris, cur hic effectus modo produ-
cendus sit potius quām ille. & ideò
recurrendū est ad Deū, qui causam
determinet ad hūc numero effectū
producendū potiùs, quam illum.

60 Obijcit primo, P. Vazq. si
causa secūda posset producere plu
res effectus in hoc tempore, posset
etiam infinitos, quia si potest qua-
tuor producere, cur non quinque,
& deinde sex, & sic in infinitū? Hoc
autem videtur impossibile: quia,
cum

cum quælibet causa secunda sit finitæ, & limitatæ virtutis, non poterit continere infinitos effectus: dicamus ergo, quamlibet causam secundam in istis circumstantiis non posse producere nisi vnum effectum. Respondeo, causam secundã posse in quolibet tempore produtere plures, imo &, si placet, infinitos effectus seorsim, non simul, & collectiue. Ad producendos verò infinitos effectus diuisim & seorsim non est necessaria virtus infinita: intellectus enim hominis, & Angeli est finitæ, & limitatæ virtutis, & tamen per totum æternitatem producet diuisim infinitas intellectiones. Et quidem si argumentum P. Vazq. alicuius esset momenti, pugnaret contra ipsum: quia respectu quiuersorum temporum continet causa secunda plures, imo & infinitos effectus, vt ipse fateri tenetur, & tamen inde non sequitur habere infinitam virtutem: ergo neque ex nostra sententia.

61. Obiicit secundò: si causa secunda determinaretur à Deo ad hunc numero effectum potius, quã ad illum, sequeretur, quod posset ex natura rei determinari ad effectum semel productum, & corruptum reproducendum. Sequelam probat: quia causa secunda ex eo, quod semel iam produxerit effectum, non amittit virtutem intrinsecam illum producendi, cum hæc virtus non distinguatur realiter ab entitate causæ, ex alia parte nihil est ex parte causæ, quod petat alium numero effectũ potius, quàm illum: ergo, si Deus vellit illam determinare ad istum reproducendum, nihil faciet contra naturam causarum secundarum. Ex hoc autem duo sequuntur absurda. Primum, dari posse naturaliter reproductionem, quod negant communiter philosophi. Secundum, hominem eundem posse decidere idem semen, & disponere materiam ad introductionem animæ defuncti filij, ad cuius dispositionis exigentiam Deus posset demũ introducere animam filij, ac per consequens transmigratio animarum, & resurrectio mortuorum posset fieri naturaliter: quod quid absurdius? [illegible] P. Conimb. lib. 2. de Generat. cap. 11. quæst. 5. art. 3. §. *Si obijcient aliqui*, respondent, eandem causam non posse reproducere effectum semel à se productum, quia virtus eius semel effectum quasi effecta manet. Addunt tamen, quod si effectus, quem in sua virtute continet hæc causa, antea esset à Deo solo miraculosè productus, & interius subijsset, posset naturaliter reproduci ab hac causa: quia Deus per miraculosam productionem eius effectus neque abstulit ab ipsa causa virtutẽ productiuã illius, neque talem virtutẽ impediuit, atque adeò non est, cur non possit ex natura rei talem effectũ producere, si ad illud producendũ determinetur à Deo.

63. Hæc solutio mihi displicet. Et primò quod eadẽ causa nõ possit effectũ, quem semel produxerat iterũ reproducere ex eo, quod producto effectu manet effecta virtus

ipsius causæ; nescio, qua ratione possit intelligi: quia postquã causa semel effectum produxit, manet cum eâ iem virtute intrinseca productiua effectus: ergo non manet effœta talis virtus causæ. Antecedens probatur: quiã virtus productiua effectus nihil aliud est, quàm entitas causæ: sed producto effectu manet eadem entitas causæ: ergo manet ea iem virtus productiua effectus: ergo quatenus ex se est, potest iterum producere effectum. Confirmatur: quia, si, semel dato effectu, maneret effœta virtus causæ non posset illum postea conseruare. at nũ sępe conseruat: ergo non euacuatur virtus per productionem effectus.

64 Neque minus displicet id quod additur secundo loco, nempe quod, si effectus antea fuisset à Deo miraculosè productus, posset semel corruptus iterum reproduci ex natura rei à causa secunda, in cuius virtute contineretur. Etenim si hoc verum esset, absque vllo miraculo fieri posset, quod effectus iam corruptus reproduceretur: hoc autẽ non concedunt PP. Conimb. &c. Maiorem probo: quia duæ causæ secundæ possunt continere in sua virtute eundem effectũ; constat enim experientia, quod calor ab vno igne productus, conseruatur postea ab alio; quod fieri nõ posset, si iste alias non contineret in sua virtute illum effectũ. In hoc ergo casu, si vnus ex illis ignibus produxisset vnum numero calorẽ, & idem postea destrueretur, posset ex natura rei reproduci ab altero calore, quia, vt tu dicebas, ex eo, quod hic calor productus sit à Deo, non auferetur causæ secũdæ virtus productiua eiusdẽ, nec impeditur: ergo ex eo, quod productus sit ab vno igne, nõ auferetur alteri (in cuius virtute etiã continetur) virtus productiua eiusdẽ, nec impedietur: ergo non est, cur nõ possit ex natura rei eundẽ effectũ reproducere.

65 Respondeo ergo ad obiectionem secundam supra adductã, negando sequelam (quæ quidem apud PP. Conimb. admittitur à Richardo, & Scoto, qui putant, reproductionem rerum irrationalium posse contingere naturaliter.) Ad probationem nego secundã partẽ antecedentis, nempe quod nihil sit ex parte causæ secundæ petens alium numero effectũ potiùs, quàm illum, quem antea iam produxerat: quia, cum causa fuerit iam determinata ad illũ numero effectũ, & ad reliquos non fuerit vnquam determinata, potior est ratio reliquorum, vt modo ad illos determinetur causa, quam ratio illius, qui semel iam productus est: congruũ enim est, quòd ij, qui nunquam fuit producti, præferantur illi, qui semel iam productus est. In rationalib⁹ vero, qualis sunt homines, est alia specialis ratio, quæ probat animam semel separatam a corpore non posse naturaliter reuniri iterum eidem corpori, vel alteri: quia anima rationalis elicit operationes in hâc vita, quibus debetur quod post separationem a corpore vel luat in gehenna pœnas malegestorum, vel beatitudinem; seu cla-

claram Dei visionem obtineat in præmium eorum, quæ bene gessit in corpore. Pœna autem gehennæ & visio clara Dei componi nequeunt ex naturâ rei cũ reunione via generationis naturalis obtenta, vt Theologus edisces. Deinde peculiari Dei lege sancitum est, ne animæ semel à corpore separatæ reuniantur eidem corpori vi dispositionum introductarum ab agentibus naturalibus.

66 Objicies tertiò: si Deus determinat causas secundas quoad individuationem effectus, debet determinare quoad specificationẽ: sed non determinat quoad specificationẽ: ergo neque quoad individuationem. Maior videtur certa: quia differentia individualis; & specifica cuiuscunque effectus sunt idem a parte rei: ergo nõ potest dari realis determinatio ad individuum, quin etiam detur ad speciem. Nego maiorem. Ad probationem, concesso antecedente, distinguo consequens, non potest dari realis determinatio ad individuum, quin detur ad speciẽ prout existẽtem in illo individuo, concedo: quin detur ad speciem secundum se sumptam; nego consequentiam. Est dicere: id, quod determinat causam ad hoc individuum producendum, determinat etiam ad omnia prædicata, quæ realiter identificantur cum hoc individuo, non tamen determinat ad hoc, vt effectus producendus ab hac causa debeat esse aliquod individuũ huius speciei (quod est determinare causã quoad speciẽ) sed illa ex se est determinata ad per ad producendum aliquod individuum huius speciei; determinatur vero à Deo, vt hoc potius, quam illud de facto producat.

Secunda conclusio.

67 Dico secundò causa prima determinat etiam causam secundam liberam quoad individuationem effectus intra eandem intensionem. Explico conclusionem hoc exemplo. Proponitur voluntati obiectum per duplicẽ cogitationem, quarum vna repræsentat bonitatem; alia malitiã ipsius obiecti, seu difficultatem, quæ est in illo consequẽdo. Positis his cogitationibus potest voluntas pro suo libito amare, vel odisse obiectum: deinde potest amare (& idẽ esto de odio) obiectum magis, vel minus intense, v.g. actu intenso vt quatuor, vel vt quinque, &c. Præterea intra intensionem vt quatuor v.g. potest illud amare hoc numero, vel illo numero actu intensis vt quatuor. Dico ergo, quod, licet volũtas se determinet ad amandum vel odio habendum obiectũ, & ad illud amandum minori, vel maiori intensione; non tamen se determinat ad amandum hoc, vel illo numero actu intra eandem intensionem, sed Deus illam determinat.

68 Probatur hæc conclusio: quia, vt voluntas se determinet ad hunc actũ potiùs, quàm ad illũ intra eandem intensionem, debet præcedere cognitio huius, & illius actus

actus; sed non datur in nobis cognitio huius, & illius actus numero intra eandem intensionē: ergo non potest se determinare voluntas ad hunc actū potiùs, quam ad illū. Maior videtur certa: quia, dum voluntas ad hunc actum præ alio se determinat, eligit hunc actū præ alio: electio autem non datur nisi inter illa, quorū cognitio præcessit in intellectu, vt constat ex Arist. 3. Ethicor. cap. 2. vbi ait: *Non omne, quod sponte agimus, est eligibile, sed id, cuius consultatio antecessit electio namque cum ratione est, atque mente.* Ecce docet, eius, quod eligitur à voluntate, debere præcedere consultationem, seu (quod idem est in præsenti) cognitionem ex parte intellectus. Subscribit Damascenus libr. de Fide cap. 22. vbi ait: *Nihil enim aliud est electio, quam duabus rebus propositis* (hoc est, cognitis) *alterius præ altera susceptio.* Et ratio huius est quia, vt voluntas se determinet ad amandum aliquod obiectum, necessarium est cognoscere bonitatem illius: ergo ad hoc, vt se determinet ad amandū illud tali numero amore, necessarium est cognoscere aliquid, ratione cuius se determinet ad talē numero amorem: atqui ex parte obiecti nihil potest cognosci, ratione cuius voluntas se determinet ad hunc potiùs, quam ad alium numero actū, quia bonitas, quæ est in obiecto, potest hoc, & illo numero actu amari. ergo necessarium est quod cognoscatur talitas ipsius amoris.

69 Stet ergo tanquam certū, voluntatem non posse hunc numero actum præ alio eligere, quin vtrūque cognoscat. Iam, quod nō cognoscat illos, ostendit experientia, qua constat, non dari in nobis cognitionem huius, & illius numero actus intra eandem intensionē. neque enim vllam inter illos nouimus vnquam distinctionem, vt hunc potiùs, quàm illum eligere possimus. Ex quo recte infertur, non posse voluntatem se determinare ad hunc potius, quā ad illum numero actum, ac per consequens quod determinari debeat à Deo.

70 Obijcies: voluntas se determinat ad actum magis, & minus intensum sine cognitione maioris, vel minoris intēsionis: ergo potest se determinare ad hunc, vel illum actum intra eandem intensionem, sine præuia cognitione huius, & illius numero actus. Vt respondeam, noto 1. ad hoc, vt voluntas se determinet ad amandum, vel non amandum obiectum aliquod, necessariam non esse præuiā cognitionem amoris, seu relationis amoris; sed sufficere cognitionem bonitatis obiecti ex vnā parte, & ex alterā cognitionē malitiæ ipsius obiecti: sic enim potius, est voluntas libera ad amandum, seu non amandum obiectum, vt fatentur omnes. Noto 2. actum minus intensum in eo solum distingui ab actu magis intenso, quòd ille careat aliquibus gradibus, quos iste habet supra illum. Vnde determinare se ad amandum actu magis, vel minus intēso nihil aliud

est,

est, quàm se determinare ad amandum pluribus gradibus, vel non amandũ tot illis gradibus. Noto 3. actus voluntatis diuersos numero intra eandem intensionem non distingui ex eo, quod vnus careat gradibus, quos habet alter, sed ex eo, quod vnúquodque habeat differentiam positiuam individualẽ positiue distinctam ab altero.

71 Ex his respondeo ad obiectionem, concesso antecedente, negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia maior, & minor intensio solum distinguuntur penes id, quod est habere, vel non habere aliquos gradus qualitatis, & sicut ad amandum, vel non amãdum absolutè non est necessarium cognoscere amorem, vel carentiã amoris; sed sufficit cognoscere bonitatem, seu malitiã, quæ datur ex parte obiecti, ita etiam ad amãdum, vel non amandum per tot gradus sufficiet cognoscere obiectum, & nõ erit necessariũ cognoscere eos gradus, vel carentiam illorum. At vero actus numero diuersi distinguuntur penes differentias positiuas diuersæ rationis, ad quorum electionem non sufficit cognitio bonitatis, seu malitiæ obiecti, quia bonitatis cognitiõ solũ determinat ad amorẽ, vel ad cessationem modij, &, malitiæ cognitio vel ad odium, vel ad cessationem amoris: ergo ad hoc, vt voluntas determinetur ad hunc actum numero, qui præter carentiam alterius numero actus involuit differentiam positiuam, necessaria est alia cognitio, quæ talem differentiam repræsentet, ratione cuius determinari possit voluntas ad hunc actum præ alio eliciendum.

72 Rogas, qua ratione determinet Deus voluntatem quoad individuationem actus intra eandem intensionem, non lædendo iura libertatis? Respondeo, ita se habere rem. Quando Deus alligat suam omnipotentiam voluntati, vt eam pro libito ipsius voluntatis comitetur ad amorem, seu odium, v.gr taliter rem disponit, vt velit, omnipotentiam non comitari voluntatem ad odium, nisi hoc numero odio, neque ad amorem, nisi hoc numero amore. Vnde, si voluntas se determinet ad odium eliciet cum omnipotentia hoc numero odium, & non aliud, quia non est illi paratus cõcursus ad aliud nisi ad illud, & idem dicito, si voluntas se determinet ad amorem. Vt, si mihi habenti tres calamos auferas duos, & vnum relinquas, non me determinas ad exercitiũ scribendi; sed solum ad hoc, vt si velim scribere, nõ scribã alio calamo nisi illo. Sic Deus dũ mihi parat concursum ad hunc numero actum, & non ad alium, non me determinat ad exercitium huius actus, & ideo possum illũ suspẽdere, sed solum me determinat ad hoc, vt si aliquem actũ sim eliciturus pro meo libito, hunc eliciam, & non alium. Et in hoc sensu dicimus, Deum determinare voluntatem quoad individuationẽ actus; quod quidẽ contingit illæso omnino iure libertatis quoad exercitium, vt constat.

DIS-

DISPVTATIO XV.

De Creatione.

CReatio est actio ad solam primam causam pertinens tanquam ad proprium, & connaturalem agens: id circò inuestigabimus eius naturam in hoc loco.

SECTIO. I.
Quid sit creatio?

1 CReatio laxè sumitur pro eo, quod est aliquid denuò facere. Secundùm hanc vero considerationem non pertinet ad præsentem disputationem, sed strictè sumpta. In qua acceptione definitur a S. Thoma 1. p. quæst. 45 his verbis. *Creatio est productio rei ex nihilo* Quam definitionem Theologi omnes admittunt; licèt non omnes eodem modo eam explicent. In primis *productio rei* ponitur loco generis, in quo conuenit creatio cum eductione, vtraque cum est productio rei. Tota difficultas est in explicando illo *ex nihilo*. Quidam existimarunt, producere *ex nihilo* esse idem, ac produci *ex non repugnantia sui*. Sed hoc est falsum: quia vel res producitur ex non repugnantia sui tanquam ex parte componente; vel tanquam ex termino *à quo*. Non primum: quia, cum non repugnantia sit idem realiter cum existentiâ, non potest hæc ex illâ tanquam ex parte componi realiter. Neque secundum, quia terminus *à quo* desinit ex vi termini, *ad quem*, &, non repugnantia rei non desinit esse ex vi ipsius rei productæ, cum sit idem cum illâ.

2 Alij dicunt, produci rem *ex nihilo* esse ita produci, vt ante eius productionem nihil præextiterit pertinens ad ipsius constitutionem. Sed hi non placent: quia forma, quæ educitur ex potentiâ subiecti, ita producitur, vt ante eius productionem nihil præextiterit pertinens ad ipsius constitutionem, vt patet, & nihilominùs non dicitur produci *ex nihilo*. Alij docent, produci *ex nihilo* esse idem, ac produci ex negatione sui tanquam ex termino *à quo*. Id tamen non potest esse verum: quia, si Angelus produceretur ab æterno (vt iuxta communiorem sententiam fieri potuit) reuerâ diceretur creari, & produci *ex nihilo*, & nihilominùs non præextitisset negatio eius, ex quâ fieret tanquam ex termino *à quo*.

3 P. Hurt. in Phys. disput. 12. sect. 1 docet, produci *ex nihilo*, esse idem, ac produci ex nullo cõcurrente subiecto, vel formâ intrinsecâ, quia creationi tàm officit concursus formæ, quam materiæ, cum id, quod fit formâ concurrente, fiat ex aliquo, nempe ex ipsâ formâ: atq; adeo docet, quod, si vnius alicuius compositi crearetur, nihilominùs non diceretur creari compositum, quia fieret ex materiâ, & formâ. Hæc etiam sententia est falsa. Primo quia, si id, quod fit ex formâ, nõ potest creari,

ri; quia iam fit ex aliquo: ergo etiam id, quod fit ex partibus integrantibus, non poterit creari, cum etiã fiat ex aliquo, nempe ex ipsis partibus. Vnde sequeretur, materiã primã non creari posse: quia, cum ex partibus componatur, ex illis necessario fiet, quando producitur, si quidem *vnumquodque fit ex his, ex quibus componitur*. Secũdo quia compositum producitur per actionem, per quam producitur vnio: ergo, si vnio producitur per creationem; etiam producetur compositum, etiam si constet ex materiâ, & formâ.

4 Dico ergo, in definitione creationis idem esse produci *ex nihilo*, ac ex nullo præsupposito subiecto recipiente mediâ ipsâ terminum. Ratio est: quia creatio, & eductio sunt duæ oppositæ species actionis vt sic: ergo creatio in esse talis constituetur per differentiam oppositam eductioni: sed eductio constituitur in esse talis per hoc, quod est fieri dependenter à subiecto recipiente mediâ ipsâ terminum; vt fatentur omnes. ergo creatio ex opposito constituetur per hoc, quod est fieri independenter à subiecto recipiente mediâ ipsa terminum; ac per consequens illud *ex nihilo* id denotat in definitione creationis. In hunc sensum explicant iam communiter definitionem creationis Philosophi, & Theologi, vt docet P. Suar. in Metaph. disput. 20. sect. 1.

5 Ex hoc constat, quàm abs re nonnulli dixerint, creationẽ esse relationem prædicamentalẽ, qua entitas creata refertur ad Deum vt creatorem. Etenim hi abutuntur voce *creationis*: quia creatio ab omnibus dicitur *productio rei ex nihilo*. atqui relatio prædicamentalis non est productio rei; sed supponit eam iam productam, cum relatio effectus ad causam fundetur in actione, vt docet Arist. in Log capit. de Relat. ergo creatio non potest esse relatio prædicamentalis; sed ipsa actio, per quam res creata producitur.

6 Obijcies S. Thom. qui 1. par. quæst. 45 art. 3. docet Deum creando producere res sine motu, quo subtracto ab actione, & passione, nihil remanet nisi relatio, & concludit: *Vnde relinquitur, quod creatio in creatura non sit, nisi relatio quædam ad creatorem, vt ad principium sui esse*: ergo sentit S. Thomas, creationem esse relationem prædicamentalem. Respondeo, longè aliam esse mentem Angelici Doctoris: quia tria ibi distinguit in actione, quæ est mutatio, nempe respectum ad agens, ad subiectum præexistens, & ad terminum; passionemque vocat istum vltimum respectum, quia est id, medio quo terminus accipit esse ab agente. Docet autẽ, quòd, si ab actione auferatur ratio motus, nempe respectus ad subiectũ præexistens, per quem completur actio in esse motus; nihil remanet nisi relatio, inter agens videlicet, & terminum, vbi non loquitur de relatione prædicamentali, quæ resultat posito iam termino,

nino, sed de relatione transcendentali, quia actio transcendentaliter refertur ad agens, & terminum & ideo apud S. Thomam in præsenti idem est, *nihil remanere nisi relationem*, ac, nihil remanere nisi viam agentis in terminũ, quæ nihil aliud est, nisi actio, quã creationem vocamus. Hæc explicatio deducitur ex contextu.

SECTIO. II.

An creatio distinguatur realiter a creante, & termino creato?

6 DVpliciter potest vnum distingui realiter ab alio nempe tanquam res a re; vel tanquam modus a re. Certum ergo est, quod, si creatio distinguatur realiter à creãte, & termino creato, talis distinctio non erit rei à re. Quærimus verò: an distinguatur tanquã modus à re? P. Vazq. tom. 2. in 1. part. disp. 173 cap. 3. docet, creationẽ sola ratione distingui à termino tam in his, quæ ex naturâ suâ petunt produci per creationem, vt sunt Angelus, anima rationalis, &c. quam quæ miraculose creantur; vt est quantitas Eucharistica. P. Hurt. hìc disp. 12 sect. 3. num. 51. & 56. docet, creationem termini potentis ex naturâ suâ creari esse idem realiter cũ ipso termino: at vero creationem termini, qui miraculose creatur, esse realiter distinctam ab illo. P. Valen. 1. par. disp. 3. quæst. 2. docet, creationẽ non distingui realiter ab ipsa volitione Dei, qua Deus vult, esse rem creatam. Alij docent, creationem esse idẽ realiter cum volitione Dei, & termino creato. P. Suar. in Meta. disp. 20. sect. 5 & P. Molina. 1. par. q. 45. ar. 3. docent, creationem esse realiter distinctã à creãte, & termino creato. Hanc sentẽ iã amplector vt veram. Pro maiori tamen explicatione.

8 Dico 1. creatio non est idẽ realiter cum intrinseca volitione Dei, qua Deus vult, rem creatam existere. Hęc est contra. P. Valentiã. Probatur. quia volitio intrinseca Dei datur ab æterno: sed creatio non datur ab æterno: ergo creatio non est idẽ realiter cũ volitione Dei. Patet consequentia: quia non possunt esse idẽ ea, quæ realiter separantur. Maior est certa apud Theologos. Minor vero probatur: quia de essentia creationis est constituere Deũ actu creantẽ, & terminum actu creatu, Angelũ v. g. at neque Deus fuit ab æterno actu creans, neque Angelus actu creatus, cum ille creatus fuerit in tempore; ergo creatio non fuit ab æterno in Deo.

9 Dices. ab æterno est volitio in Deo creandi Angelum pro tali tempore, non tamen creandi illum ab æterno: Vnde ab æterno, fuit creatio in Deo non pro æternitate, sed pro tali tẽpore, & ideo non creat Deus per totã æternitatẽ sed tantum eo tẽpore, quo vult creare. Sed contra: per te volitio creãdi est creatio actualis, ergo si ab æterno est in Deo volitio creãdi pro tali tempore, ab æterno est etiam

etiã in Deo creatio pro tali tẽpore. Hoc autẽ implicat: quia cũ tale tẽpus non fuerit ab æterno, non potuit Angelus ab æterno esse creatus pro tali tẽpore; sed creabilis.

10 Aliqui recentiores dicunt, volitionẽ Dei esse idẽ realiter cũ creatione in ratione entis, non tamen in ratione denominationis. Sed horũ placitum refutatum est in simili disp. 5. sect. 1. n. 15: & sequent. Objicies tamen D. Thom. 1 p. q. 45. art. 2. ad 1. vbi ait: *Creatio a true significata significat actionem Diuinam, quæ est eius essentia cum relatione ad creaturam*: ergo ex mente S. Thomæ creatio est idẽ realiter cũ volitione Dei. Respõdeo, S. Thom. in hoc loco non sumere creationẽ pro ipsâ productione, sed pro causâ, ex quâ immediate oritur ipsa productio. Vnde essentiã, seu volitionem Dei vocat creationẽ non formaliter, sed actiue: quia videlicet ex eâ immediate oritur essentialiter creatio formalis. Hanc explicationẽ colligo ex 1. contra Gent. cap. 79 in fine; vbi expresse distinguit volitionem Dei à creatione formali, ait enim: *Neque est simile de relatione volentis ad volitum, & creantis ad creatũ, & facientis ad factum: nã velle est actio volentis immanens, vnde non contingit intelligi aliquid extra existẽs actu, sed facere, & creare significant actionẽ terminatam ad exteriorem effectum, sine cuius existentia huiusmodi actio non potest intelligi.* Ex adductis distinctionẽ inter volitionẽ Dei, & creationẽ, eamque probat ex eo, quod volitio potest esse sine re creata, vt reuera fuit ab æterno: creatio vero non potest esse, neque intelligi sine re creata: ergo manifeste sentit, hæc duo separari, ac per consequens esse distincta.

11 Dico 2. creatio non est idem realiter cum termino creato in his, quæ miraculosè producuntur per creationẽ. Probatur: quia quantitas Eucharistica, quæ miraculosè creatur, separatur realiter à creatione: ergo realiter distinguitur ab illa. Consequentia est bona. Antecedens autem probatur: quia ea quantitas ante cõsecrationẽ erat educta de potẽtia materiæ: ergo non erat creata, quia eadem res non potest ex natura rei creari simul, & educi, cũ hæc sint actiones oppositæ. ergo ante consecrationem quantitas erat separata realiter à creatione.

12 Respondet P. Vazq quantitatem, dum creatur, habere modum quendam positiuum perfectatis, ratione cuius terminat creationem, & identificatur realiter cum ipsâ creatione. Sed contra 1. vel creatio est idem realiter cum modo perfectatis, & quantitate simul sumptis, vel solum cum modo perfectatis. Non primum; quia creatio vt talis opponitur cum eductione, quantitas autem, cum ex naturâ rei petat educi, non potest opponi cum eductione, ac per consequens neque identificari adhuc inadæquate cum creatione. Si dicas secundum: ergo id, per quod quantitas à Deo creatur, est illemodus perfectatis: ergo illo

ille modus est creatio, ac per consequens creatio distinguitur iam à quãtitate, quæ est terminus creatus. Secundo: vel ille modus perseveratis producitur dependenter ab ipsâ quantitate, vt a subiecto; vel non. Si primum: ergo producitur per eductionem, quia eductio est actio, per quam res producitur dependenter à subiecto. Si secundũ: ergo datur aliquod accidens, quod sit independens à subiecto, ac per consequens, quod nõ inhæreat subiecto: quod erat tuũ argumentũ, vt probares, non distingui creationem realiter a termino.

13 Dico 3. creatio non est idem realiter cum termino creato adhuc in his, quæ ex natura sua possunt produci per creationem. Est contra P. Hurt & P. Vazq. Pro cuius probatione pono primò id, quod doceo infra lib. 3. nempe actiones non solum specificari à termino, sed etiam ab agente. Pono 2. res, quæ a Deo producuntur extra ipsum Deum, oriri immediate ab actu volitionis Dei, quo ipse vult illas producere; neque enim necessarium est in Deo formaliter distinguere aliam potentiam, quæ executioni mãdet effectus; sed ipse actus volitionis id præstabit modo dicẽdo in materia de Volũtate.

14 Pono 3. volitionem, qua Deus vult creare Angelũ propter vnũ finẽ, esse formaliter, seu virtualiter diuersã a volitione, qua vult creare eundem Angelum propter alium finem. Vt, si Deus Michaelem, v.g. quẽ de facto creauit ad supernaturalẽ beatitudinem, creauisset ad finem aliquem naturalẽ, vt reuera potuit, illum quidẽ produxisset per volitionem formaliter, seu virtualiter diuersã ab ea, per quam de facto produxit, quia tunc verè diceretur velle Angelũ propter finem naturalem, & non velle illum propter finẽ supernaturalem: hoc autem sufficit, vt volitiones istæ sint formaliter, seu virtualiter diuersæ, vt doceberis in materia de Volũtate. Deinde tales volitiones sunt quasi specie diuersæ, quia actus voluntatis tendẽtes ad obiecta tã materialia, quã formalia specie diuersa, specie, aut quasi specie distinguuntur inter se, vt dicemus in libris de Anima.

15 Pono 4. actionẽ, quæ immediate oritur ex volitione, qua Deus vult creare Angelum propter finem supernaturalem v. gr. esse specie distinctam ab actione, quæ immediate oritur à volitione, qua vult eundem Angelum creare propter finem naturalem. Ratio est, quia ex vna parte actiones specificantur a principijs: ex alia vero volitiones, quę sunt principia prædictarum actionum, sunt specie distinctæ, vt constat ex numero præcedenti: ergo &c. Sed 2. ces: actiones specificantur ab agẽtibus, prout dantur a parte rei: sed volitio, qua Deus vult creare Angelum propter finem supernaturalem, est idem a parte rei cũ volitione, qua vult illum creare propter finem naturalem: ergo actio, quæ specificatur ab vnâ volitione, specificatur etiam ab aliâ, ac per consequens omnes actiones, quæ imme-

immediatè oriuntur ab istis volitionibus, erunt eiusdem speciei. Respondeo, maiorem propositionem esse veram in agentibus crearis, non vero in increato: quia sicut Deus propter eminentem perfectionem sui esse potest absolute dici, creare Angelum à parte rei propter hunc finem, & non propter illum, etiam si volitiones, quibus vellet Angelum propter diuersos fines seorsim, sint eædem à parte rei, ita etiam potest absolute dici actio à parte rei oriri immediatè, & specificari ab vna volitione; & non ab alia. Est simile exemplum Fide sanctum in Verbo Diuino, in quo personalitas, & Diuinitas sunt idem a parte rei, & nihilominus vnio, per quam Verbum Diuinum est vnitum humanitati Christi Domini, solum attingit immediatè personalitatem; non verò Diuinitatem, & ab illa tantùm specificatur immediatè, non à Diuinitate.

16 His positis, probatur conclusio; quia Deus potest eumdem Angelum producere per creationes specie diuersas: ergo creatio est realiter distincta ab Angelo. Antecedens probatur: quia potest Deus velle creare Angelum per volitiones specie diuersas, vt constat ex tertia positione; sed creationes immediatæ ortæ à volitionibus specie diuersis essent specie diuersæ, vt constat ex quarta positione: ergo potest Deus creare Angelum per creationes specie diuersas: atqui Angelus semper est idem specie: ergo distinguitur realiter à creationibus, per quas creatur.

17 Dico quartò: creatio non componitur ex volitione Dei actiue, & ex termino creato passiue. Est contra Ferraram. Eam verò tradit P. Hurt. supra sect. 3. num. 64. Probatur: quia non potest Deus esse creans actiue, quin Angelus sit creatus passiue; quia id, quod est actu agens, alicuius debet esse agens: sed volitio Dei datur ab æterno in Deo, quin Angelus sit passiue creatus ab æterno: ergo volitio Dei non est creatio actiue. Confirmatur: quia creatio formaliter vt creatio est id, quo terminus actu fluit ab agente; sed volitio Dei nò est id, quo actu fluit Angelus à Deo: ergo non est de conceptu creationis vt talis; sed solùm se habebit tanquam causa, a qua oritur Angelus per creationem. Minor probatur; quia ab æterno datur in Deo volitio, & tamen non fluit ab æterno Angelus à Deo: ergo volitio Dei non est id, quo actu fluit terminus à Deo. Stet ergo tanquam certum, creationem non esse aggregatum ex termino creato, & volitione Dei. Ex omnibus istis conclusionibus sequitur, creationè esse actionem de prædicamento actionis interiectam realiter inter Deum, & terminum creatum: quia, si non est solus terminus, neque Deus solus, neque vterque simul, necessario debet esse aliquid interiectum tan-

quam via, mediâ quâ terminus, oritur à Deo, in quo consistit ratio actionis.

18 Objicies primò: ea, quæ per suam essentiam à Deo pendent, non possunt dependere per actionem superadditam, vt constat in ipsa actione: sed creaturæ per suã essentiã pendẽt à Deo: ergo non per actionem superadditam. Minor probatur: quia per suam essentiam sunt ens participatum à Deo: ergo, &c. Distinguo maiorem: ea, quæ per suam essentiam pendẽt in actu primo à Deo, non possunt dependere per actionem superadditam, nego: quæ per suam essentiam pendent in actu secundo à Deo, non possunt pendere, &c. concedo maiorem. Et distinguo similiter minorẽ: creaturæ per suam essentiã pendent in actu primo à Deo, concedo: in actu secundo, nego minorẽ. Est dicere: creaturę per suam essentiam sunt tales, quæ non possint esse in rerũ natura, quin Deus concurrat ad illarũ productionem, & ideo essentialiter petunt à Deo produci: at quia invariata entitate, creaturæ, potest variari dependentia actualis, ita vt modo per hanc dependentiam, modo per illam dependeat actualiter à Deo iuxta dicta pro tertia conclusione; ideò dicimus, non esse de essentia entis creati dependentiam actualem, seu dependere in actu secundo à Deo, quãuis sit de essẽtia illius dependere in actu primo, hoc est, esse talem, quæ non possit esse in rerum natura, quin actu dependeat à Deo per hanc, vel illam dependentiam.

19 Objicies secundò: Angelus per suam entitatem est independẽs à subiecto: ergo non eget creatione à se distincta, vt producatur. Consequẽtia videtur bona: quia, cum creatio sit id, per quod terminus est independens à subiecto, si ipse id habeat per suam entitatem, ipse erit creatio. Antecedens autem probatur: quia Angelus per suam entitatem est actus completus, qui nullo modo potest totum aliquod componere tanquam forma informans: sed id, quod non potest cõponere tanquã forma, non potest produci dependenter à subiecto: ergo se ipso est independẽs à subiecto: ergo se ipso creatur. Distinguo primũ antecedens: Angelus per suã entitatem est radicaliter independens à subiecto: cõcedo; formaliter, nego antecedens. Est dicere: Angelus per suã entitatẽ petit produci mediâ actione, ad quã non concurrat subiectũ, at vero non producitur, seu non dependet actu immediate per suã entitatẽ; sed mediâ actione realiter distincta, vt cõstat ex dictis. Vbi aduerte, independẽtiam posse sumi dupliciter, nempe pro negatione, seu carentia dependẽtiæ à subiecto; & pro forma positiua, per quam ita terminus producitur, vt per ipsam non dependeat à subiecto: licèt ergo Angelus non egeat forma superaddita positiua, vt sit independens primo modo; indiget tamen illa, vt sit independens secundo modo.

SE-

SECTIO III.

Vtrum creatio habeat subiectũ, in quo recipiatur?

20 PRæcipuum argumentum, quo nituntur hi, qui omnino negant, creationẽ à termino, vel a creante distinctã, est: quia, si creatio distingueretur ab agente, & termino, esset accidens, cum ad prædicamentũ actionis pertineret, ac per cõsequẽs deberet inhærere alicui; quia id est de essentia accidentis. sed creatio non potest inhærere alicui; cũ per suã essentiã sit independens à subiecto: ergo non potest distingui realiter à termino, & agente. Propter hoc argumentũ nonnulli ex his, qui nobiscum creationem ab agente, & termino realiter distinguunt, asserunt, creationem recipi, seu inhærere suo termino.

21 Dicendũ tamen est, creationẽ nullũ habere subiectũ receptionis, seu inhæsionis. Ita P. Suar. in Meta. disp. 10. sect. 5. nu. 27. P. Hurt. hìc disp. 12. sect. 4 & multi recẽtiores. Probatur primò: quia terminus creatus non potest esse subiectũ, in quo creatio recipiatur: ergo in nullo subiecto recipitur. Consequẽtia est bona, quia nullum aliud subiectũ creationis assignatur ab aduersarijs præter terminũ. Antecedens probatur. quia, si terminus esset subiectũ receptiuum creationis; esset causa materialis illius, ac per consequẽs prius naturâ ipsâ creatione. atqui terminus non potest esse prior naturâ creatione ergo, &c. Minorẽ probo: quia vna, & eadem entitas non potest esse prior, & posterior naturâ respectu eiusdẽ, vt dicemus dis. 18 sec. 3. sed terminus qui producitur per creationẽ est natura posterior ipsa creatione iuxta dicta disp. 10. n. 22. ergo non potest esse natura prior ipsa creatione.

22 Respondẽt aduersarij, terminum esse priorẽ, & posteriorem creatione non in eodẽ genere; sed in diuerso; quia terminus est prior creatione in genere causæ materialis; creatio vero est prior termino in genere causæ efficientis. Adduntque, non esse inconueniẽs, quod duo extrema mutuo sint priora interse in diuerso genere causæ. Sed cõtra primò: infra probabo, duo extrema non posse esse mutuò priora interse adhuc in diuerso genere causæ. Secundò, in præsenti casu sequeretur, quod creatio, prout ad genus causæ efficientis pertinet, esset prior, & posterior termino: quia in primis, prout est causalitas efficiẽtis, esset prior ipso termino, cũ sit id, medio quo efficiens illum produxit: deinde sub eâdẽ ratione esset posterior termino; nam per te ex eo creatio debet pẽdere à termino tanquã à subiecto inhæsionis, quia est accidens sed, vt est causalitas efficiẽtis, est accidens. ergo, vt est causalitas efficientis, pẽdere debet à termino tanquam à subiecto inhæsionis. atqui id, quod cõuenit actioni prout est causalitas efficiẽtis, pertinet ad genus causæ efficiẽtis. ergo, prout ad genus causæ efficiẽtis pertinet, debet pẽdere à termino tanquã à subiecto: ac per

consequens est posterior illo ergo, prout ad genus causæ efficientis pertinet, est prior, & posterior termino.

23 Secundò probatur conclusio, quia, si terminus creatus reciperet in se creationem, esset causa materialis sui ipsius, atqui non potest esse causa materialis sui ipsius, vt constat: ergo, &c. Maiorē probo quia id, quod est causa causalitatis in aliquo genere, in eodē genere est causa termini causati per talē causalitatē, neque enim agēs alia ratione efficit effectum, nisi efficiendo actionem, per quam talis effectus producitur, neque generans alia ratione generat compositū, nisi producendo compositionem, per quā ex partibus resultat, sed per te terminus est causa materialis actionis, per quā ipse terminus producitur: ergo est causa materialis sui ipsius. Cōfirmatur efficaciter quia causalitas per suam essentiā, est id, quo terminus illius actu pendet à sua causa: ergo ab eadem causa, à quâ pendet causalitas, pēdet mediâ ipsâ causalitate terminus illius, sed per te creatio, quæ est causalitas, mediâ quâ producitur terminus, pendet à suo termino tanquā à subiecto: ergo mediâ illâ ipse terminus pēdet à se ipso: hoc autē est impossibile: ergo, & illud, ex quo sequitur

24 Ad argumentum initio sectionis adductū respōdeo, non esse de essentia accidentis vt sic inhærere, seu recipi in alio, quia forma substantialis materialis recipitur in materia, & tamen non est accidens. Ratio ergo accidentis, vt sic cōstituit in hoc, quod est *afficere substantiā extra conceptū substantiæ* Dicitur *afficere substantiam*, quod intellige per adhæsionē, vel inhæsionē: quia quocunq; ex istis modis illi coniungatur, re-uerâ est quid illi accidens: neq, est necessarium, quod substantiam immediate afficiat; sed sufficit, quod vel illā afficiat, vel aliquid, quod ex se ordinetur ad illā afficiēdam: quantitas enim separata a substantia in Eucharistia habet iuxta cōmunē sentētiam modum quēdam perseitatis, qui, cum sit, accidēs, nihilominus non afficit immediate substantiam; afficit tamen quātitatē, quæ ex natura sua ordinatur ad afficiēdam substantiam.

25 Additur in definitione *extra conceptum substantiæ*, quia ita debet accidens substantiā afficere, vt ex propria differētia illi repugnet, totum aliquod substātiale componere. Per quod distinguitur à substantijs incōpletis, & modis substantialibus, quia hæc semper sunt de integritate alicuius totius substantialis. Vide, quæ diximus in log. dis. 14. sect. 1 & disp. 16. sec. 1. Dū autē Arist & S. Th. dicunt, q̄ de ratione accidētis est esse in subiecto, intelligēdi sunt de subiecto inhæsionis, seu adhæsionis, de quo dixit S. Th. 1. p. q. 45. ar. 3. ad 3. terminū creatū esse subiectū creationis: & addit, esse priorē illa, quod intellige de priori-tate rationis, quia nostro modo concipiendi prius est, q̄ terminus existat quā q̄ denominetur creatus.

SE-

SECTIO IIII.

De His, quæ creari possunt, & educi.

26 CErtum est primo, Angelum, animam rationalem, & materiam primam produci per creationem ex natura rei. In hoc conueniunt omnes. Deinde ex dictis suprà disput. 3. sect. 3. constat, omnes formas accidentales, & ex substantialibus eas, quæ sunt materiales, produci per eductionem. Certum est tertiò, ex his formis eas, quæ non sunt modi, posse supernaturaliter produci per creationē. Id est nobis certum de quantitate ex mysterio Eucharistiæ, & ex quantitate argumentum à paritate sumimus ad reliquas. Est tamen difficultas circa modos, qui non recipiuntur se ipsis in subiecto, sed mediâ receptione, vt est modus vnionis materiæ, & formæ, subsistētia, ac alia similia, an possint produci supernaturaliter per creationem?

27 Pars affirmatiua placet mihi cum P. Hurt. hic sect. 5. & nonnullis recentioribus. Probatur quia, licèt modus vnionis, v. g. se ipso sit connexus cum materia vt subiecto receptiuo illius, non tamen recipitur actu in illâ per se ipsum, sed per eductionem, seu receptionem superadditam, vt diximus disp. 5. sect. 2 & 3 cur ergo nō poterit loco eductionis substitui creatio ad illū producendū? Confirmatur, quia nullū prædicatum est vnione, rationi cuius contradictionem inuoluat, quod de facto producatur per creationē: ergo poterit id fieri de potentiâ Dei absolutâ Antecedens probatur: quia, si aliquod, maxime esse vnionem se ipsâ vnitam materiæ, vt tali, hoc est, vt potentiæ receptiuæ ipsius vnionis; sed esse vnionem se ipsâ actu vnitam cum potētiâ receptiuâ ipsius non pugnat contradictorie cum hoc, quod est actu nō recipi in illa: ergo neq, cū creatione. Cōsequentia est bona: quia per creationem producitur res non recepta in subiecto, modo infrà explicando. Minorē probo: quia etiam si vnio non esset actu recepta, saluaretur, quod esset actu vnita cum materiâ petente ex naturâ suâ illam recipere, sicut de facto saluatur, quod quantitas Eucharistica sit producta de facto cū exigentia subiecti, etiamsi actu nō sit in illo ergo vnio actualis cum materiâ non pugnat contradictorie cum non receptione in illâ. De passione, quæ se ipsa recipitur in subiecto infra sect. sequēti dicam; an possit supernaturaliter produci per creationem?

28 Secundò est difficultas: an ea, quæ ex natura sua petunt produci per creationem, vt Angelus, materia prima, & anima rationalis, possint supernaturaliter produci per eductionem? Et quod attinet ad Angelum, & materiā primā, certum est apud eos, qui rem hanc attigerunt, non posse produci per eductionem. Ratio est: quia eductio est actio per se tendens ad terminum, qui simul cum subiecto

ipsius eductionis constituat vnum totũ, vel ex inductione omniũ eductionũ, quas nouimus, colligi potest: sed Angelus, & materia prima non possunt constituere totum aliquod cum subiecto ergo neque terminare eductionẽ. Minor probatur: quia id, quod cum subiecto constituit totũ aliquod, debet esse forma, vt in cõfesso est apud omnes philosophos sed materiæ primæ, & Angelo repugnat ratio formæ, quia materia est primũ subiectum ex natura sua, cũ quo opponitur ratio formæ, deinde Angelus est substantia cõpleta cui repugnat ratio formæ, quia de ratione formę est esse entitatẽ incõpletam ex se ordinatam ad cõponendum totũ cũ subiecto ergo materiæ primæ, & Angelo repugnat cõponere totum aliquod cũ subiecto: ergo & ex illo educi.

29 Ratio à priori est. quia eductio per se videtur tendere ad cõplendum subiectum · vt tale ergo per se debet tendere in terminum, cui non repugnet complere subiectum vt tale: atqui materiæ primæ, & Angelo repugnat complere subiectum vt tale, vt constat ex dictis · ergo, &c. Dices sicut eductio per se tendit in terminũ qui sit forma, ita creatio per se tendit in terminum per se statẽ: atqui hoc nõ obstãte potest creatio supernaturaliter terminari ad entitatem non stantem per se, cum terminari possit ad accidentia realia, & ad modos · ergo & illo non obstante poterit eductio terminari ad materiam primã, & ad Angelũ, etiãsi non sint formæ. Respondeo, creationem per se tendere in terminũ per se stantem, hoc est, qui sit independens a subiecto: non autem pugnat cum prædicatis accidẽtis realis esse independẽs à subiecto, vt constat in quantitate Eucharistica, neque cum prædicatis modi, vt probatũ est, & ideò possunt supernaturaliter creari. At verò materia primæ, & Angelo repugnat esse formam, vt dictum est, & ideo non potest adhuc supernaturaliter ad illa terminari eductio, quæ per se tendit in entitates, quę habeant rationem formæ.

30 De anima rationali negat etiam Pater Hurtado posse produci per eductionem. Probat quia, vt eductio posset substitui loco creationis, quam ex natura rei petit anima rationalis, deberet continere illam formaliter, seu eminenter · at eductio non continet creationem formaliter, cũ non sit eiusdem speciei, neque eminenter, cum sit imperfectior creatione ergo eductio non potest substitui loco creationis animæ. Maiorem putat certã: quia id, quod loco alterius substituitur, debet aliquomodo continere virtutem illius alioqui qua ratione præstabit eius effectum? Hæc tamen ratio est infirma quia illa eductio, vt pote quæ esset supernaturalis, excederet in perfectione creationem naturalem animæ · ergo illam posset continere eminenter, si maior perfectio sufficit ad talem continentiam.

31 Ego vero nullam invenio impli-

implicationem in eo, quod anima rationalis, quatenus est ex parte sui, supernaturaliter educatur ex materia adhuc corporea. Ratio est quia non repugnat ratione spiritualitatis animæ, ratio enim spiritualis cõsistit in eo, quod sit naturaliter penetrabilis eo modo, quo dicam in libris de Anim. quod quidem non tolleretur ab anima, etiamsi miraculose educeretur ex materia, vt per se constat: neque repugnat ratione incorruptibilitatis animæ, quia, posita eductione miraculosa, semper ex natura rei exigeret ipsa anima produci per creationem ergo cessante eductione nõ cessaret anima, si iura eius seruarentur, sed succederet creatio: neque pugnat ratione indiuisibilitatis animæ, quia hæc non tolleretur ex eo, quod deperderet à subiecto diuisibili, sicut non pugnat cum indiuisibilitate animæ, quod vniatur (vt defacto contingit) subiecto diuisibili. deinde non est aliud prædicatum, ratione cuius repugnet talis eductio. ergo, &c.

32 Ratio a priori est: quia anima rationalis de se est nata complere subiectum vt tale, cum sit forma ergo est capax terminandi eductionem, quæ per se tendit ad complendum subiectum vt tale. Quod vero terminus sit educibilis ex natura rei, prouenit ex eo, quod ex natura rei non possit existere, quin compleat aliquod subiectum cum autem anima rationalis possit ex natura rei existere, quin compleat aliquod subiectum, ideo non est educibilis ex natura rei.

33 Dices primò: res spiritualis non potest contineri in potentia subiecti corporei: ergo non potest ex illo educi. Distinguo antecedens non potest contineri in potentia naturali subiecti corporei, concedo: in potentia obedientiali, nego antecedens: quia, si anima rationalis, cum sit ordinis naturalis, potest per potentiam obedientialem recipere habitum supernaturalem gratiæ, quid mirum, quod materia corporea possit per potentiam obedientialem recipere formam spiritualem, etiamsi hæc sit superioris ordinis? Hic aduerte, nos in præsenti non asserere, dari defacto aliquam materiam possibilem ex qua defacto possit educi anima rationalis, sed solum, id non implicare ratione prædicatorum, quæ defacto in anima cognoscimus. An vero aliunde repugnet? Non curamus, quia nullum apparet fundamentum ad vnam, vel alteram partem definiendam.

34 Dices secũdò: illa eductio nõ posset esse spiritualis, quia dependeret à materia corporea tanquã ab intrinseco subiecto. neq, posset esse corporea, quia esset productio rei spiritualis: ergo absolutè est impossibilis, cũ non detur mediũ inter spirituale, & corporeum. Respõdeo, illam eductionẽ, etiãsi esset productio termini spiritualis

fore corpoream, quia non posset separari ex natura rei à materia corporea, sicut vnio animæ rationalis cum corpore est corporea propter eandem rationem iuxta ea, quæ dicemus in lib. de Anim. circa rationem corporis, & spiritus.

SECTIO V

An eadem res de potentia Dei absoluta possit simul creari, & educi?

35 CErtum mihi est, eandem rem non posse educi, & creari simul per vnicam, & eandē actionem: quia creatio est actio se ipsa independens à subiecto, eductio verò actio se ipsa dependens à subiecto, implicat autem, vnā, & eādem rem pendere se ipsa, & non pendere se ipsa à subiecto, vt perse constat. Solū procedit difficultas de diuersis actionibus, & loquimur ex suppositione, quòd eadem res possit de potentia Dei produci per duas actiones totales eiusdem rationis, vt per duas eductiones; vel per duas creationes, de quo agemus infra disp. 18 sect. 2. Est ergo quæstio, an ex suppositione, quod eadem res possit produci per duas actiones totales, esset aliqua peculiaris implicatio in eo, quod vna ex illis esset creatio, & altera eductio. P. Suar. to. 1. in 3. par. disp. 14. sect. 1. §. *Vltima ergo ratio*, sentit (vt ex his, quę ibi docet colligitur) id implicare.

36 Opposita sentētia mihi magis arridet cū doctis recētioribus. Vt eam probē, noto, eo ipso, quòd per aliquam actionem talis terminus pendeat ab agente, & non à passo, esse creationem talem actionem: quia hoc sufficiet, vt si specie distincta ab eductione, per quā terminus pendet ab agente, & passo simul iuxta ea, quæ supra diximus sect. 1. explicantes definitionem creationis. Vnde, si terminus creatus per vnam actionem educeretur simul per aliā, nihil fieret contradictorie oppositum cū ratione actionis creatiuæ, quia non est de ratione creationis, quod terminus per illam productus nullo modo pēdeat à subiecto, sed quod non pendeat à subiecto per illam, quod quidem saluaretur, etiam si terminus media alia actione dependeret à subiecto.

37 Hinc probo meam sententiam quia ex eo, quod idem terminus crearetur per vnam actionem, & simul per aliam educeretur, solū sequeretur, quód per vnā actionem dependeret à subiecto, & per aliā non dependeret à subiecto at hæc non sunt contradictoria, quia, cum non verificentur de eodē termino sub eadē actione; sed sub diuersis, non sunt eiusdē de eo lē · ergo non sequitur implicatio ex nostra sententia, ac per consequens id poterit fieri de potentia Dei absoluta. Confirmatur ex sententia, quam hic supponimus, nēpe eundē effectū possē supernaturaliter produci per duas eductiones totales. Ponamus igo, eūdē calorē educi per vnā actionē, ad quā solus Deus concurrat

in

in genere causæ efficientis, & simul educi per aliam; ad quã simul cũ Deo concurrat alius calor. In hoc casu calor ille productus fiet per primam actionem à Deo independenter ab vllà causa secunda efficiente, per secundam vero actionem fiet à Deo dependenter à causa secunda efficiente: & tamẽ inde non sequetur implicatio cõsistens in eo, quod ille terminus absolute pendeat; & non pendeat à causa secunda, quia hoc, quod est pendere, & non pendere à causa secunda, non conuenit illi ratione vnius actionis; sed ratione diuersarum: ergo idem dici potest de creatione, & eductione circa eundem terminum.

38 Ex dictis infero, casu, quo idem terminus crearetur, & educeretur simul per duas actiones, non fore affirmandum, quod absolute esset dependens, & indepẽdens a subiecto: quia cum particula *in* sit negatiua, distribuit terminum atque a loco negat ordinem dependentiam à subiecto, quæ quidem in præsenti negari nõ posset, quãdo quidẽ daretur aliqua actio, per quam terminus dependeret à subiecto esset tamen verum dicere, quod terminus depẽderet à subiecto per vnã actionem, eductionem videlicet, &, quod per aliam actionem, creationem videlicet, non dependeret. Ex quibus facile soluitur argumentum, quod sumunt aduersarii ex implicatione simultaneæ dependentiæ, & independentiæ à subiecto. Alia argumenta, quæ adducuntur à paritate lineæ curuæ, & rectæ; æqualis, & inæqualis soluta sunt supra disput. 8. num. 50.

39 Obijcies: non possunt de potentia Dei esse simul in eodem intellectu assensus, & dissensus circa idem obiectum: ergo neq; circa eundem terminum possunt simul versari creatio, & eductio. Distinguo antecedens: non possunt esse simul in eodem intellectu assensus, & dissensus circa idem obiectum, si vterque sit verus, vel vterque falsus, concedo: si vnus sit verus, & alter falsus, nego antecedens. Pro cuius intelligẽtia. Nota primò, veritatem actus intellectus formaliter consistere in conformitate ipsius actus cum obiecto, hoc est, in eo, quod repræsentet obiectũ, sicuti est in se. Nota secundò, assensum esse actũ intellectus, quo affirmamus, obiectum esse; dissensum verò actum, quo negamus, esse obiectum. Vndè assensus versatur circa esse obiecti; dissensus vero circa nõ esse.

40 Dico ergo, assensum, & dissensum non posse simul esse veros, seu simul falsos, circa idem obiectum: quia, cum vnus versetur circa *esse rei*, & alter circa *nõ esse*, ad hoc, vt vterq; esset verus, necessarium erat, quod simul *esset*, & *non esset* obiectum; & vt vterq; esset falsus, necessariũ erat, quod neq; *esset* obiectum, neq, *non esset*; vtrũque vero implicat, quia, cum *esse*, & *non esse* eiusdẽ rei sint contradictoria, neque potest fieri quod sit vtrumq, simul, neq, quod non sit vnũ ex illis: at creatio, & eductio, cum

cum nõ habeant pro termino duo contradictoria, vt ex dictis constat, possunt coniungi circa eundem terminum. Id, quod dictum est de simultate assensus, & dissensus, magis explicabitur in lib. de Anima.

41 Rogas: an creatio possit de potentiâ Dei produci per superadditam eductionem, & è contrà, eductio per superaditam creationem? Hìc duo involuũtur. Primum, an vna actio possit produci per aliam actionem? Secundum, an ex suppositione, quod id posset fieri, aliqua esset peculiaris implicatio in eo, quòd creatio produceretur per eductionẽ, vel eductio per creationem? De primo agam disp. 20. sect. 6. Secundum asſero non implicare ex suppositione prioris. Ratio est: quia de ratione creationis, vt diximus, non est, quod res nullo modo pẽdeat à subiecto, sed tantum, quòd per ipsam res non pendeat à subiecto at ex eo, quòd educeretur per actionẽm superadditam, non fieret, quod terminus penderet à subiecto per creationem superadditam. ergo nihil esset, quòd contradictorie opponeretur creationi. Idẽ dicito circa eductionẽ.

SECTIO VI.

Vtrùm creatũra aliqua possit operari per creationem?

42 DVpliciter agitari potest præsens difficultas. Primò, an sit possibilis aliqua creatura, quę ex natura rei possit operari per creationem? Secundò, an possit assumi à Deo miraculosè ad creandum aliquem effectum? Circa primum conueniunt omnes Theologi, nullam creaturarum posse proprijs viribus ex natura rei aliam creare, sed non vna est omnium ratio. Plures refert, & refellit bene P. Hurt. hìc sect. 7. illũ adito. Nec maioris momenti est illa, quam ipse adducit, & facile impugnari potest.

43 Ego verò, licèt nullam inveniam, quæ rem hanc aperte conuincat; nihilominus censeo, standum esse communi sententiæ: quia quotiescunque scholastici omnes in vnum conueniunt assertum, non est ab eo recedendum, nisi efficax ratio oppositum suadeat: sed in hanc conclusionem conueniunt omnes scholastici, si vnum Durãdũ excipias, vt videri potest apud P. Vazq. tom. 2, 1 p. disp. 175. capit. 2., deinde nulla est ratio, quæ vel leuiter oppositũ suadeat: ergo amplectenda est communis sententia.

44 Circa secundã partẽ huius sectionis, an videlicet creatura assumi possit miraculosè à Deo ad creandum? Existimo 1. verosimilius, non posse quãlibet creaturã assumi ad creandum. Idem sentit P. Vazq. suprà disp 176. cap. 2. vbi adducit S. Thom. 1. p. q. 45. ar. 5. Caiet. & alios. Mouetur rationibus, quas disp. 13. sect. 6. adduximus ad probãdum, verosimilius esse, non posse quanlibet rem assumi ad quãlibet aliã producẽdã

45 Existimo secundò, nullã esse rationẽ, quę efficaciter probet, impos-

possibilem esse aliquam creaturã, quæ assumi posset miraculosè à Deo ad creandum aliquem effectũ quid enim prohibet, quòd aliqua creatura habeat virtutem inchoatam ad creandum aliquẽ effectum, & quod talis virtus compleatur per omnipotentiam Dei assumentis illam ad talem effectũ creandum? Neque destituta est hæc pars authoritate scholasticorum: eam enim tenet Magister in 4. dist. 5. cap. vltim. cui consensit aliquando S. Thom. eadem distin. q. 1. artic. 3. quæstiun. 3. ad 4. P. Hurt. hic sect. 7. num. 18. P. Sua. tom. 3. in 3. p. dum agit de transsubstantiatione, & plures recentiores. An verò illa entitas concurrat vt causa instrumẽtalis stricte, vel vt principalis inadæquata? colligendum est ex his, quæ diximus disp. 13. circa distinctionẽ causę principalis ab instrumẽtali.

DISPVTATIO XVI.

De Causa finali.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit causa finalis?

1 ARist. 2. Physi. text. 29. dixit, finẽ esse *id, cuius gratia, vt ambulandi sanitas.* Deinde 2. Meta. text. 8. rem hanc magis declarauit his verbis *Item ipsum cuius causa finis, tale autem est, quod non est alterius gratia, sed eius causa cætera: Quare, si tale erit vltimum, non erit infinitum; quod si nihil tale, non erit ipsum huius causa.* Ex quibus hanc definitionem causæ finalis deduxerũt philosophi: *finis est, cuius gratia cætera fiunt.* Vbi prima particula *cuius gratia* idem significat, ac, *propter quem consequendum*: sic enim eam particulam explicuit ipse Philosophus 1. Ethicorum, cap. 7. in principio, vbi hę habet: *in omni denique actione, & electione finis ipse, cuius gratia reliqua omnia omnes agunt, quare siquis communiter agendorum omnium finis est, id agendũ bonum erit.* Vbi ex eo, quòd finis sit id, cuius gratia reliqua fiunt, colligit, ipsum efficiendum esse per omnia, quæ propter ipsum efficiuntur: ergo in phrasi Arist. idem est, *cuius gratia*, ac; *propter quem consequendum.* Deinde additur, *cætera fiũt*, idest, eliguntur, & apponuntur media, ac ea omnia, quæ vtilia sunt ad ipsum finem consequendum. Est tamen necessarium, quod hæc media apponantur precedente in voluntate amore; quo & ametur finis propter se, & media propter ipsum finem: Arist. enim eo cap. 7. lib. 1. Ethicor. docuit, id esse necessarium ad perfectam rationem finalis causæ.

2 Hinc fit, ad perfectam rationem finis requiri Primò, quod ipse finis appetatur propter se. Secundò, quod media appetantur propter ipsum. Tertiò, quod hæc apponantur in ordine ad ipsum cõsequendũ. V. g. cognosco, sanitatẽ secũdũ se esse bonã, & conuenẽ-

amico

amico meo; &, quia mihi charus est, desidero illi sanitatem vt bonum: ipsi deinde, quia video, hæc, & illa media esse necessaria ad sanitatem consequendam, amo talia media vt vtilia ad talem finem; ea exequor, & ex eis resultat sanitas in amico. En sanitas amico volita vt bona illi habet rationem causæ finalis, quæ me mouet ad eligenda media causatura sanitatem in ipso amico.

3 Sed ex his oritur non leuis difficultas contra doctrinam traditam nam, si amo sanitatem amico, quia bona illi est, primarium motiuum ad amandam sanitatem nō est bonitas ipsius sanitatis; sed bonitas amici, ex cuius complacentia amo illi sanitatem vt enim *concedunt omnes, in actu beneuolentiæ* seu amicitiæ bonitas amici habet rationem obiecti formalis; & bonum illi volitum est obiectum materiale: ergo illud, quod propter se, & propter quod alia appetuntur, est bonitas personæ amatæ, & non sanitas illi volita: sola ergo persona habet rationem finis, ac per consequens de ratione finis non erit, quod ad illum cōsequendum ordinentur media, quando quidem id, quod per media consequimur, non est persona; sed bonum personæ concupitum. Propter hanc rationem arbitratus est Gabriel, solam personam amatam, quæ dicitur finis *cui*, haberè propriè rationem finis, bonū vero illi concupitum, impropriè nuncupari finem.

4 Hæc tamen sententia Aristoteli, & rationi aperte cōtradicit. Arist. enim vbicunque define, seu causa finali sermonē instituit, semper adduxit in exemplum bonum personæ concupitum, & loco adducto ex 1. Ethic. cap. 7. ex professo probat, fœlicitatem, seu beatitudinem esse vltimum, & perfectissimum finem nostrum: at qui beatitudinem frequenter appetimus vt bonum nostrum, & ex cōplacentia nostri: ergo non est excludendum à ratione proprijssima finis bonū mihi, vel alteri personæ concupitū. Hinc sumitur ratio cōtra oppositā sententiā: quia ex ea sequeretur, Deum vt possidendum beatitudine, seu visione beatifica non esse vltimum finem nostrū; Deum enim vt visione possidendū appetimus tanquā bonum nostrū ex complacentia nostri, & ideo non Deus; sed nos metipsi essemus vltimus noster finis: quod quidem est contra sensum omnū Theologorum.

5 Dico ergo, finem proprie sumptum integrari ex persona, cui volumus bonū ex cōplacentia ipsius, & ex bono illi concupito. Ita P. Suar. 1. Meta. disp. 23. P. Vazq. 1. 2. q. 1. art. 1. & cōmuniter authores. Pro huius declaratione aduertendū est, bonū alteri conuenienss esse in duplici differētia. Vel enim secundùm se est conueniens illi, qua ratione bonum honestū, & delectabile est nobis conueniens: vel est illi conueniens, quia est vtile ad aliud consequendum, vt, potio, quæ licet sæpè sit amara ægroto; est tamen illi conueniens, quia

est

est vtilis ad consequendũ sanitatem, secundum se illi conuenientem. Dico ergo, finem constari ex bonitate personæ, & ex sanitate, quæ amatur vt secundũ se ipsi bona, & conueniens; potionem vero, quæ solum amatur, quia vtilis ad sanitatem consequendã, non pertinere ad rationẽ finis; sed solũm se habere vt medium ad illum cõsequendum.

6 Sic ergo intellecta sententia probatur: quia in eo est constituenda ratio adæquata finis, quod ita amatur propter se, vt moueat ad eligenda, & exequenda media: sed neq; sola persona amata, neq; solum bonum illi concupitum est sufficiens hìc, & nunc, vt moueatur voluntas ad exequenda media; sed vtrunque simul requiritur: ergo in vtroq; simul consistit ratio adæquata finis. Minorem probo: quia, si persona non esset sanãda, quantumuis amaretur, non moueret ad positionẽ horum mediorum, vt patet. Deinde, dum sanitas amatur huic personæ ex cõplacentia ipsius, ipsa persona mouet etiam ad ponenda media: tùm quia hìc & nunc non apponeremus media ad sanitatem personæ, nisi amarem ipsam personã; tùm etiã, quia ipsa persona secundùm se est motiuum formale me mouens ad amandã sanitatẽ illi conuenientẽ: ergo est etiam motiuum formale mouens ad ponenda media, quæ ponuntur propter ipsam sanitatẽ.

7 Ex hoc interes, quod, quando finis dicitur amandus propter se, tò *propter se* nõ excludit amorem propter aliud motiuum formale; sed amorẽ propter aliquid aliud cõsequendũ. Propterea Aristot. 2. Meta. tex. 3. loquens de fine dixit: *Tale autem est, quod non alterius gratia; sed eius causa cætera*: ac si diceret: finis est, qui, cũ non sit propter aliud consequendũ, cætera sunt propter ipsum cõsequendũ. Quæ explicatio colligitur ex his, quæ diximus nu. 1. pro explicatione definitionis ab Arist. traditæ.

8 Ex dictis constat ad rationẽ dubitandi adductã, nu. 3. in qua mittitur opposita sententia. Fateor enim, bonitatẽ personæ esse obiectum formale mouens ad amandã illi sanitatem; &, sanitatẽ se habere, vt obiectum materiale amoris illius, prout est amor beneuolentiæ, seu amicitiæ: at vero in ordine ad media, tã sanitas, quàm persona habet rationẽ obiecti formalis, quia quælibet seorsim non sufficit, vt probatum est, & ex vtraq; vnũ resultat, quod amatũ, & nõ in ordine ad aliud cõsequendũ, mouet ad eligenda media. Totũ autẽ resultans ex persona, & sanitate est id, quod per media consequimur, & ideo recte diximus supra, finem esse, ad cuius consequutionem ordinantur media.

Diuiditur causa finalis.

9 FInis solet diuidi in finem *cui*, & in finem, *qui*, seu *cuius*. Finis *cui* est persona, cui bonum secundum se illi conueniens amatur ex complacẽtia ipsius. Finis *qui* est bonum, quod personæ amatur tanquam quid illi conue-

conueniens secũdùm se. V.g. amo mihi sanitatem, quia secundùm se est bona mihi: ego sum finis *cui*, sanitas vero est finis *qui*. Hæc diuisio tradita est ab Aristotel. 2. de Anim. cap. 4. text. 35. vbi ait *Ipsum autem cuius causa duplex est, hoc quidem, cuius* (quod nos appellamus, *qui* quia est finis, qui appetitur personæ amatæ) *illud vero, cui.*

10 Est tamen aduertendum, hæc duo membra potiùs esse duas partes componentes vnum finem totalem, quã duos fines, quorum quilibet seorsim habeat rationem causæ finalis: Iam enim diximus supra num. 6. neutrum sine altero mouere ad electionem, & positionem mediorum. Porrò persona, & bonum illi concupitum amantur vno actu amoris, respectu cuius persona se habet vt obiectum formale; & bonum amatum vt obiectum materiale. Iste vero actus amoris, prout terminatur ad personam, dicitur amor amicitiæ, seu benevolentiæ; & prout terminatur ad bonum volitum personę, dicitur amor concupiscentiæ: nõ quia sint duo actus; sed quia vnus ratione diuersorum obiectorum, quæ attingit, sortitur diuersas denominationes.

11 Secundò finis *qui* diuiditur in finem *qui* strictum, & in finem *quo*. Finis *qui* strictus dicitur res illa, quæ amatur personæ vt illi conueniens secundum se: finis verò *quo* dicitur vnio rei cum persona, cui amatur. Cùm autem res, quæ amatur, est forma aliqua, vnitur cum personã per vẽram vniõnem: cùm verò est res suppositò distincta à persona, cui amatur, vnitur per possessionem, seu acquisitionẽ illius. Exemplum prioris est sanitas, quæ mediâ vnione physica vnitur personæ tam quam formæ. Exemplum posterioris est Deus, qui beatis coniungitur per visionem beatificam tãquam beatitudo illorum obiectiua.

12 Aliqui putant, ex his duobus membris solum finẽ *quo* esse, qui simul cum fine *cui* constituit adęquatam rationem finis. Finem vero *qui* strictum esse extra rationem formalem finis. Sed immerito id adstruunt: quia id, quod secundum se est bonum personæ amatæ, non est solus finis, *quo*; sed simul cum fine *qui*: quis enim dicat, solam vnionem sanitatis, & non sanitatem esse bonam mihi vel amico meo? Ergo voluntas perse tendit ad vtranque simul, & ab vtraque mouetur, ac inducitur ad eligenda media. Adde, quod, si solus finis *quo* esset proprie finis, Deus non esset dicendus noster vltimus finis; sed sola visio beatifica, per quam Deus nobis coniungitur. Quod quidem aduersatur communi Theologorum sententiæ.

13 Tertiò finis diuiditur in *vltimum*, & *non vltimum*: Finis *vltimus* est ille, in quo sistitur. Finis *non vltimus* est, qui ita mouet ad eligenda media aliqua, vt ipse etiam ordinetur ad aliquem alium consequendum. Exempli gratia. Medicus intendit sanitatem,

tom, vt autem eam consequatur eligit scissionem venæ, ad quam efficiendã inqüirit, & vocat chirurgum. Sanitas in hoc casu est finis *vltimus* intentus à medico, quia tali modo in illam tendit, vt in ea sistat, neque vlteriùs eam ordinet ad aliud consequendum: scissio tamen venæ est finis *non vltimus* quia ex vna parte ad illã comparandam ponit medicus aliqua media; & ex alia parte non sistit in illâ, sed vltrà procedit ad sanitatem consequendam. Finis *non vltimus* non est propriè finis; quia, vt suprà diximus ex Arist. de ratione finis est, quod non appetatur propter aliud consequendum.

De bonitate mediorum.

14 HIc solet inquiri; vtrùm media habeant bonitatem aliquam distinctam à bonitate finis? vel an dicantur bona solum per denominationem extrinsecam à bonitate finis? Nonnulli Thomistæ relati à P. Vazq. 1.2. disp. 1. nu. 5. docent, media solum esse bona per denominationẽ extrinsecam à bonitate finis. Mouẽtur tùm quia ablatò fine, & eius bonitate aufertur tota bonitas mediorum; neque enim media mihi bona essent, si finis, ad quem ordinantur, bonus mihi non esset: tùm etiam quia, si aliqua esset bonitas in medijs distincta à bonitate finis, esset vtilitas ad ipsum finem consequendum: atqui hæc tantùm est in illis per denominationem extrinsecam à bonitate finis: ergo, &c. Minor probatur: quia nulla facta mutatione in medijs, si varietur bonitas finis, variatur vtilitas ipsorum mediorum, potio enim mihi febricitãti bona & vtilis, mihi rectè valenti est inutilis: ergo vtilitas non est bonitas medijs intrinseca; sed tantum denominatio extrinseca proueniens illis à bonitate finis.

15 Dico primò vtilitas mediorum ad finem est ipsis intrinseca ex propria eorum natura illis cõueniens. Ita P Vazq. suprà num. 11. & P. Arriaga in Physica disp. 8. sect. 5. num. 48. Probatur primò: quia eatenùs media sunt vtilia ad bonum, quatenùs habẽt virtutem causatiuam illius: sed per suam entitatem habent virtutem causatiuam finis: ergo per suam entitatẽ sunt vtilia. Maior est certa. Minor probatur: quia potio v.g., se ipsa causat expulsionem humorum, neque hoc munus mutuat â sanitate, ad cuius consecutionem ordinatur. Secundò probatur conclusio: quia, vt rectè ait P. Vazq. si media haberent vtilitatem per extrinsecam denominationem à fine, omnia essent æque vtilia ad ipsum finem; quando quidem eadem esset forma, à qua extrinsece denominarentur vtilia; at certum est, quædam esse alijs vtiliora; ergo, &c.

16 Dico secundò: vtilitas mediorum conducentium ad finẽ est mihi bona per suam entitatem, & nõ per extrinsecã denominationẽ ab

ab ipso fine. Est contra P. Arriagam: eam verò tenet P. Vazq. supra. Probatur: quia media vtilia eatenùs sunt bona mihi, quatenus conducunt ad consecutionem finis mihi boni: sed per suam entitatem conducunt ad cõsecutionem finis, vt constat ex primâ conclusione: ergo per suã entitatem sunt mihi bona, & nõ per extrinsecam denominationem à bonitate finis.

17 Ad primam rationem aduersariorum fateor, ablatâ bonitate finis, auferri bonitatem mediorum: inde tamen solùm infertur, quod bonitas mediorum est relata ad bonitatẽ finis; nõ verò, quod est denominatio extrinseca à fine prouenies. Sicut ex eo, quod ablato obiecto alicuius actus auferatur ipse actus, non licet inferre; actũ constitui in esse talis per denominationem extrinsecã ab obiecto; sed tantùm quod entitas actus sit relata ad ipsum obiectum.

18 Pro solutione secundæ rationis. Noto primò, de ratione medij vtilis non solùm esse, quòd secundùm se conducat ad consequendum finem; sed etiam quòd sit conueniens alicui personæ, illi videlicet, cui intenditur finis cõsequendus, sed necessarium etiam erit, quod detur persona, cui sit vtile tale medium, & ideo, si deficiat persona, medium non exercebit suam vtilitatem: non quia deficiat illi ratio formalis constituens illud vtile, quatenus ex se est, sed quia deficit persona, sinè qua exercere non potest suam vtilitatem.

19 Noto secundò, medium aliquando esse conueniens personæ secundùm se sumptæ; aliquando verò ipsi personæ prout habenti aliquã dispositionem. Priori modo sunt mihi conuenientes proprietates, & passiones propriæ in ordine ad eliciendas proprias operationes. Posteriori modo est homini conueniens scissio venæ, & emissio sanguinis, & purgatio humorum: neque enim homini secundum se sumpto sunt hæc conuenientia; sed homini ægrotanti in ordine ad consequendam sanitatem. Vndè, si deficiat morbus in homine, iam illa media non erunt illi vtilia; non quia deficiat in mediis ratio formalis, ratione cuius constituuntur vtilia, quatenus est ex se; sed quia deficit ex parte subiecti aliqua dispositio, ratione cuius erat aptum, vt media suam circa illud exercerẽt vtilitatem in ordine ad sanitatem consequendam.

20 Ex his facile soluitur ratio secũdà aduersariorũ. Minor enim propositio est falsa. Ad probationem dico, nunquam contingere, quod ex solâ variatione finis destruatur ratio formalis, per quam media sunt ex se vtilia ad finẽ. Nõ nunquam tamen contingit, quod ablato, seu variato fine auferatur à subiecto dispositio aliqua necessaria, vt medium circa illud de facto suã exerceret vtilitatem, qua ablata nõ potest eam exercere. Id cõtingit in exemplo ibi adducto: potio enim secundum se est ad cõsequendã sanitatem vtilis, non cui-

lio

libet personæ; sed ægrotanti solùm: & ideo, si absit morbus, erit non vtilis illi ex defectu dispositionis requisitæ, vt potio in ea persona exerceret suam vtilitatem circa sanitatem.

21 Neque hoc solùm contingit in mediis, sed etiam in bono delectabili, & honesto, quæ obtinent rationem finis: aqua enim est delectabilis sitienti non per denominationem extrinsecam ab aliquo alio fine; quia potest appeti propter se, & nihilominus, si sitis non adsit, non est delectabilis: non quia deficiat ratio formalis constituens illam secundum se delectabilem sitienti: hæc enim est frigiditas, & humiditas, quæ semper comitantur aquam, sed quia deficit ex parte subiecti dispositio aliqua necessario requisita, vt circa illum exerceat suam delectationem. Alia similia exempla possem adducere; sed breuitati consulens ea omitto.

SECTIO II.

Vtrùm finis moueat voluntatem, vt cognitus?

22 Certum est primò, necessariam esse cognitionem finis, vt iste moueat voluntatem ad sui amorem, & electionem mediorum: quia, cum voluntas sit potentia cæca, debet illi proponi obiectum, vt possit versari circa illud: obiectum autem proponitur per cognitionem. Certum est secundo, cognitionem requiri saltem vt conditionem, vt finis moueat voluntatem: cognitio enim est forma, per quam bonitas finis applicatur voluntati: applicatio autem causæ semper est conditio ad operandum. Est tamen difficultas; an cognitio sit solùm conditio, vel an etiam pertineat ad rationem formalem finis?

23 Dicendum est, cognitionem non pertinere ad rationem formalem finis secundùm se, sed hanc adæquatè consistere in bonitate ipsius finis. Ita P. Vazq. 1. 2. disput. 2. cap. 2; P. Suar. in Metaph. disput. 23. sect. 8. & communiter recentiores. Ratio est: quia ea est ratio formalis finis, quæ mouet voluntatem ad sui amorem: sed sic est, quod sola bonitas finis mouet voluntatem ad sui amorem non cognitio ipsius bonitatis: ergo in bonitate finis consistit ratio adæquata ipsius finis. Minorem probo: quia illud mouet voluntatem ad sui amorem, quod voluntas amat, & intendit acquirere per media; sed non amat cognitionem finis, neque eam intendit acquirere per media, vt nemo ignorat: ergo, &c. Loquor de cognitione, quæ solùm se habet vt proponens bonitatem obiecti; quia, si sermo sit de cognitione, quæ per aliam cognitionem reflexam repræsentatur vt bona, & conueniens, benè poterit habere rationem finis: in hoc enim casu cognitio habet rationem obiecti cogniti, & positâ aliâ cognitione, per quam ipsa repræsentatur voluntati potest mouere voluntatem ad sui amorem; & consecutionem, vt, dum cognitâ beatitudine notitiâ formali, quæ est

cognitio intuitiua Dei, eam amamu vt nobis bonam, & ad illã consequendam apponimus media.

24 Obijcies primò: variatâ cognitione circa idem obiectum, variatur amor ipsius obiecti: ergo cognitio non solum se habet vt cõditio; sed etiam vt quid pertinens ad obiectum formale amoris. Antecedens probatur: quia beati amant Deũ per diuersum amorẽ ac viatores, nõ aliã de causã, nisi quia viatores cognoscunt Deũ per cognitionẽ Fidei, & beati per Visionem: ergo, &c. Respondeo, dupliciter posse variari cognitionẽ circa idem obiectum. Primò, si clarius, & melius illud repræsentet. Secundò, si repræsentet plures formalitates in illo. Si primò modo varietur cognitio, variabitur quidem amor quoad intensiorẽ, quia, cũ cognitio sit applicatio obiecti, quo perfectius, & melius applicatur obiectum, perfectius operatur voluntas cõmuniter circa illud, sicut perfectius operatur agens calidum circa passum melius applicatum, etiãsi applicatio non sit plus, quã conditio ad calefaciendũ. Si secundo modo varietur cognitio, variabitur quidẽ amor, non quia cognitio pertineat ad obiectũ formale amoris; sed quia, cum applicet diuersas formalitates in obiecto, applicat diuersa obiecta formalia, in quæ debet tẽdere voluntas per actũ specie diuersum. Propter hãc rationẽ amor beatorũ est specie diuersus (si fortè id est verum) ab amore viatorũ: quia videlicet plures Dei formalitates repræsentantur illis per Visionẽ; quam viatoribus per Fidem.

25 Obijcies secundò: intellectus, dum per cognitionẽ proponit voluntati bonum, allicit voluntatem ad amandum ipsum bonum: ergo cognitio non solùm se habet vt conditio, sed etiã vt principium mouens. Distinguo antecedens: allicit voluntatẽ vt applicatio bonitatis, cõcedo: vt quid amabile, seu vt ratio formalis mouendi, nego antecedens. Et nego consequentiam. Sicut enim is, qui applicat ignem domui dicitur illam comburere, non quia sit principiũ per se producens ignem in illa; sed quia applicat ignem comburentẽ: ita etiam cognitio potest dici allicere, & mouere voluntatẽ ad amandum, non quia reuera sit ratio formalis, aut obiectũ per se mouens; sed quia applicat bonitatẽ, quæ est ratio formalis per se mouens voluntatem, quatenus proposita voluntati per cognitionem, ipsam voluntatem inuitat ad amorem sui.

26 Obijcies tertiò; præmissæ concurrunt ad conclusionem non solùm vt cõditiones; sed etiam vt principium per se mouens intellectum: ergo idẽ dicendũ est de cognitione finis respectu actus amoris ipsius finis. Nego antecedens, si intelligatur de præmissis formalibus. quia id, quod vt principium mouet intellectũ ad assensum conclusionis, solùm est obiectũ præmissarum formaliũ: hæ vero tantũ se habent vt conditio applicans obiectum mouens intellectũ ad assensum conclusionis; vt dicemus in

lib.

lib. de Anima. Hìc disputarunt aliqui, an malum vt malũ possit sortiri rationẽ finis? De hoc tamẽ opportune agemus in lib. de Anima, dum explicemus ea, quæ pertinẽt ad potentiam voluntatis.

SECTIO III.

De effectibus causæ finalis.

27 PLures dantur actus circa finẽ. Primò enim potest quis habere simplicẽ complacentiã circa illũ consideratũ vt bonũ secundùm se, neq; referendo illũ ad media. Deinde potest dari alius actus quo voluntas feratur in finẽ vt cõsequendum per media, qui actus dicitur intentio finis. Iste verò actus potest esse vel inefficax, vel efficax. Erit efficax, si sit talis, vt, eo posito, cogatur voluntas ad inquirenda, seu eligenda media in ordine ad consequendũ finẽ intentum. Erit inefficax, quando, eo posito, potest voluntas inquirere, & eligere media, non tamen cogitur ad id præstandũ; sed pro suo libito potest id præstare ex eo fine, vel non præstare. Præterea dantur actus, quibus voluntas imperat inquisitionem mediorũ, & ea eligit. Hos actus sublequitur externa executio mediorũ, & positio finis, quo posito datur in voluntate gaudiũ de consecutione ipsius.

28 Porrò aduertendũ est, necessariũ non esse dari omnes hos actus in voluntate eo ordine, quo numerati sunt: potest enim contingere, quòd sine eo, quod præcesserit in voluntate simplex cõplacentia, seu intentio inefficax, detur efficax intentio finis: quia, cum voluntas omnes hos actus libere eliciat, potest pro suo libito post obiectum propositũ ferri in illud intentione efficaci, nulla posita simplici complacentia, seu intentione inefficaci ipsius finis. His positis.

29 Dico primo actus simplicis complacentiæ circa finem non est effectus illius vt causæ finalis. Ita P. Vazq. 1. 2. disput. 3. capit. 2. Probatur: quia, vt diximus sect. 1. causa finalis est *id, propter quod consequendum eliguntur, & apponuntur media*: ergo eatenùs exercet munus causæ finalis, quatenùs mouet ad se ipsam consequendam per media: sed ad actum simplicis complacentiæ nõ mouet obiectum vt consequendũ per media: ergo obiectum respectu talis actus non exercet munus causæ finalis. Minorem probo: quia talis actus non fertur in obiectum vt consequendum per media, sed in obiectum vt est bonum secundùm se, nullâ habitâ ratione mediorum. ergo obiectum solùm mouet ad istum actum, vt est bonum secundùm se, & non vt consequendum per media

30 Dices. ex cõmuni omnium consensu obiectum voluntatis est finis. ergo, cum bonum concurrat ad simplicem complacentiã vt obiectũ voluntatis, concurret etiã vt finis, seu vt causa finalis. Distinguo antecedens: obiectũ volũtatis est finis circa omnes voluntatis actus, nego: circa aliquos, con-

ce lo antecedens. Est dicere: id, quo I est obiectum voluntatis (pri mariuum videlicet, quale est bonũ, honestum & delectabile; non verò secundarium, quale est bonum vti le) potest exercere munus causæ finalis, quia potest mouere voluntatem ad amorem sui vt consequẽ di per media, in quo consistit pro pria ratio finis: cum hoc tamen recte componitur, quod circa aliquos actus non exerceat munus causæ finalis, circa illos videlicet, per quos voluntas nõ versatur circa ipsum obiectum vt consequendum per media.

31 Dices secundò: de ratione finis non solũ est, quòd alia amentur propter ipsum, sed etiam quod ipse ametur propter se: ergo actus, quo voluntas amat finem propter se, pertinet ad ipsum vt ad causam finalem: sed per simplicẽ complacentiam amat voluntas finẽ propter se: ergo simplex complacentia pertinet ad finem vt ad causam finalem. Distinguo primũ antecedens: de ratione finis est, quod ametur propter se per actum attingentem illũ cum ordine ad media, cõcedo: per actũ attingentẽ illũ sine ordine ad media, nego antecedẽs. Et eodem modo distinguendũ est primũ consequens, ac minor propositio; & neganda deinde vltima consequentia: quia solus actus, qui amat finem propter se tali modo, vt tendat in illũ vt consequendum per media, habet specialem modũ dependendi pertinentem ad causam finalem.

32 Secundò probatur conclusio: quia finis circa actum simplicis complacentiæ non habet aliũ modum causandi, quam habent alia obiecta circa actus suos: sed alia obiecta non concurrunt ad suos actus in genere causæ finalis, sed solum in genere causæ obiectiuæ: ergo neque finis concurrit ad actum complacentiæ in genere causæ finalis, sed in genere causæ obiectiuæ. Maior probatur: quia finis circa illum actũ non alio modo concurrit, nisi quatenus propositus voluntati per cognitionẽ mouet ipsã voluntatem ad ipsum secundùm se amandũ: atqui hoc idem inuenitur in actibus appetitus sensitiui; obiectum enim horum actuum cõcurrit ad illos, quatenus propositũ appetitui per cognitionẽ phantasiæ, ipsum appetitũ mouet ad sui amorem, seu appetitionẽ, & tamen obiectum appetitus non habet rationẽ causæ finalis circa actus ipsius appetitus: ergo neque obiectũ voluntatis circa simplicem cõplacentiam. Si enim obiectũ appetitus eodẽ modo concurrit ad actũ, ac finis ad simplicẽ complacentiã voluntatis, necessariũ est, quod si illud non operatur vt causa finalis, neque operetur ille, quia vbi non est diuersus modus causandi nõ est distinguendũ diuersum genus causæ, vt ex communi omnium sententia constat.

33 Dico secundò: intẽtio finis siue efficax, siue ineffica x; inquisitio: idem, & electio mediorũ sunt effectus causæ finalis. Hæc conclusio quoad 1. partem est contra P. Vazq. supra, eam tamen tenet

net P. Suar. in Meta. disp. 23. sect. 3. num. 8. P. Hurt. disp 13. de Anima sect. 4. num. 25. & communiter recentiores. Probatur conclusio quoad primam partem: quia intentio finis siue efficax siue ineficax versatur circa ipsum finem vt consequendum per media: ergo versatur circa illum sub eâ ratione, quâ habet munus causæ finalis. Antecedens est certum ex initio huius sectionis. Consequentia cõstat ex rationibus adductis pro prima conclusione.

34 Ex hoc infertur primò secunda pars huius secundæ conclusionis: quia non alia ratione finis mouet voluntatem ad inquisitionem, & electionem mediorum, nisi quatenùs hæc sunt necessaria ad ipsius consecutionem: ergo mouet ad media vt consequendus per ipsa media. Infertur secundò, ipsam executionem mediorum esse effectum causæ finalis, propter eandem rationem. Infertur tertiò, positionem finis extra causas nõ esse effectum ipsius finis in genere causæ finalis. Ratio est, quia licet finis ad sui ipsius executionem moueat media executione mediorũ, nihilominus nõ est aliud à se: quod quidem necessarium est ad rationem causæ, quia hæc est quæ *influit esse in aliud*, vt supra dictum est. Dices: quod est causa causæ est causa causati; sed finis est causa mediorum, quæ causant executionem ipsius finis: ergo erit etiam causa executionis sui ipsius. Respõdeo, causam causæ esse causam causati, quando non deficit aliqua ex conditionibus requisitis ad rationem causæ, vt deficit in præsenti.

35 Infertur quarto, gaudium, quo quis placet de fine adepto non esse effectum causæ finalis, quia ad hunc actum non mouet finis vt cõsequendus per media, sed præcisè mouet vt obiectum præsens sicut obiectum appetitus mouet vt præsens ad actum, quo appetitus fertur in illum, & non habet rationem causæ finalis respectu talis actus.

SECTIO IV.

Quenam dicantur operari propter finem?

36 PRimò certum est, homines, & Angelos operari propter finem propriè loquendo, prout finis dicit munus causæ finalis: quia hi in suis operationibus intendunt aliquem finem, ad cuius consecutionem media eligunt, & exequuntur. Certum est secundõ, insensibilia non operari propter finẽ, prout finis dicit munus causæ finalis. Primò quia, vt diximus sect. 1. de ratione finis propriè sũpti est, quod ametur propter se, & alia amentur propter ipsum: insensibilia autem amare non possunt fines, ad quos ordinantur. Secundo: quia id, quod est causa debet præsupponi cum aliqua existentia ante suum effectum: ea vero, à quæ tanquàm ad finẽ diriguntur actiones insensibilium, nullam existentiã habent ante operationes horum agentiũ, quatenus est ex parte ipsorum agentium: quia neque existunt phy-

sic, vt patet; neque intentionaliter, cum non repræsententur ipsis per aliquã cognitionem. Dum autem hæc agentia dicuntur operari propter finem, vel intelligendum est de fine impropriè sumpto, quatenus eorum actiones ordinantur ad aliquid, in quo sistant, & vltra quod non progrediantur, vel intelligendum est de fine relate ad primam causam, quæ concurrendo simul cum his causis earum effectus ordinat ad certos, & determinatos fines amando ipsos effectus vt vtiles ad tales fines consequendos.

37 Tota ergo difficultas deuoluitur ad Deum, & ad bruta. Et primò, si finis sumatur latè, certum est, actus Diuinæ voluntatis *habere finem: quia habent pro obiecto formali proprio Diuinã bonitatem: bonum autem latè vocatur finis.* Certum est secundo, si finis propriè sumatur, actus Diuinæ voluntatis non habere finem; hoc est, causam finalem: quia quod fieri nequit non potest habere causam aliquam: sed actus Diuinæ voluntatis, cum sint idem realiter cum essentiã Diuinâ, quæ est ens à se, omnino independens ab alio, non possunt fieri: ergo non habent causam finalem. Difficultas vero est: an operationes Dei ad extra, hoc est, quæ sunt extra ipsum Deum, habeant causam finalem? Circa quam dico, has operationes habere propriè causam finalem. Constat id ex Ecclesiast co dicente: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et est communis loquendi modus Scripturæ, Patrum, & Theologorum absolutè asserentium, Deum multa facere, seu velle propter hunc, vel illum finem. Et ratio est clara: quia Deus ex amore huius, vel illius finis mouetur ad hæc, vel illa media producẽnda, vt consequatur talem finem: ergo Deus producit talia media propter finem consequendum: ergo veram rationem causæ finalis exercet finis circa talem productionem mediorum, vt constat ex dictis sect. 1.

38 Obijcies. finis causat media non immediatè; sed medijs actibus voluntatis, quibus voluntas amat illa propter ipsum finem: sed finis non causat actus voluntatis, quibus Deus amat media propter ipsum: ergo neque causat ipsa media. Respondeo, de ratione finis propriè sumpti solùm esse, quod propter ipsum consequendum alia fiant ex amore ipsius. Vndè, si media apponantur à Deo propter finem consequendum, siue actus amoris fiat à fine, siue non fiat, reuera talis positio mediorum erit effectus causæ finalis. Ad argumentum ergo distinguo maiorem: finis causat media per actus voluntatis tanquam per id, per quod diriguntur ad finem ipsa media, concedo: tanquàm per id, quod aliter requiratur ex parte finis ad positionem mediorum, nego maiorem: cum autem dirigantur æque ad finem media per actus voluntatis, siue hi causentur a fine, siue non; hinc est, quod media sint effectus causæ finalis,

nalis, etiamsi actus voluntatis Dei non sint effectus ipsius causæ finalis.

39 Circa bruta est maior difficultas: an operentur propter finem? Circa quam P. Arriaga disput. 8. Physic. sect. 6. num. 65. docet, bruta cognoscere (licèt imperfectè) conuenientiam mediorum cum fine. Pro se adducit S. Thomam 1. part. quæst. 68. art. 4. cum Caiet. ibidem, vbi clare videntur id asserere: verum autem dicenda sint bruta operari propter finem positâ hâc sententiâ? putat perdoctus Pater, esse potius quæstionem de nomine, quam de re. Probatur hæc sententia: quia, quando canis panem ostendo, statim ad me accedit tripudians; si verò fustè arripiam, fugit: dicemus ne, quòd quando, viso pane, se mouet ad illum capiendum, nihil cogitat de pane, neque se mouet, vt panè capiat, nisi cognoscendo proportionem, quam habet motus cum consecutione panis? Certe id videtur impossibile. Præterea, sæpè contingit, quod canis, cui maximum imminet periculum minori, alteri se committat, vt maximũ effugiat: non autem se committeret minori periculo, nisi in illo cognosceret vtilitatẽ ad maius effugiendũ, neque enim cõmodũ, seu delectationẽ in illo potest agnoscere. Idẽ potest probari ex hirundine ædificãte nidum. Hæc quidem, & alia, quæ quotidie videmus in brutis, manifestè probare videtur, ea cognoscere proportionem aliquã, & conuenientiam mediorum cum fine.

40 Cæterum quanuis P. Arriaga dicat, hæc reddere suam sententiam manifestissimam, non solùm me non conuincunt; sed neq; multum vrgere puto: licèt enim fatear, non casu moueri canem, dum panem à longè videt; existimo tamen, id rectè posse fieri sine eo, quod cognoscat conuenientiam mediorum cum fine. Exemplo inanimatorum id facile ostendo: ignis nãque applicatus ligno in illud operatur prius calefaciendo, & exsiccando; posteà inducendo suam formam in illud. Id autem non ex eo contingit, quod ignis cognoscat, calorem talem conuenientiam habere cum igne producendo, vt is non possit produci, quin ille præcedat in passo. Sed, quia talis naturæ est forma producenda, vt non possit produci nisi in passo disposito, ideo agens se ipso est determinatum ad hoc, vt illud disponat prius, & deinde formam ignis in illo producat. Possem adducere plura exempla ex non viuentibus ad id confirmandum.

41 Eãdem ratione existimo, se habere rẽ in brutis. Canis, statim ac videt panẽ, appetit illũ, & quia, si sit distans, non potest illum consequi, nisi accedat, ex panis appetitione; & deinde ex cognitione seu memoriâ motus, quem antea habuit, vel vidit in alio, determinatur appetitus eius ad imperandũ motum, nullâ habitâ cognitione conuenientiæ, seu proportionis motus cum adeptione panis. Simili ratione canis aggreditur mi..us

minus periculum, vt effugiat maius: cognito enim maiori periculo, illum timet, quo timore posito determinatur appetitus ad appetendum minus periculum, & illud prosequendum: non quia cognoscat, hoc esse vtile ad illud fugiendum, sed quia talis naturæ est appetitus canis, vt posito illo timore ex naturâ rei determinetur ad appetendum minus periculum, si adsit cognitio illius secundum se. Idem potest dici de hirundine ædificante nidum, & de alijs brutis similia facientibus.

42 Hinc desumitur ratio, cur bruta dicantur moueri instinctu; non verò ratione? quia videlicet facultas appetitiua eorum est talis naturæ, quæ cognito aliquo obiecto ex se sit determinata ad illud appetendum, deinde positâ appetitione vnius; & cognito alio, quod ad primum ordinatur, ignorato tamen ordine, seu conuenientiâ cum illo primo, ex se sit determinata ad hoc posterius appetendum. Hinc est, quod eodem obiecto viso secundum easdem rationes, quædam bruta illud appetũt, & prosequũtur; alia verò fugiunt; quædam illud prosequuntur apponendo semper hæc media; alia verò, apponendo semper alia longe distincta media. Non ne dicemus hæc bruta cognoscere hæc media esse sibi magis proportionata, quã illa: &, hoc brutũ cognoscere hæc accidentia vt sibi conuenientia; illud verò eadẽ cognoscere vt sibi disconueniẽtia? Absit. Vnde enim mutuabũt tam diuersas species, vt in eisdem accidentibus visis, hoc conuenientiam cognoscat, & illud disconuenientiam? Neque video cur, si talem propositionem, & cõuenientiam agnoscerent bruta, dicenda essent moueri potiùs instinctu, quàm ratione? rectè enim posset dici talis cognitio ratio, licèt imperfecta: sicut ab aduersarijs cõceditur discursus imperfectus in brutis.

43 Secunda sententia asserit, bruta non cognoscere conuenientiam, seu proportionem mediorum cum fine, & ideò non operari propter finem, qui circa eorum operationes vere exerceat munus causæ finalis. Hæc est cõmunis scholasticorum, &, licèt nihil firmum stabiliri possit in hâc re, vtpotè quę pertinet ad actus internos brutorum, de quibus nullam experientiam habere possumus: nihilominùs mihi magis arridet hæc sentẽtia. Primò, quia communis, vt fatetur P. Arriaga suprà: Secundò, quia non video, quâ ratione bruta possint percipere conuenientiam mediorũ cum fine nisi per species, quas vocant insensatas, vel per discursum; deducendo videlicet vnum ex alio: at non possunt cognoscere talem cõuenientiã primo modo, quia, vt dicemus in lib. de Anim. non dantur in brutis tales species insensatæ: neque possunt secundo modo, si enim discursum haberent, etsi imperfectũ haberent etiam iudicium imperfectum, quo vnum alteri comparantia melius eligerent: si autem hæc haberent nescio, cur concedenda non esset illis

illis libertas aliqua saltem, imperfecta? Quæ quidem longe abesse debet à brutis.

44 Rogas, quâ ergo ratione bruta appetunt bonum tum sibi conueniens, tum etiam vtile ad finem, si conuenientiam, & vtilitatem non cognoscunt? Respõdeo, quod licet non cognoscant conuenientiam, & vtilitatem formaliter sumptam, cognoscunt tamen illas materialiter sumptas; hoc est, cognoscunt ea, quæ sunt sibi conuenientia, & vtilia eo tempore, quo sibi sunt conuenientia, & vtilia, quâ cognitione positâ mouetur appetitus ad appetendam conuenientiam, & vtilitatem materialiter sumptas, hoc est, ad appetenda ea, quæ sunt sibi conuenientia, & vtilia eo tempore, quo sunt conuenientia, & vtilia: ad quæ appetitionem non solùm determinantur per cognitionem obiecti; sed sæpe sæpius iuuat etiam dispositio, quã in se habent, & appetitio, quam eliciunt circa alia obiecta iuxta dicta contrà primam sententiam.

SECTIO. V.

An finis sit vera causa realis, & quæ eius causalitas?

45 CErtum est, finem non esse causam physicã. quia causa physica est; quæ influit in effectum per causalitatem physicam se ipsa emanantem, seu efficientẽ entitatem realem causæ: finis autem non influit hac ratione in effectum vt patet; quia cum sanitas non existat; quando mouet ad sui consequutionem, non potest dari influxus se ipso emanans, seu afficiens eius entitatem realem. Et quanuis tunc temporis existeret, non posset physice influere, quia non mouet voluntatem per physicam applicationem suæ entitatis cùm ipsâ voluntate; sed per intentionalem repræsentationem suæ bonitatis. Vndè ortum habuit id, quod communiter circunfertur nempè, finem esse causam intentionalem, non physicam: Examinandum verò, an sit causa realis?

46 In quæ re, si sermò sit de intrinsecâ virtute causæ, certum est non semper esse realem: quia sæpe intendimus consequi res, quæ, licèt nobis possibiles appareant, re ipsâ sunt impossibiles: ergo tales fines non sunt reales, sed rationis. Si autem sermo sit de influxu ipsius causæ finalis, certum est, semper esse realem, quia bonitas siue sit ficta, siue realis semel proposita voluntati per cognitionem reuerâ mouet voluntatẽ ad sui amorem & mediorum. sed isti sunt effectus causæ finalis: ergo reuera influit in suos effectus. Vnde licet non semper finis secundum se sit aliquid reale semper tamẽ influit realiter hoc est per influxum realem in proprios effectus.

47 Hìc est controuersia inter P. Suar. suprà sect. 1. & P. Hurt. suprà sect. 5. an finis sit dicendus verè, & propriè causa, vel impropriè, & metaphoricè. P. Suar. affirmat; esse verè, & propriè causam, quia realiter influit in effectum.

ctum P. Hurt. è cõtra negat: quia sola causa physice influens est propriè causa. Quæstio hæc est parui momenti, & de nomine potius quã de re. Nihilominus P. Hurt. mihi magis placet, quia magis cõformis est communi loquendi modo philosophorum asserentium, finẽ esse metaphoricè causam, quòd testatus est Arist. 1. de Gener. cap. 6. vbi dicit, non mouere nisi metaphoricè.

48 Circa causalitatẽ causæ finalis noto primò, finem habere quosdã effectus intrinsecos volũtati, quales sunt actus intentionis finis, & electionis mediorũ; quosdã vero extrinsecos, quales sunt media executioni mandata; & (si placet) ipse finis ad extra positus. Noto secũdo, in actibus volũtatis duo inueniri; vt probo in libr. de Anim. nẽpe qualitatem quandã, quę dicitur pondus voluntatis in obiectũ, quia per illam formaliter inclinatur volũtas in ipsum obiectũ: deinde actionẽ quandam immanẽtem de prædicamẽto actionis, per quã illa qualitas producitur à voluntate. Dũ autẽ sectione præcedẽte diximus, actus intentionis finis, & electionis mediorũ esse effectus causæ finalis, locuti sumus de prædictis qualitatibus, quia hæ fiunt à voluntate propter finẽ consequendũ; & ideo cũ loquimur de causalitate finis circa actus volũtatis intelligẽdi sumus de causalitate, quã exercet circa istas qualitates.

49 Nonnulli secuti P. Vazq. docent, actum intẽtionis finis esse illius causalitatẽ tam circa electionẽ mediorum, quã circa reliquos effectus externos. Hæc tamen sententia admittenda nõ est: quia causalitas alicuius causæ est id, quo causa constituitur actu causans sũũ effectum, sed per actũ intentionis non constituitur finis actu causans electionem &c. ergo non est eius causalitas. Minorem probo: quia id, per quod causa cõstituitur actu causans, non potest vllo modo dari sine effectu, etenim implicat, causam esse actu causantem effectum, quin iste sit actu causatus ab illâ: sed intentio finis adhuc efficax potest dari sine electione, saltem de potentia Dei, (vt concedunt aduersarij) & naturaliter potest dari sine effectibus ad extra, vt contingit, cum quis ab alio impeditur, ne media exequatur: ergo &c.

50 Pro explicatione veræ sententiæ, noto 1. finem exercere duo munera circa actus voluntatis. Vnũ est mouere voluntatẽ ad ipsos actus eliciendos; alterũ est ipsos actus terminare. Ad hoc vltimũ tantùm requiritur, quod actus voluntatis tendant in finẽ tanquã volitiones illius. Ad primũ verò requiritur cognitio, perquã bonitas ipsius finis præsentatur volũtati: etenim mouet voluntatẽ, quatenùs eã allicit, & inuitat ad sui amorẽ: at non potest eã allicere, nisi ostendatur illi bonitas ipsius, quæ quidẽ non aliter ostenditur voluntati nisi per cognitionẽ, vt nullus non concedit: ergo non mouet voluntatem, nisi detur cognitio illi repræsentans bonitatẽ.

51 Noto

51 Noto 2. finem non exercere munus causæ finalis circa actus voluntatis, quatenus illos terminat: quia, vt causa est, debet præexistere ante effectú: atqui vt terminus amoris nó existit ante amorẽ: ergo non est causa illius vt terminus. Minorẽ probo: quia terminus vt talis tantú dicit, quod sit id, in quod finitur actus: ad hoc autem vt in illud finiatur actus nulla requiritur præcedẽtia ipsius termini, vt perse patet; & constat ex effectu producto per actionẽ efficientis, qui est terminus, in quẽ finitur actio, & tamen nó præcedit ipsam actionẽ, vt sæpe iã diximus. Finis ergo solum exercet munus causæ finalis circa actus voluntatis, quatenus mouet voluntatẽ ad ipsos eliciẽdos, quia hac ratione præcedit existens saltem intẽtionaliter ante ipsos actus; cum cognitio, per quã proponitur voluntati, sit præsentia, seu existentia intentionalis illius. Noto 3. de potẽtia Dei absoluta posse dari actũ voluntatis circa obiectum, quin præcedat cognitio ipsius obiecti, vt probabo in lib. de An. In hoc autem casu finis non moueret voluntatem ad sui amorem: sed tantum haberet rationem termini, ac perconsequens non exerceret munus causæ finalis circa talem actum. His positis.

52 Dico primó: causalitas finis respectu actus intentionis coalescit tum ex actione, per quam voluntas producit talem actum, tum etiam ex cognitione, per quam ipse finis proponitur voluntati. Ratio constat ex dictis; quia causalitas finis est id, quo constituitur actu causans suos effectus; sed finis non cõstituitur actu causans intentionem per cognitionem solam, quia hac posita potest non sequi intentio; neque per actionem solam voluntatis, quia, si de potẽtia Dei produceretur intentio à voluntate, non præcedente cognitione finis, daretur actio voluntatis, & tamen finis non causaret mediã illã intentionem, vt constat ex numero præcedente: deinde positã vtrãque non potest finis non actu causare actum intentionis: ergo ex vtrãque coalescit causalitas finis. Idẽ dicito circa actum electionis, nempe causalitatem finis circa illum coalescere tum ex actione, per quam voluntas causat ipsum actum electionis mediorum, tum etiam ex cognitione, per quam media proponuntur voluntati vt vtilia ad finem. Actus tamen intentionis finis, & electionis mediorum, (si forte distinguuntur) ita subordinantur interse, vt ille præsupponatur ad istum vel vt conditio ex parte voluntatis, & finis ex naturã rei requisita ad illum producendum, vel vt causa moralis illius.

53 Dico secundó: causalitas finis respectu positionis mediorũ, & ipsius finis ad extra non consistit in intẽtione finis, aut in electione mediorũ seorsim, aut in vtraq; simul: quia vtraque potest dari, quin media, & finis ponantur ad extrà: neque consistit in actione phy-

physica, per quam media, & finis ponuntur ad extra, quia, cum tales actiones non pendeant essentialiter per suam entitatē à fine; sed solùm moraliter, quatenus per actus voluntatis tendentes in finē & media imperantur, est quid extrinsecum ipsis actionibus, quod propter hunc vel illum finem imperentur; & ideo eundem motum, quem produco ex intentione videndi amicum, possem producere ex intentione spectandi ludos: ergo eadem actio, quæ imperatur ex hoc fine, posset imperari ex alio, ac per consequens posset dari in rerum naturā, quin esset causalitas huius finis.

54 Causalitas ergo finis respectu horum effectuum coalescit tū ex actione physica, per quā ad extra producuntur, tum etiam ex actu electionis, qui vt effectus finis imperat ipsam executionem mediorum, & positionem finis. Constat id ex dictis: quia his omnibus positis media, & finis executioni mandata, sunt effectus causæ finalis, & quolibet ex illis ablato non causantur ab hoc fine, vt constat ex dictis: ergo ex illis coalescit causalitas huius finis.

SECTIO. VI.

Vtrum distinguantur intentio finis, & electio mediorum circa illum?

55 Diximus suprà, intentionem esse actum, quo voluntas amat finem vt consequendum per media; electionem verò actū, quo amat media vt vtilia ad finem. Discutiendum modo: an hi sint actus diuersi realiter, vel solum vnus cū diuersis denominationibus? P. Vazq. 1. 2. disp. 13. cum aliis censet, electionem semper esse actum distinctum ab intentione. Probat primò, quia in communi omnium sensu electio mediorum oritur ex intentione finis: ergo distinguitur realiter ab illâ, quia idem non potest oriri à seipso realiter. Secundò quia, si realiter non distinguerentur isti actus, nō possent adhuc per rationem distingui, quia non posset vnus concipi sine alio; hoc autem non est concedendum: ergo neque illud. Tertiò: quia actus, quo intellectus fertur in præmissas, est realiter distinctus ab eo, quo fertur in cluſionem; ergo idem est de actibus intentionis, & electionis voluntatis: consequentia patet: quia, sicut se habet intellectus ad præmissas, & conclusionem, ita se habet voluntas ad finē & ad media: ergo, sicut intellectus fertur diuersis actibus ad illas, ita etiam voluntas ad hæc. Denique probat ex D. August. 15. de Trin. cap. 6.

56 Alij autem, quibus adstipulatur P. Hurt disp. 6. de Anim. sect. 6. asserunt, intentionem finis, & electionem mediorum esse eundem actum realem. His subscribo. Ratio est: quia intentio finis est actus, quo volumus ipsum finem vt consequendum per media: ergo est actus, quo volumus finem consequi per media. Patet consequētia: quia per eundem actum, quo volo

volo amare Deum ; volo Deum amari à me ; idem enim, quod per vocem actiuam significatur, significatur, & per passiuam. Pergo: sed velle consequi finem per media nihil aliud est, quam velle finem consequi apponendo media; nam eatenùs volo consequi finem per media, quatenùs ipsa mea sub iacent potestati, mea autem potestati non aliter subiacent, nisi vt apponenda, vel executioni mãdanda · ergo eodem actu, quo intendimus finem, volumus apponere media · sed actus, quo volumus apponere media, est electio: ergo idem actus est intentio finis, & electio mediorum.

57 Confirmatur: quia actus electionis est, quo volumus media vt vtilia ad finem, non vtcunque; sed taliter vt consecutura sint defacto ipsum finem; quia si cognosceremus, esse secundum se vtilia non tamen hic, & nunc consecutura defacto finem, non eligeremus talia media: ergo per electionem tendimus in media vt consecutura finem. Deinde actus intentionis tendit in finem vt consequendum per media seu à mediis; cum autem idem sit velle finem, vt consequendum à mediis, ac velle media vt consecutura finem vt constat ex dictis num. præcedente, fit, vt intentio, & electio sint idem actus.

58 Dices: sæpe numero, postquam finem intendimus, cõsultamus de eligendis mediis: ergo distinctus est actus intentionis ab actu electionis. Respondeo, dupli cem dari electionem mediorum vnam, qua fertur voluntas in media vagè, & confusè sumpta; alteram, qua fertur in hæc media determinate, vel in illa. Dum autem post intentionem finis consultamus de eligendis mediis, per primam intentionem eligimus media vagè, seu confusè, quia amamus finem vt consequendum per media, non determinando, an sint futura hæc vel illa? Deinde post hanc intentionem succedit alius actus tendens in media determinata, qui quidẽ etiam est intentio finis, quia tendit in talia media propter finẽ consequendum tanquam propter rationem formalẽ amandi talia media: sicut enim, qui amat bonũ amico, quia bonũ illius est, non solũ fertur per talem amorẽ in bonum amico volitũ, sed etiam in personã ipsius amici tanquam in rationẽ formalem amandi illi bonũ; ita etiam qui fertur in media vt vtilia ad finẽ, fertur etiã in finem tanquam in rationẽ formalem amandi ipsa media.

59 Hinc fit 1. quod, qui à principio habuit satis explorata omnia media, non habet duos actus circa finem; sed vnum tantũ, quo fertur in finẽ vt consequendũ per hæc determinata media. Vnde in Deo nullatenùs est distinguendus actus aliquis intentionis ab actu electionis. Quod si in nobis frequenter dantur duo actus, ideo est, quia frequenter non habemus satis explorata media, quando primò intendimus finẽ, & ideo per primum actum intentionis eligimus

mus media vage: deinde post consultatiõ mediorum procedimus ad alĩ actum, quo intẽdimus ipsum finẽ vt consequendum per talia media determinatè iuxta dicta numero præcedẽti. Hinc est, quod in nobis potest dari intentio efficax finis ante electionem determinatorum mediorũ, secus in Deo.

60 Fit 2. eundem actum posse esse amicitiã, intentionem, & electionẽ. vt, quando volo amico ex complacentia ipsius sanitatem vt consequendam per hæc media, iste actus est amicitiæ, quatenus vult sanitatem amico ex complacentia ipsius, & secundum hanc rationẽ habet pro obiecto formali personã amici, & pro materiali sanitatẽ illi amatam: deinde quatenus tendit *in hanc sanitatẽ vt consequendã per hæc media*, habet rationem intentionis sanitatis, & electionis horũ mediorum, secundum quã rationẽ habet pro obiecto formali non solũ sanitatem, sed etiam personam amici, quia, vt probauimus supra sect. 1. neque sola sanitas, neque persona sola; sed vtraque simul est motiuum formale eligendi media; media vero sunt obiectũ materiale huius actus prout intentio, & electio est.

61 Ex dictis facile soluentur argumenta P. Vazq. Ad primum constat ex dictis, nõ omnẽ electionẽ oriri ex intentione finis; sed eã tantũ, quæ est circa media determinata, oriri aliquãdo ex intẽtione, qua media vagè eliguntur, in quo casu vterque actus est intẽtio, & electio, vt diximus. In hunc sensum explicari potest Aug. adductus supra à P. Vazq. ex 11. lib. de Trin. cap. 6. vbi clare docet, voluntatem mediorum oriri ex voluntate finis, loquitur ergo de voluntate mediorum determinatorũ, quæ supponit intentionẽ finis vt consequendi per media vagè.

62 Ad secundũ fateor, intentionẽ, & electionem non esse duos actus adhuc formaliter distinctos; sed vnũ tantũ cũ duplici respectu, per quorũ vnũ, qui tendit in finẽ, denominatur intentio, & per aliũ, qui tendit in media denominatur electio. Cæterũ tam intentio, quã electio includit formaliter vtrũq; respectum: quia, vt supra dicebamus, nõ quiuis actus circa finẽ est intentio, sed ille tantũ, qui versatur circa finẽ vt cõsequẽdũ per media: neq, quiuis actus circa media est electio; sed ille tãtũ, qui versatur circa illa vt vtilia ad finẽ, qui quidẽ semper se habet vt ratio formalis amandi ipsa media.

63 Ad tertiũ concesso antecedente, nego consequentiã. Ad probationẽ nego paritatẽ: intellectus enim fertur in præmissas secundũ se, & in cõclusionẽ etiam secundũ se; ita vt neque actus præmissarum attingant formaliter obiectũ conclusionis, vt concedunt omnes; neque actus conclusionis obiectum præmissarum, vt probo in libr. de Anim. At vero intentio finis, vt iam diximus, non fertur in finẽ secundũ se; sed vt consequẽdũ per media; & electio fertur in media propter ipsum finẽ, atque adeo eodẽ actu debẽt attingi media

dia; & finis modo supra explicato.

64 Rogas an possint aliquando amari media per actū, qui non tendat in fiē, & finis per actū, qui non tendat in media? Dico primo: finis non potest amari per actū intentionis, quin eodem actu amentur media; neque hæc amari possunt per actum electionis, quin eodem actu ametur finis. Ratio est: quia intentio est actus, quo finis amatur vt consequendus per media: non potest autem amari finis vt consequendus per media, quin eodem actu amētur media, vt probatum est nu. 56. Deinde electio est actus, quo desiderantur media vt consecutura finem: eo autē ipso quod desideramus media vt cōsecutura finē, amamus ipsum finē vt consequendū per media, vt probatum est: ergo eodē actu electionis attingimus media, & finē simul.

56 Dico secundò, finis potest amari actu, qui non sit formalis intentio, quin eodem actu amentur media; & hæc similiter amari possunt actū, qui nō sit formaliter electio, quin ametur finis. Id constat experientia, quia sæpe complacemus de bonitate finis absque vllo ordine ad media: deinde sæpe cōplacemus de vtilitate mediorum erga aliquem finem, quē tunc tēporis non amamus, vel tendimus in ipsa media vt delectabilia secūdū se, quin aliquo actu tendamus in finem. Et ratio à priori est: quia tam media, quam finis sunt in se bona bonitate distincta: ergo tam media, quā finis possunt mihi secundum se placere.

DISPVTATIO XVII.

De Causa exemplari.

SECTIO VNICA.

Quid sit exemplar? & in quo genere causæ concurrat ad effectum?

1 EXemplar dicitur id, ad instar cuius aliquid patramus. Græce vocatur *idea*, (à verbo græco, *ideo*, quod est videre) quia vel consistit in cognitione dirigente artificem ad opus, vel saltem secū affert talem cognitionem. Exemplar definiunt Seneca epist. 66. *Est, ad quod respiciens artifex, id, quod de Asinabat, effiert.* S. Thomas aliter rē explicuit q. 3. de Verit. art. 1. vbi ait: *Exemplar est forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem.* Quæ definitio communiter admissa est iam in scholis. *Forma* ponitur loco generis. *Quam effectus imitatur*, dicitur quia ad rationē exemplaris est necessarium, quod ad eius similitudinē, seu imitationē formetur effectus. Additur *ex intentione agentis*, vt excludātur ea, ad quorū similitudinē casu fiunt aliqui effectus: necessarium enim est ad rationem exēplaris, quod artifex cognitionē aliquā dirigēte ductus intendat illud imitari, hoc est, velit efficere effectū talem, quale est exemplar. Denique dicitur *determinantis sibi finem*; quia non sufficit, quod ō errans dirigatur per cognitionē, sed

necessa-



necessarium est, quod finem aliquē sibi statuat in suâ operatione, quod est idem, ac esse agens rationale, quia solum agens rationale operatur propter finem propriè sumptum, vt constat ex dictis disputatione præcedente.

2 Ex his infero 1. insensibilia non habere exemplar in suis operationibus, quia non operantur ducta cognitione, qua ad operandum dirigantur, sed vi tantum naturæ suos proferunt effectus. Infero 2. bruta, & si ducãtur cognitione, nõ habere exemplar, quia nullum sibi finem statuũt, in suis operationibus, vt constat ex disp. præcedenti Quod si aliquando similia nobis videntur attendere ad humanas operationes, vt ad earũ similitudinem alias eliciant, non ideo deprehendæ sunt, habere nostras operationes tanquam exemplar suarum: quia, cũ non possint cognoscere proportionem aliquã inter suas, & nostras operationes, neque illarum conuenientiã cum aliquo alio fine, fit, vt neque possint eas elicere propter finem aliquẽ; quod quidem necessarium erat ad hoc, vt haberẽt verũ exemplar. In eo autem casu visis nostris operationibus determinatur earũ appetitus ad imperandas alias similes absque vllâ cognitione cõuenientiæ, seu proportionis formalis inter suas, & nostras operationes eo modo, quo disp. præcedente philosophati sumus de operationibus brutorum circa media & finem.

3 Diuidi solet exemplar in externũ, & internum. *Externum* dicitur illud extrinsecũ obiectũ, quod sibi ob oculos proponit artifex, vt ad illius similitudinẽ effectũ proferat. Exempli gratia: Pictor, cum Petrum vult depingere, aliquã illius imaginem, vel ipsum Petrũ attentè conspicit, vt ad illius similitudinem aliã depingat. In hoc casu imago Petri, vel ipse Petrus ob oculos positus dicitur *exemplar externum*: per huius autem cognitionem manuducitur intellectus ad formandũ conceptũ imaginis denuò depingendæ, qui quidem conceptus immediate dirigit artificẽ ad imaginis efformationẽ: iste ergo conceptus dicitur *exemplar internum*. Duo tamen inueniuntur in illo, nempè conceptus obiectiuus, & conceptus formalis. Hic nihil aliud, est quã cognitio repræsentans artifici imaginem faciendam. Conceptus obiectiuus est ipsa imago faciendæ, quę repræsentatur artifici per cognitionẽ. Dicitur autẽ conceptus obiectiuus, quia obijcitur seu repræsentatur intellectui artificis per conceptum formalem. His positis.

4 Certum est, *exemplar externum* remotè tantùm concurrere ad opus artificiale: quia non aliâ ratione concurrit, nisi quatenùs media cognitione sui, determinat seu iuuat intellectum, vt formet conceptum operis efficiendi, qui conceptus immediate dirigit artificem ad tale opus efficiendum: ergo remotè tantum concurrit exemplar externum ad opus artificia-

ficiale. *Internum* verò concurrit proximè, quia immediatè dirigit artificem. Est tamen difficultas: quidnam habeat rationem propriã exemplaris in interno, an conceptus formalis, vel potius conceptus obiectiuus?

5 Quidam dicunt, exemplar esse conceptum obiectiuum. Ita Scot in 1.dist.35.quæst.1.Gabr. ibidem quæst. 5.art. 2. Durand. dist.36.q.3. Alij dicunt consistere in conceptu formali. Ita Alen. 1.par. quæst. 13. memb. 4. art.1. Bonau. in 1.dist.75.art.1. quæst. 1. & Capreol. in 1.dist.36.quæst. 1. art. 1. ad 1. Duran. contra 3. concluſ. Alij dicunt, in Deo consistere exemplar, seu ideam in conceptu formali, in creaturis verò consistere in conceptu obiectiuo. Ita P Vazquez 1.par.disp.71.capit.2. Alij denique docent tam in Deo, quàm in creaturis consistere exẽplar in cõceptu obiectiuo prout cognito: itaque in vtroque constituunt rationem exemplaris. Ita nonnulli recentiores.

6 Dico primo: exemplar neq; in Deo, neque increaturis cõsistit in conceptu obiectiuo. Ita authores primæ sententiæ, quibus subscribit P.Suar. in Met. disp.25.sect. 1.num 10. vbi latè id probat ex PP. Dionysio, Augustino, Ambrosio, Iustino, & Nazianzeno asserẽtibus ideam Diuinam consistere in ipsa cognitione Diuina. Probatur hac ratione quia id quod imitatur effectus a Deo, vel ab artifice creato productus, non est conceptus obiectiuus. ergo conceptus obiectiuus non est exẽplar. Consequentia est bona ex definitione secunda supra adducta. Antecedens probatur: quia imitatio non datur nisi inter distincta; nihil enim dicitur se ipsũ imitari: sed conceptus obiectiuus sæpè nõ distinguitur ab effectu producto: ergo iste non potest imitari conceptũ obiectiuũ. Minoré probo: & primo id certũ est in Deo, qui, dum producit Petrũ, non dirigitur per cognitionẽ Ioannis, vel alterius; sed per cognitionẽ ipsius Petri, vt compertũ est Deinde artifices creati eum effectũ ad extra producunt, quem per cognitionẽ dirigentẽ prius conceperunt; neque enim cognitio ad aliud efficiẽdum dirigit, nisi ad id, quod repræsentat. Et tunc censetur artifex perfectus, quãdo ad extra rem producit eo modo, quo eã cognoscebat: sin vero, ab arte deficere putatur: ergo neq, in Diuinis, neque increatis potest cõceptus obiectiuus habere rationem exemplaris.

7 Obijcies primô: creati artifices sæpè rem diuersam producũt ab ea, quã per cognitionẽ dirigentem cognoscebant; neq; enim architectus eandẽ numero domum cognouit, quam ædificat; sed vel cognouit domũ vt sic, faciendam esse hoc vel illo modo, & ex hac cognitione dirigitur ad hãc numero faciendã, vel cognouit aliã numero diuersam, ad cuius similitudinem hanc ædificat: ergo saltem in his casibus poterit conceptus obiectiuus habere rationẽ exemplaris. Ingenuè fateor, artificẽ sæpè, imo & frequenter dirigi ad hanc domũ



tū per cognitionē domus communem, sed non ideo asserendū est, domū in cōmuni cognitā, esse exēplar huius, quæ efficitur, quia, vt diximus, exēplar debet esse id, quod imitatur effectus, nō potest autē esse imitatio inter ea extrema, inter quæ non datur distinctio realis, quæ quidem non intercedit inter domum communem, & particularem.

8 Id autē, quod additur, nempè, artificē per cognitionē vnius domus posse dirigi ad aliā numero diuersam, falsum est, quia per eā cognitionem dirigitur artifex ad efficiendā domū, per quā cognoscit ligna, & lapides taliter esse disponendos. sed non cognoscit, esse disponendos lapides, & ligna alterius domus; sed eius, quæ est ædificanda: ergo cognitio huius, & nō alterius dirigit artificē. Non inficior aliquando contingere, quod præcedēte cognitione domus huiusmodi efficiendæ, aliter in exercitio fiat ab artifice, attamē in hoc casu effectus deficit ab exemplari secundū eam partem, secundū quā non conformatur cōceptui dirigenti, atque adeo neque habet causam exēplarē secundū eam partē; cum non imitetur conceptū dirigentē.

9 Obijcies secundo: etiamsi domus cognita per cognitionem dirigentē non posset esse exemplar secundum se, at prout cognita cur non? Quia finis prout apprehensus potest esse causa sui ipsius prout existentis in rerum natura: ergo etiam domus facienda prout cognita poterit esse causa exēplaris sui ipsius vt producta ad extra. Nō vrget quia exēplar debet esse id, quod imitatur effectus, domū autē, adhuc vt cognitā non imitatur effectus: quia dū dicitur effectus imitari domū vt cognitā, vel intelligitur, quod imitetur solā cognitionē, vel cognitionē simul, & domū ipsā cognitā. Si primū, sola cognitio erit exēplar. Si secundū, est falsum quia domus cognita nō distinguitur ab effectu ergo nulla potest dari imitatio istius respectu illius, vt iā sæpe diximus. Et hinc sumitur ratio disparitatis inter finē (dato), quod esset causa sui ipsius, quod quidē negatū a nobis est disp. 16. n. 34.) & causā exēplarē: quia de ratione finis est, quod per sui apprehensionē moueat voluntatem ad sui ipsius consecutionē realem; atque adeò nō est contra rationem, imò potius est de ratione ipsius, quod vt cognitus causet suā existentiā realem. At vero exemplar est illud, quod imitatur effectus, cum autem imitatio intercedere non possit, nisi inter extrema realiter distincta, & domus cognita non distinguatur à domo producenda, hinc est, quod non possit esse exemplar.

10 Obijcies tertiò exemplar ex Seneca adducto num. 1. *est id, ad quod respiciens artifex id quod destinabat, efficit* sed id, quod respicit artifex, dum domum ædificat, est domus ipsa: ergo domus ipsa est exēplar. Propter hoc arguit etiā nonnulli ex his, qui nobiscum sentiunt, docēt, artificē habere cognitionem reflexam suæ cognitionis dire-

directè illi proponentis, quomodo faciendus sit effectus, quâ cognitione reflexâ dirigitur artifex, vt respiciendo istam directâ cognitionem, effectum illi similem producat. Ex eorum, licèt in Deo inueniatur talis cognitio reflexa, qua cognitio, qua Deus cognoscit creaturas, propter summâ suâ perfectionem est etiam cognitio sui ipsius: at in artifice creato ferè nunquam datur talis cognitio reflexa, vt experientiâ constat, & nihilominùs semper dicitur operari per ideam, seu exemplar ergo, &c. Respõdeo ergo ad obiectionẽ, illam esse definitionem solùm exemplaris externi, ad hoc enim, vt quis depingat imaginẽ Cæsaris, quam exprimere destinauit, prius respicit aliã similem, vt inde iuuetur ad formãdum conceptum imaginis depingendæ, per quem immediatè dirigitur ad operationem.

11 Dico secundó, exemplar internum tam in Deo, quã in creaturis consistit in cõceptu formali repræsentãte, quâ ratione sit effectus producendus. Ita authores relati próprimî conclusione. Consentit P. Molin. 1. par q. 15. ar. 1. disp. 1. §. *Altero modo sumitur idea*: & §. sequenti docet, Augustinũ passim sumere ideã in hac acceptione. Hãc conclusionẽ expressit S. Thom. de Verit. q. 3. quæ est de ideis art. 1. vbi ait *Dicimus enim formã artis, in artifice esse exemplar artificiati, & similiter etiam formã, quæ est extra artificẽ, ad cuius imitationẽ artifex aliquid facit* vbi duo distinguit exemplaria. Vnũ, quod est extra artificẽ, quod cõmuniter vocatur externũ aliud, quod est in artifice (hoc appellatur internum) & istud dicit esse formã artis in artifice: sed forma artis in artifice est conceptus formalis dirigens ad efficiendũ effectũ: ergo ex mente S. Thomæ exemplar internũ consistit in conceptu formali. Quod si aliquando D. Tho. videtur docere exemplar consistere in cõceptu obiectiuo, explicandus est de exẽplari externo; vel, si loquitur de interno, non intelligendus est de obiecto directæ cognitionis dirigentis ad opus; sed de ipsâ cognitione directâ repræsentatâ per aliam reflexam, de quâ expressè loquitur 1. p. q. 15. art. 2. ad 2.

12 Probatur ratione conclusio: *quia exemplar internum non* consistit in conceptu obiectiuo solo, vt constat ex nu. 7. neque in obiectiuo simul, & formali, vt constat ex nu. 9. ergo consistit solùm in formali, quia non est aliud. Secundó, quia in cognitione dirigente ad faciendum effectum reperiuntur omnia, quæ requisita sunt ad rationem exemplaris. ergo in eâ consistit formaliter exemplar. Antecedens probatur: quia in primis effectus imitatur illam cognitionem, non quidem quoad entitatem; neq, enim entitas effectus est talis, qualis est entitas cognitionis; sed quoad repræsẽtationẽ, hoc est, effectus est in se talis, qualis repræsentatur per cognitionẽ. Deinde effectus imitatur cognitionẽ ex intẽtione agẽtis, quia agẽs intẽdit producere effectum modo, quo re-

ſe ſtatim per cognitionē. Denique eſt ex intentione agentis operantis propter finem, ſeu rationalis, vt conſtat: nihil ergo deficit cognitioni ad rationem exemplaris.

13 Dices ad hoc, vt artifex intendat producere effectum ſimilem ſuæ cognitioni, neceſſariū eſt, quòd cognoſcat ſuam cognitionē: qua enim ratione intendet facere vnum ſimile alteri, ſi vtrunque nō cognoſcat? atqui non ſemper artifex cognoſcit ſuam cognitionē: ergo non ſemper intendet producere effectum ſimilem ſuæ cognitioni. Nego maiorem: quia, eo ipſo quòd vult artifex efficere effectum ea ratione, qua eſt repræſentatus per cognitionē, vult in actu exercito producere illum ſimilem ipſi cognitioni. Ad hoc autem, vt velit eum facere eâ ratione, quâ repræſentatur per cognitionē, nihil aliud neceſſarium eſt, niſi quòd ipſa cognitio ſe ipſâ proponat volūtati modum operis efficiendi, quo quidem propoſito ſtatim voluntas vult eum facere eo modo: eo autē ipſo quod effectum facit eo modo euadit ſimilis ipſi cognitioni, & eam imitatur in eſſe repreſentatiuo.

14 Ex his facile inferri poteſt, ad quod genus cauſæ pertineat exemplar? Si enim ſermo ſit de exemplari externo, reduci poteſt ad genus cauſæ formalis extrinſecæ: externum enim non alio modo concurrit ad opus artificioſum, niſi quia terminando cognitionem ſui determinat intellectum, vt eliciat cognitionem dirigentem ad illum efficiendum: id autē, quod determinat ad cognitionem, vt terminus eſt, non alio modo concurrit ad illam, & ad effectus ex illā reſultantes niſi in genere cauſæ formalis extrinſecæ. Si verò ſit ſermo de exemplari interno, certum eſt, pertinere ad cauſam efficientem moralem, quæ concurrit ad effectum dirigendo voluntatem ad illum efficiendum: is autem, qui ad opus aliquod dirigit, in communi omnium exiſtimatione reputatur efficiens operis.

15 Cauſalitas exemplaris nō eſt ſolæ actio, per quā opus ad extra producitur, quia poſſet tale opus caſu produci per illam actionem, & tunc non eſſet effectus exē plaris, vt conſtat ex dictis pro explicatione definitionis ipſius exēplaris: neque eſt actio operis externi prout imperata ab actu voluntatis, quia, ſi Deus produceret actum in voluntate non præcedente cognitione, talis actus imperaret productionem operis externi, quin iſtud eſſet effectus cauſæ exemplaris, quia nulla eſſet cognitio dirigens ad tale opus. Conſiſtit ergo cauſalitas exemplaris in actione, per quā producitur opus ad extra prout imperata ab actu voluntatis orto ex cognitione dirigente. Itaq; cauſalitas exemplaris præter actionē externā, & imperiū voluntatis inuoluit ipſam cauſam exemplarē, quam diximus eſſe cognitionē dirigentē: his enim poſitis, nō poteſt opus artificis nō eſſe effectus cauſæ exemplaris, vt per

ſe

se patet, &, quolibet ex istis ablato, opus artificis non erit effectus exemplaris, vt probatum est.

DISPVTATIO XVIII.

De Comparatione causarum.

HVcusque egimus de qualibet causa seorsim sumptâ. Agendũ modo de his, quæ omnibus conueniunt tã in ordine ad effectus, quã in ordine ad se ipsas inter se.

SECTIO. I.

An idem effectus possit diuisim esse à pluribus causis?

2 NOn procedit difficultas de causis intrinsecè componẽtibus effectum: quia, cum hæ sint de intrinsecâ ratione effectus, variatâ quãlibet ex illis, non potest effectus non esse diuersus. Neque procedit de causa finali: quia ex dicendis sectione sequente constabit facile, quid dicendum sit de fine circa præsentẽ difficultatem. Neque est dubium, an effectus causarum secundarũ possint a Deo solo procedere? Quia certum est, Deum in suâ virtute productiua ita continere effectus omniũ creaturarũ, vt se solo illos possit producere. Quæstio ergo solum est de causa efficiẽte physicâ creata, & materiali recipiente: an, videlicet, effectus ab hoc calore, v. g. productus in hoc passo potuerit produci ab alio calore in alio passo? Prima sententia negat. Ita P. Fonseca 7. Metaph. cap. 2. quæst. 14. sect. 4. Soto, & alij apud P. Rubium lib. 2. sect. 7. de Compar. caus. quæst 2.

3 Dico primò non repugnat, eundem effectum contineri in virtute plurium causarũ. Ita P. Suar. in Meta. disp. 26. sect. 5. à num. 16 P. Rub. suprà. Ratio est: quia, si aliqua esset implicatio, maxime eę, quæ adductæ sunt pro primâ sententiâ ex autem nullæ sunt, vt cõstabit ex ipsarum solutione.

4 Dico secundò: idem effectus continetur in virtute duarum causarum, v. g. idem calor continetur in virtute duorum aliorũ calorũ. Hanc conclusionem tenent authores præcedentis. Probatur: quia idem calor, qui productus est ab vno calore, conseruatur postea ab alio: ergo in virtute vtriusque continetur. Cõsequẽtia est bona: quia conseruatio nihil aliud est, quam continuata productio: vnde sicut non potest produci effectus, nisi à causâ tõtinente illũ in suâ virtute, ita neque potest conseruari. Antecedens autẽ probatur: quia recedente calido, quod calefacit aquam, si succedat aliud calidũ cõseruat calorem in ipsâ aquâ: nec enim recurrendum est ad Deum in tali casu; tum quia, quãdo est præsens causa aliqua secunda, effectus non est tribuendus Deo, nisi aliunde constet de insufficiẽtia causæ secundæ applicatæ, vt docet bona philosophia; tum etiam quia, præsente hoc secundo calido, non minùs impediretur reductio aquæ ad pristinam frigiditatem, quam si primũ calidum esset præsens. id autẽ aliunde pro-

nerare nequit nisi quia ſecundùm calidum conſeruat calorem productum in aquâ, ſicut illum cõſeruabat primum calidum, quod illũ primó produxit. Ex hoc infero, eundem effectum, qui producitur ab hoc calido, potuiſſe ab alio produci: quia, ſi in virtute alterius cõtinetur, non eſt, cur ab illo produci non potuiſſet, ſi loco prioris applicaretur. Idem à paritate dici poteſt de paſsis recipientibus.

5 Obijcies primó: quilibet effectus per ſe pendet a cauſa, à quâ producitur de facto: ergo non poteſt produci ab alia. Patet conſequẽtia: quia, ſi ab alia produci poſſet, per accidens eſſet, quod hìc, & nunc ab alia produceretur; ac per conſequens non procederet per ſe ab ipſâ. Diſtinguo antecedens: quilibet effectus per ſe eſſentialiter pendet a cauſâ, à quâ producitur de facto, nego: per ſe non eſſentialiter, concedo antecedens. Iam docui diſp. 10. ſect. vltimâ, in quo diſtinguantur cauſa per ſe eſſentialis, & per ſe non eſſentialis. Deinde nego conſequentiam. Ad probationẽ fateor, quod, ſi effectus produci poteſt ab aliâ cauſâ, peraccidens eſt, quòd hìc, & nunc producatur ab hâc: inde tamen non infertur, quod hìc, & nunc non procedat per ſe ab iſtâ, quia, vt cauſa iſta dicatur per ſe, ſufficit, quod hìc, & nunc influat in effectũ immediatè iuxta dicta loco citato, vbi in eo diſtinximus cauſam per ſe à cauſâ peraccidens, quod hæc ſit, quæ impertinenter ſe habet ad effectum; illa verò, quæ de facto influit in illum, communicando illi eſſe.

6 Obijcies ſecundó: ſi iſte effectus non magis petit hanc cauſam, quàm illam, non erit, cur duo calores non ſe mutuo contineant in ſua virtute: quod quidem concedendum non eſt. Reſpondeo, ſe mutuo continere, neque id eſſe abſurdum, niſi ſe mutuo de facto producant, quod quidem repugnat, vt dicemus ſectione 3.

SECTIO II.

An idem effectus poſsit ſimul procedere à duplici cauſa totali?

7 NOn eſt ſermo de cauſis cõponentibus intrinſecè effectum: quia, cum hæ ſint dẽ eſſentiâ effectus; addità nouâ cauſâ, non poteſt perſeuerare idem effectus: ſed loquimur de cauſâ efficiente, materiali recipiente, & finali: an videlicet idem effectus poſsit oriri ſimul à duplici cauſâ efficienti totali (idem dico de materiali, & finali in ſuo genere) Totalem cauſam hìc voco eam, quæ in ſuo genere influit in effectum per concurſum, qui non egeat conſortio alterius cauſæ eiuſdem generis ad talem effectũ producendũ, ſed, quouis alio concurſu deficiente, poneretur effectus ex natura rei ab illa ſolùm per talem concurſum.

8 Prima ergo ſententia aſſerit; eundem effectum naturaliter poſſe cauſari a duplici cauſa totali eiuſdem generis tam phyſica, qualis eſt efficiens, ſeu materialis, quàm intentionali, qualis

eſt

est finalis. Ita quidam noui. Secunda sententia est P. Vazq. tom. 1. in 3. part. disp. 24. capit. 4. & Scoti in 2. dist. 1. quæst. 2. asserentium, eundem effectum non posse procedere à duplici causa totali siue physica, siue intentionali adhuc de potentia Dei absoluta. Fundamenta vtriusque sententiæ objiciam infrà.

9 Dico primò: idem effectus non potest naturaliter oriri à duplici causa physica totali: v. g. à duplici efficienti totali, vel à duplici subiecto totali. Consentiunt communiter philosophi. Probatur: quia ea tantùm concurrunt naturaliter ad effectum, quæ necessaria sunt ad ipsius productionem; natura enim, vt admittunt omnes, superfluum horret: sed ad effectum producendũ sufficit vna causa efficiens totalis: ergo naturaliter non est admittenda alia. Ratio à priori est: quia influxus causæ ex natura rei ad nihil aliud ordinatur, nisi vt sit effectus, qui tali indiget influxu ad sui existentiam. Dum autem effectus integre habet existentiam ab vna causa, iam non indiget alia ad existendũ, atque adeo quæuis alia causa ex natura rei cohibere debet suam actionem circa talem effectũ, quandoquidem cessat finis operandi circa illum.

10 Colicies. cum duo ignes applicantur simul eidem passo, vel vterque debet operari, vel neuter: quia non est maior ratio vnius quam alterius. Non hoc vltimũ, quia experientia constat, passum primò calefieri, & postmodũ concipere ignem ergo vterque operabitur. Respõdeo, hìc duplicẽ posse considerari effectũ, calorẽ videlicet, & ignẽ productũ in passo. Respectu caloris in hoc tẽpore producti vnusquisq, se habet vt causa inadæquata; quia hìc, & nunc nullũ ex illis agentibus seorsim tantam intensionẽ produceret in passo per tam breue tempus, atque adeo ex vtroq; resultat vna causa adæquata huius intensionis in hoc tempore productæ. Respectu verò ignis producti, si vtrunq, agens sit æque applicatum, concurret vtrunque per concursum indiuisibiliter ab vtroque procedentem, quiquidẽ orietur à quolibet ex illis vt a causa partiali; quia cũ sit actio vtriusque, ita debet esse connexa cum illis, vt, si quoduis deficeret, non perseueraret. Quod autem in prædicto casu dari debeat talis concursus constat: quia ex vna parte non repugnat eundem concursum indiuisibiliter procedere à duplici agente distincto, cum de facto id contingat in concursu, quo causa secunda, & prima indiuisibiliter influunt in effectum iuxta dicta disp. 14. sect. 2. ex alia verò parte quælibet ex istis causis, cum sit applicata passo, petit cõcursum in illud: cur ergo non dabitur vtrique concursus indiuisibilis ad producendũ ignem in eo passo?

11 Dico secundò: de potentiâ Dei absolutâ potest idem effectus procedere aduabus causis physicis totalibus. Ita P. Suar. in Metaph. disp. 26. sect 4. num. 14. P.

Vazq. tom. 4 disp. 1. q. 3. pũc. 2. P. Hurt. in Physic. disp. 8. sect. 10. P. Arriaga disp. 7. sect. 10. num. 119. & communiter recentiores. Probatur: quia idem effectus potest contineri in virtute duarum causarum, quarum quælibet seorsim possit illum producere adæquate, vt diximus sectione præcedente: deinde non repugnat coniungi simul concursus adæquatos vtriusque causæ, quia neque vnus est negatio alterius, neque inuolvit negationẽ illius: cur ergo Deo denegabimus talem coniunctionem? Confirmatur: quia non repugnat idem corpus esse simul præsens pluribus spatijs, vt Fide sanctum est de Christo Domino, qui simul est præsens in cœlo, & in Eucharistia: *ergo neque repugnabit, quod idem effectus simul pendeat à pluribus causis adæquatis.* Patet consequentia: quia, sicut est sufficiens vna causa, vt tribuat esse effectui, ita est sufficiens vnica præsentia, vt corpus seruetur in loco: sed, hoc non obstante, potest vnum corpus vltra propriam, & adæquatam præsentiam alias admittere supernaturaliter ergo & idem effectus præter vnam causam adæquatam poterit ab alijs dependere supernaturaliter.

12 Objcit P. Vazq. ideo effectus potest depẽdere à causâ, quia indiget influxu causæ ad existẽdũ: sed nullus est effectus, qui indigeat duplici causâ totali ad existendum: ergo nullus est effectus, qui possit dependere à duplici causâ totali. Distinguo maiorẽ: ideo effectus potest dependere à causâ, quia indiget influxu huius determinatæ causæ, nego: quia indiget influxu huius, vel illius vagè, cõcedo maiorem. Et concessâ minori, nego consequentiam.

13 Instabis: si effectus non indigeret aliquâ causâ vagè, nõ posset dependere ab vllâ causâ: ergo, si non indiget duplici causâ totali, non potest dependere ab illâ. Cõcedo antecedens; & nego consequentiam. Disparitas est: quia, si effectus non indigeret aliquâ causâ vagè, esset ens à se, & propterea illi repugnaret dependere ab alio. Hinc est, quod, vt possit dependere ab alio, necessarium est, quod habeat indigentiã alicuius causæ. At verò ex eo, quod non indigeat duplici totali causâ, non sequitur, quod debeat esse ens à se. Vnde si ex alio capite non repugnet simultaneus influxus duarum causarum, poterit dependere ab illis de potentiâ Dei: probauimus autem id non repugnare, ac per consequens non est Deo denegandum.

14 Rogas: casu, quod duo ignes, v.g. habeant duas actiones tales circa eundem effectũ, erunt ne supernaturales tales actiones? Respondeo, fore naturales quoad substantiam, supernaturales verò quoad modum. Est dicere entitates actionum erunt naturales, cõiunctio tamen illarum supernaturalis. Supernaturalitas autẽ coniunctionis in eo stat, quod Deus tribuat concursum cuilibet ex illis in consortio alterius, cum illi nõ debeat talem concursum, alterâ con-

concurrente. Idem, quod diximus de causis efficientibus, dictũ puta de materialibus concurrentibus per passionem.

15 Dico 2. naturaliter potest idem effectus oriri à duplici causâ totali intentionali. Ita P. Hurt. disput. 14. de Anim. sect. 7. & P. Arriaga in Physica disp. 7. sect. 10 nu. 118. Explicatur hæc conclusio. Duo fines possunt intendi vel per vnum actum intentionis, per quem imperatur executio mediorũ conducentium ad vtrunque; vel per duos actus: vt, si quis moueatur ad eundum Toletum propter inuisendum amicum, & propter ludos spectandos, ita vt ex vtriusque intentione apponat media necessaria ad eundum Toletum, potest intendere illos fines vel vno actu, vel duobus. Si intendat vno actu, nullus ex illis erit totalis respectu talis actus intentionis: quia, cum ille actus per suã essentiã sit amor vtriusque, quocunque deficiente non perseuerabit: ergo nullũ est causa totalis illius iuxta explicationem causæ totalis initio sectionis traditam. Ex quo etiã fit, nullũ ex illis finibus seorsim sumptum fore causam totalẽ executionis mediorũ quia executionem non causat finis, nisi medio actu intentionis: at respectu huius se habet quilibet finis vt causa partialis: ergo & respectu executionis. Si vero quiuis finis intendatur per diuersum actum intentionis efficacis, ita vt ex vtroque actu intentionis sequatur executio mediorum conducentiũ ad eundum Toletum, quilibet finis erit causa adæquata executionis mediorum. In hoc sensu intelligenda est conclusio præsens.

16 Probatur: quia, si quælibet ex prædictis intentionibus, cum ambæ sint efficaces, poneretur sola in voluntate, esset sufficiens ad imperandam executionem mediorum, quæ necessaria sunt ad Toletum adeundum: ergo, si ponantur simul, quæuis imperabit executionem eorundem mediorum vt causa totalis: sed non repugnat, quod naturaliter ponantur simul in eadem voluntate, quia neque inter se sunt contrariæ, neque dirigiuntur ad obiecta repugnantia: ergo possunt dari naturaliter simul.

17 Dices: superfluit vna ex illis intentionibus, & ideo ex naturâ rei non possunt dari simul, sicut duo efficientia totalia nõ possunt naturaliter concurrere in eũdem effectum, quia vnum ex illis superfluit. Sed contrà: latum est discrimen inter causas efficiẽtes, & actus voluntatis imperantes executionem mediorum, quia cõcursus efficientis per se primò ordinatur ad effectus existentiam, cum autem positâ existentiâ effectus per vnum concursum totalẽ, nõ sit alius necessarius, superfluit quidem, & ideo non potest dari naturaliter: at actus intentionis voluntatis, cum sint termini actionũ vitalium, per se primo ordinantur ad perficiendam voluntatem, cum autem actus voluntatis tendentes in diuersos fines, diuerso modo per-

perficiant voluntatem, nullus ex illis dicitur superfluere, etiã si simul coniungantur: quia, licèt ad ponendos actus exteriores circa mediorum executionem, non sit vterque necessarius; quilibet tamen necessarius est, vt suo modo perficiat voluntatem. Hìc aduerte, quod, quando duo fines proponuntur simul voluntati, non necessario debet voluntas in eos tendere per vnam solam intentionem quia, cum voluntas sit libera, potest per vnam, vel per duas intentiones, prout libuerit, tendere in eos fines.

SECTIO. III.

An duæ causæ possint mutuo sibi inuicem esse causæ?

18 CErtũ est primò, duas causas non posse esse sibi inuicem causas in eodem genere. In hoc assertum conueniunt omnes, quos hucusque vidi. Ratio est: quia idem nõ potest esse realiter priùs, & posterius in eadem serie, & ordine respectu alterius; si enim Petrus est priùs tempore Ioanne, qua ratione poterit Ioannes Petrum tẽpore præcedere? Sed causa realiter est prior naturâ suo effectu in eo genere, & ordine quo illum causat: ergo, si hæc causa in genere efficientis, v.g. est prior natura, quam effectus, non poterit esse posterior illo in eodẽ genere.

19 Certum est secundò, inter causam finalem, & alias causas dari mutuam dependentiam. Exempli grati intendo consequi gloriam, & ex hãc intentione elicio bona opera, quibus promerear ipsam gloriam. In hoc casu gloria intenta est causa finalis bonorum operũ, & bona opera sunt causa efficiens gloriæ. Hoc assertum expressit Arist. hoc libro textu 3. vbi ait: *Quædam vero vicissim sibi sunt causæ, vt exercitatio boni habitus, & hic exercitationis, sed non eodem modo: at ille vt finis, hæc vt principium motionis.* Et ratio est: quia finis non præsupponitur existens realiter ad suos effectus; sed tantùm intentionaliter in apprehensione: ergo bene poterit fieri realiter existens ab his, quos ipse causauit. Imo id est necessarium, quia finis non alio modo causat, nisi mouendo voluntatem ad ponenda media, quibus fiat realiter existens ipse finis: ergo necessarium est, quod ipse causetur in alio genere ab his, quæ ipse causat tanquam finis. Difficultas ergo præsens solum procedit de reliquis causis: an videlicet possint inter se mutuò dependere adinuicem in diuerso genere causæ?

20 Prima sententia affirmat. Eam tuetur P. Vazq. 1.2. disput. 211. num. 8. secutus ibi adductos. Idem tenet P. Rub. lib. 1. de Gen. tract. 2. sect. 5. & sequuntur docti recentiores. Hanc mutuam prioritatem statuunt isti Doctores inter dispositiones, & formam, ad quam disponunt, dispositiones enim præcedere debent formam in genere causæ materialis, quia ex

ex parte materiæ requiruntur ad ipsam formam recipiendam, deinde formam, dicunt, præcedere dispositiones in genere causæ efficientis. Aduertit tamen satis opportune P. Vazq. dispositiones non præsupponi ad introductionem formæ, sed ad eius receptionem, &, formam non præsupponi ad receptionem dispositionum; sed ad earum effectionem, seu introductionem: quia cum dispositiones præcedant formam in genere causæ materialis, necessarium est, quod illam præcedant, quatenus est effectus causæ materialis, &, cum forma præcedat dispositiones in genere causæ efficientis, necessarium est, quod illas præcedat, quatenus sunt effectus causæ efficientis: sed forma substantialis non est effectus causæ materialis, quatenus introducta (quia secundum hãc rationem pertinet ad causam efficientem) sed solum quatenus recepta. præterea dispositiones non sunt effectus causæ efficientis, quatenus receptæ, vt patet, sed quatenus introductæ in materia: ergo dispositiones præsupponuntur in genere causæ materialis, ad receptionem formæ, seu ad formam vt receptam, & forma præsupponitur in genere causæ efficientis ad introductionem dispositionum, seu ad dispositiones vt introductas.

22. Oppositam sententiam lubenti animo amplector; quia semper exosæ mihi fuerunt hæ mutuæ prioritates, seu dependentiæ causarum. Sequor P. Suar in Metaph. disput. 17. sect. 2. num. 18 & quanuis num. 4. videatur admittere mutuam dependentiam inter materiam, & formam; ipse tamen numero 5. explicat, id non esse intelligendum de mutua dependentia à priori, de quâ hic loquimur, prioritatem enim mutuam omnino reijcit, sed tantum docet, materiam dependere a posteriori à formâ tanquam à conditione, quæ debet consequi materiam, vt naturaliter conseruetur in rerum naturâ. Eandem sententiam tenent P. Hurt. disp. 8. sect. 8. P. Arriaga disput. 7. sect. 8. subsect. 2. & nonnulli recentiores. Probatur primò: quia omnis causa prioritate naturæ præsupponitur existens ante suum effectum: ergo nullo modo potest causari ab ipso effectu. Patet consequentia: quia effectus non potest causare suam causam, nisi tribuendo illi existentiam. sed hæc datur in causa, ante quam existat effectus; ergo non potest effectus illam tribuere ipsi causæ, ac per consequens neque esse causa illius.

23. Respondent aduersarij, causam non posse habere existentiam ab effectu in eo genere, in quo præsupponitur ad illum; posse tamen in alio genere. Nunquam potui calere hanc solutionem; vel enim isti authores vnam solùm existentiam constituunt in causa, vel duas, quarum vna præcedat ad causandum effectum, altera oriatur ab ipso effectu. Hoc vltimũ est

in



insigne figmentum, vt ex ipsis terminis patet. Si autem viam solũ existentiam habet causa, cum hæc secundùm se totam, & absolutè præsupponatur ante effectũ, quia absoluta existentia causæ est, quæ secundum se totam causat realiter effectum, qua ratione poterit hæc eadem mutuari ab ipso effectu adhuc in alio genere concurrente? quia non potest effectus adhuc in alio genere causæ concurrere ad producendam suam causam, nisi communicando illi existentiã, per quam absolute existat in rerũ naturâ sed existẽtia causæ pertedatur secundùm se totam in rerum naturâ ante, quam effectus vllam habeat existentiam, cum iste totã suam existentiam accipiat â causâ absolutè, & secundùm se totam existente· ergo existentia causæ nullo modo potest causari ab effectu.

23 Secundo probatur nostra sententia· quia nihil potest ad se ipsum realiter præsupponi, cum prioritas realis inter extrema realiter distincta versari debeat: sed, si inter causas diuersi generis daretur mutua dependentia, idẽ ad se ipsum præsupponeretur realiter ergo non est admittenda Minorem probo: quia non solũ causa, sed etiam ea omnia, quæ ex parte causæ requiruntur ad causandũ effectum, præsupponuntur ad illum eâdem prioritate, quâ ipsa causa, vt diximus disp. 10 sect. 2. sed omnes causæ producentes, seu cõseruantes causam aliquam creatam requiruntur ex parte illius ad eius effectum producendum: ergo eâdẽ prioritate reali naturæ, qua hæc præsupponitur ad effectum, præsupponũtur & illæ: ergo, si effectus ipse est vna ex causis huius causæ, effectus ipse præsupponetur realiter ad se ipsum. Minor constat tum ex disputatione 10. sect. 5. tũ etiã, quia non alia de causa dicuntur dispositiones requiri ex parte materiæ ad recipiendam formã, nisi quia materia sine illis non est in actu primo proximo ad formam recipiendam: sed neque causa creata sine suis causis conseruantibus est in actu primo proximo ad producendum effectũ, quia, illis deficientibus, corruit existentia causæ, quæ includitur in actu proximo ad causandum: ergo causæ conseruantes, seu producentes causam creatam requiruntur ex parte illius ad causandum eius effectum.

24 Respondent aduersarij, quod ignis non præsupponitur ad calorẽ, quẽ producit, vt productus à suis causis; sed vt existens: quia secundũ eam rationem præsupponitur ad effectum, secundùm quã illum causat sed ignis per suã existentiam causat calorem; non per productionem, qua ignis est productus à suis causis: ergo non præsupponitur vt productus, sed tantùm vt existens. Sed contrà ergo neque in eo priori, in quo ignis precedit calorẽ vt efficiens actus, præsupponetur actio, per quã ipse ignis producitur à suo efficiente. Consequens âperiè deducitur ex tuâ responsione. Patet: ergo in

eodem

eodem genere causæ potest dari mutua dependentia inter duas causas. Patet consequentia: quia ideò per te possunt mutuo dependere duæ causæ in diuerso genere, quia hæc non præsupponitur ad illã vt producta; sed vt existens tãtùm, vnde infers; quod ea causa, quæ vt existens præsupponitur ad aliã, possit hanc præsupponere vt producta: sed ignis ad effectũ, quẽ efficit, non præsupponitur vt productus à suo agente; sed tantùm vt existens: ergo poterit ab eodẽ calore dependere in genere causæ efficientis: hoc nõ concedis: ergo neque illud debes cõcedere. Dicendũ ergo est, ignem non solũ vt existentem præsupponi ad calorem, quem efficit; sed etiam vt productũ ab omnibus suis causis; vt constat ex secundâ probatione nostræ sententiæ.

25. Obijcies 1. S. Thomam, qui 1.2. q. 113. art. 8 aperte docet, ex parte Dei mouentis priùs ordine naturæ esse gratiæ infusionem; deinde motum liberi arbitrij in Deum; præterea motum liberi arbitrij in peccatũ; denique remissionem peccati. Hæc docet in corpore articuli. In solutione verò ad primum, addit, ex parte passi prius ordine naturæ esse liberationem à peccato; secundo motum liberi arbitrij, tertio consecutionem gratiæ: ergo plane admittit Angelicus Doctor mutuã prioritatem naturę in diuerso genere causæ inter formam expellentem, & non esse formæ expulsæ. Respondeo, S. Thomam non loquũ de prioritate reali naturæ, sed tantùm de prioritate rationis, quæ datur secundùm nostrum modum concipiendi: concipimus enim, prius esse ex parte efficientis formã infundere, & deinde succedere expulsionẽ antiquę: ex parte verò passi concipimus prius *non esse* formæ antiquæ, & posterius affectionem nouæ, licèt reuerâ non ita eueniat.

26. Moueor ad hanc explicationem primò ex ipsis verbis Angelici Doctoris; docet enim, in iustificatione peccatoris, prius ordine naturæ esse ex parte Dei mouẽtis infusionẽ gratiæ; deinde motũ liberi arbitrij in Deũ; & præterea motum liberi arbitrij in peccatũ: atqui motus liberi arbitrij in Deũ non est prior prioritate reali naturæ, quàm motus liberi arbitrij in peccatum; quia per vnũ, & eundem realem actum contritionis, qui est dolor de peccato ex complacentiâ Dei, mouetur liberum arbitrium in Deum, & in peccatũ, & ideo non potest esse prioritas realis inter hos motus: ergo non loquitur S. Doctor de prioritate reali. Secundò moueor ex ipso exemplo, quo S. Thom. explicat doctrinam traditam: ait enim, ex parte solis priùs esse illuminare, quã tenebras remouere; at vero ex parte aeris illuminãdi priùs esse purgari à tenebris, quàm cõsequi lumen: constat vero, nullam posse dari prioritatem realẽ inter illuminationẽ aeris, & remotionem tenebrarũ; quia illuminatiõ aeris, cũ sit contradictorium tenebra-

nebrarum, est ipsa remotio illarū: ergo solum loquitur D. Thom. de prioritate rationis.

27 Obijcies 2. quando vna forma expellit aliam ab eodē subiecto, illa præsupponitur ad *non esse* huius in genere causæ formalis, vt diximus disp. 12. sect. 2. deinde *non esse* formæ expulsæ supponitur ex parte materiæ ad receptionē formæ expellentis: ergo se mutuo præsupponunt in diuerso genere causæ. Minor probatur quoad secūdam partem: quia materia ante receptionem formæ aduenientis supponitur capax ad illam recipiendam: atqui fit capax per *non esse* formæ antiquæ; quia si hoc perseueraret, non esset capax recipiendi illam: ergo &c. Nego minorē primi syllogismi. Ad probationem respondeo, materiam ad recipiendam formam aduenientem fieri proximè capacē intrinsece per dispositiones: extrinsecè verò per hoc, quod agēs formæ aduenientis habeat maiorē vim ad hanc introducendam, quam conseruans antiquam ad ipsam cōseruandam. Vnde verum est, quod, si antiquā perseueraret hîc, & nunc, materia non esset capax formæ aduenientis; at id non prouenit ex eo, quod per *non esse* antiquæ cōstituatur capax ad nouam recipiendam; sed ex eo, quod si antiqua in hoc instanti perseueraret; ideo esset, quia virtus agentis denuo applicati non esset maior, quàm virtus cōseruantis antiquam formā.

28 Dices: forma aduenies non potest introduci, nisi in materiā expeditā ad illam recipiendā; sed vnum ex impedimentis est forma antiqua: ergo materia debet expediri ab illā, anteqnam aduenies introducatur. Nego minorem absolute loquendo: quia id, quod impedit introductionē formę aduenientis, non est forma præexistens secundum se sumpta; sed prout conseruata ab agente maioris, seu non minoris virtutis ad illam conseruandam, quam agens denuo applicatum ad introducendam oppositam: atque adeo, eo ipso quod virtus agentis denuo applicati est maior ad introducendā nouam formam, quam virtus conseruantis antiquam ad eam conseruādam, tollitur impedimentū, quod obstare poterat, ne forma noua introduceretur in illa materia.

SECTIO IIII.

An admittenda sit mutua dependentia causarum de potentia Dei absoluta?

29 HVcusque probatū est, non posse dari ex naturā rei mutuā dependentiā inter causas physicas. Inuestigādum modo: an saltem de potentiā Dei absolutā possit dari? & vero si quælibet ex causis vnam totalē causam solum habeat, idem arbitror dicendum, quod hucusque diximus de potentiā ordinariā (in hoc enim sensu quæstionem agitauimus) propter rationes adductas. Si vero vtraque causa, vel vna ex illis dependeat à duplici causā totali, est maior difficultas. Ex. gr. Producat Deus

Deus Petrum, deinde Petrus producat Ioannem, poterit ne fieri, quod iterũ Ioannes producat Petrũ per aliam actionem totalem? P. Arriaga supra adductus affirmat Mouetur: quia in eo casu secundùm diuersam rationem esset Petrus prior, & posterior Ioanne, quia esset prior Ioanne prout productus à Deo per primam actionẽ, esset vero posterior prout productus ab ipso Ioanne per secundã actionẽ. vnde fieret, quod Petrus non esset prior se ipso secundùm eandem rationem; sed secundum diuersas.

30 Contraria sententia mihi magis arridet. Eam probo secũdã ratione sectione præcedẽte adductã pro meã sententiã. quia in casu posito non solũ Ioannes secundũ suam entitatem deberet esse prior naturã Petro producto per secũdã actionem sed etiam omnes causæ producentes ipsum Ioannem; vt ibidẽ diximus. sed Petrus est causa producens Ioannem: ergo ipse Petrus præsupponitur ex parte Ioannis ad effectũ ipsius Ioannis. Cum autẽ effectus Ioannis sit Petrus, ipse Petrus præsupponetur realiter ad seipsum. Dices. Petrus prout producens Ioannẽ est prior seipso prout producto à Ioanne per secundam actionem, quod nõ est inconueniens, quia secundùm diuersas rationes esset prior & posterior seipso. Iam monui disp. 13 num. 58. causam non solum esse priorem causalitate, per quam producit effectum; sed etiam ipsã entitate effectus & eius existentiã. Vnde, si Petrus prout producens Ioannem est prior causalitate, per quam secundò producitur ab ipso Ioanne; erit prior suã ipsius entitate, & existentiã.

31 Idem dicendum est, si vtraque causa producatur per duplicem actionem totalem; vt, si Deus totaliter producat Petrũ, & Ioannem, non poterunt se inuicẽ producere Petrus, & Ioannes per alias actiones totales. Ratio est: quia quãdo vna entitas producitur per duplicem actionem totalem, ita dependet a quãlibet, vt si altera deficeret, sufficienter conseruaretur ab aliã. Vnde nulla ex illis causis est determinate necessaria ad existentiam huius effectus. Est tamen necessaria vtraque disiunctim: quia licet effectus possit conseruari sine hâc determinate, & sine illâ determinate, non tamen potest conseruari sine hâc, vel illâ disiunctim. Cum autem (vt sæpius diximus) id effectus cuiuslibet entitatis non solùm supponatur ipsius existentia; sed etiam causæ, quæ necessariæ sunt vt talis existẽtia detur in rerũ naturã, fiet, quod si hæc existentia causetur à duplici totali causã, vtraque disiunctim sumpta supponatur ad effectus talis existentiæ, quandoquidẽ vtraque disiunctim sumpta, est necessaria, vt detur talis existentia.

32 Ex his formo meam ratiocinationem: si Petrus causaretur à Deo, & Ioanne totaliter à quolibet, vterque disiunctim sumptus supponeretur simul cum Petro

ad effectus ipsius Petri. ergō, si Ioannes esset effectus Petri per aliam actionē totalem, ipse Ioannes supponeretur ad se ipsum. Patet consequentia: quia Ioannes, & Deus supponuntur simul cum Petrō ad effectus ipsius Petri sed per te Ioannes est effectus Petri · ergo Ioannes supponitur ad se ipsum. Et eodem modo potest probari de Petro, quod supponeretur ad se ipsum in cāsu posito. Iam vero probauimus suprà, idem non posse ad se ipsum præsuppoui prioritate naturæ, quia hæc est prioritas realis · ergo &c.

SECTIO. V.

De Fato, Casu, & Fortuna.

33 FAtum, & Fortuna reduci solent ad aliquas ex causis, quas hucusque enumerauimus, & propterea agendū est de illis in hoc loco. Veteres quidē philosophi fatum constituebant in quadā connexione, & ordine causarū vniuersi; quibus docebant omnia ex necessitate prouenire. Et ideo fatum definiebant *est causarum colligantia ex astrorum motibus, ac vi efficaciam trahens* Putabant, causas inferiores ita subiacere cælorum dispositioni, ac astrorum motibus, & influxibus, vt ex vi horum cogantur illæ ad suos effectus producendos hos, vel illos pro vario aspectu, & dispositione cælorum, & astrorum. Hanc fatalē necessitatem non solum tribuebant causis naturalibus; sed etiā humanæ voluntati tā circa honesta opera, quā circa turpia. Imo & addebant aliqui ita intrinsecā esse rebus creatis hanc necessitatem, vt Diuinę prouidētię nullatenùs subiacerent operationes illarū. Hæc refert August. 4. lib. Confess. cap. 3. & lib. 5. de Ciuit. cap. 1.

34 Horum tamen sententia aliena prorsus à veritate censenda est. Et in primis stultum plane est; causas creatas adstruere omnino independentes à Diuinâ prouidentiâ in suis operationibus; quia, vt diximus disp. 14. sect. 1. & 2. ita subditæ sunt Diuinæ omnipotētiæ, vt neque esse, neque operari valeant vllo modo sine immediato concursu Dei; quē cum libere Deus præstet, prouidere poterit, quod tales effectus de facto prodeant, vel non prodeant à suis causis, prout ipsi libuerit. Videatur P. Suar. in Meta. disp. 19. sect. 11. num. 6.

35 Deinde, quod humanæ voluntates fatali necessitate sint subditæ cælorū mōtibus, & influxibus astrorū, in primis est error in Fide: sic enim arbitrij nostri libertas penitus corrueret. Et propterea ea sententia quoad hanc partem damnata est in Concilio Brachar. cap. 9 & à Leon. 1. epist. 91. cap. 11. & 13. eamque impugnant acriter Euseb libr. 6. de Prepar. euang. capit. 5 & sequentibus, Chrisost. in oration. de Prouid. & August. libr. 5. de Ciuitat fere per totum, & Boetius libr. 6. de Consol. Deinde eadem sententia aduersatur rationi naturali. Omnes enim homines lumine naturæ ducti censent dignos pœna, & supplicio eos, qui male operan-

tu


tur, dignos vero præmio eos, qui præclara facinora præstant. Si autem humana voluntas addicta esset suis operationibus fatali necessitate, neque praui homines digni essent pœna, cum non possent praua opera euitare; neque probi digni præmio, cum bonis operibus abstinere non possent: non ergo admittendum est fatum in sensu adducto.

36 Potest tamen admitti, si sano modo intelligatur. Sic ergo illud definies, vt Boet. lib. 5. de Consol. prosa. 6. *Est inhærens rebus mobilib⁹ immobilis dispositio, perquã Diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus.* Ita illud admittũt, S. Th. 1. p. q. 16. ar. 2. PP. Cõimbr. lib. 2. Phys. cap. 7. quæst. 1. art. 2. & P. Suar. infrà num. 11. vbi in hunc sensum explicat plures ex philosophis antiquis. Duo ergo hic involuuntur: decretum videlicet, seu ordinatio Dei, qua ipse Deus causas secundas taliter disponit, vt hos, vel illos effectus determinate producant, & hæc dicitur prouidentia, per quam Deus res creatas ordinat, & disponit in suos fines: deinde datur dispositio, & ordinatio passiua ipsarum causarum, quę nihil aliud est, quam collectio pluriũ entitatum taliter dispositarum ex ordinatione Dei, vt ex eis oriatur determinate talis, vel talis effectus. Hæc autem dispositio causarum habet rationem Fati, quia, cum nomen *Fatum*, dictum sit à *Fando*, illud debet dici Fatum, quod quasi effatum est à Deo, dum causas secundas disponit, & ordinat ad suos fines.

37 Requiritur autem ad rationem Fati primò, quod talis dispositio causarum sit immobilis, non quidem ex natura ipsa rerum; sed ex ordinatione extrinseca Dei; propterea dicitur in definitione: *Inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio*, hoc est, immobilis dispositio ex ordinatione Dei in rebus, quæ ex natura rei sic, vel aliter disponi possunt. Secundò requiritur, quod causæ sic dispositæ inferant necessariò effectũ à Deo intentum: neque enim Fatum à Catholicis admittitur in causis liberis, non alia de causa, nisi quia hæ non inferunt necessario effectum; sed potius, positis omnibus requisitis ad operandũ, possunt operari, & non operari pro suo libitu. Ex dictis colliget, fatum non solum involuere collectionem causarũ efficientiũ; sed etiã materialiũ: quia ex eo, quod causæ efficientes applicentur hæc, vel illis subiectis, proueniet sæpenumerò, quod hos, vel illos effectus producant, vt experientia constat. Cæterũ, quia in his casibus effectus præcipuè tribuuntur causæ efficienti, ideo Fatum ad efficientem causam reduci solet.

38 De fortuna fabulati sunt multa gentiles: quia, cũ ignorarent causam multorum euentuũ, qui fortuito hominibus præter intentionẽ accidunt, Deã quandam confinxerunt, quã Fortunã appellarunt, cui tanquam propriæ causæ prædictos euentus attribuebãt.

Horum tamen commentum impugnarunt inter alios Augustinus lib. 4. de Ciuitat. capit. 18. & Lactant. lib. 3 de Ver. sapientia. capit. 28. & 29. Albertus 2. Physic. tractat. 2. capit. 10. & Scotus in Quodlib. quæstion. 21: In præsenti ergo explicandum est, qui sint effectus casuales, & fortuiti, & inde facile ostendemus, quid sint Casus, & Fortuna.



39. Effectus igitur casualis, & fortuitus, vt docte D. Suar. in Metap. disput. 19. section. 12. num. 11. dicitur is, qui per accidens, & præter intentionem, seu opinionem, aut scientiam causæ operantis raro coniungitur *effectui per se* talis causæ. Itaque ad effectum casualem, aut fortuitum requiritur, quod detur aliqua causa per se influens in aliquem effectum; deinde quod cum tali effectu coniungatur per accidens alius, qui non fuit intentus ab illâ causâ, neque præuisa eius coniunctio cum eo effectu; & denique quod, posità eâ causâ, non contingat frequenter talis coniunctio, sed raro eueniat. Effectus vero casualis, aut fortuitus respectu causæ per se operantis dicitur ille, qui per accidens, aut præter intentionem coniungitur cum effectu per se orto à tali causâ. Est tamen hoc discrimen inter effectum casualem, & fortuitum, quod fortuitus dicitur respectu agentis rationalis operantis à proposito exercitatione, & intentione elicitâ alicuius finis; casualis verò dicitur respectu agentis naturalis. Exempli gratia; dum homo effodiens terram, vt plantet arborem, inuenit aurum ibi generatum ab agente naturali, inuentio auri dicitur effectus fortuitus respectu hominis fodientis terram; casualis verò respectu agentis naturalis generantis aurum; quia talis inuentio auri neque fuit intenta ab agente naturali, quod ibi generauit aurum, neque præuisa, aut expetita ab homine fodiente terram, & deinde raro accidit coniunctio horum effectuum.

40. Hinc fit primò; quod casus, seu fortuna non est causa aliqua per se ordinata ad effectum casualem, seu fortuitum; sed casus dicitur causa naturalis causans effectum, qui, cum non sit per se intentus ab ipsâ, est tamen raro coniunctus cum effectu per se intento, & causato à tali causâ. Fortuna verò est causa intellectualis causans effectum, qui, cum non sit intentus, seu præuisus ab illâ; est tamen raro coniunctus cum effectu per se intento, aut saltem præuiso à tali causâ. Dicitur autem fortuna bona, cum effectus fortuitus est gratus agenti, mala verò, cum molestus. Fit secundò, nullum effectum esse fortuitum, aut casualem respectu Dei: quia nullus effectus est, quantumuis fortuitus, respectu nostri, qui non sit vel per se intentus à Deo, vel saltem præuisus: ideo nullus est, qui sit præter scientiam, aut intentionem eius.

41. Fit tertiò, fortunam, & casum pertinere ad causam efficientem

tem

tem: quia, licèt nonnullæ aliæ causæ sæpè requirantur ad effectus casuales, & fortuitos, soli efficienti illius effectus, cui per accidens contingitur casualis, & fortuitus, tribui solet ille, vt ex cómuni omnium acceptione cóstat. Fit quarto, Eclypsim Solis, & Lunæ non esse effectum casualem: tùm quia non raro contingit suppositâ tali dispositione Solis, Lunæ, & terræ: tùm etiam, quia, dum Luna interponitur inter Solē, & terrā, perse oritur ab istis causis Eclypsis Solis; &, dum interponitur terra inter Solem, & Lunam perse oritur Eclypsis Lunæ. Et ideo potest dari scientia de Eclypsi. In quo differt Eclypsis ab inuentione thesauri: quia, dum quis effodiens terrā inuenit thesaurum, non oritur perse iste effectus exfossione, aut ex hac parte terræ, quia vtriq; accidentale fuit, quod ibi absconderetur thesaurus. Hæc dicta sufficiant de Fato, & Fortunæ. Qui plura velit adeat Patrē Suarez in Metap. disputat. 19. sect. 11. & 12. & P. Rub. in Physica lib. 2. cap. 6. quæst. 1.

LIBER TERTIVS ET QVINTVS PHYSICORVM.

IN TERtio libro egit Aristoteles de motu generaliter sumpto, & de infinito. Postea verò libro quinto naturam motus strictè sumpti indaganit. Nos autem alios inita explicatione vtriusque motus ad vnam disputationem reducemus, & in reliquis ordinem Aristotelis seruabimus.

DISPVTATIO XIX.

De motu laxè & strictè sumpto.

SECTIO I.

Explicatur definitio motus.

1 TRiplicem definitionem motus tradidit Aristot. in hoc 3. lib. Physic. Primam tradidit, capit 2 text. 6. his verbis: *Motus est actus eius, quod in pote-*



stat est, quatenus tale est. Quæ cõmuniter his verbis circunfertur: *Motus est actus entis in potentia, secundùm quod in potentia.* Secũda definitio habetur ibidem text. 16. *Motus est actus eius rei, quæ vim habet, vt moueatur, quatenùs eam vim habet* Quæ est eadem ac illa: *Motus est actus mobilis, prout mobile est.* Cæterum cum per has definitiones non sibi visus esset Arist. naturam motus rectè, & planè declarasse, aliam addidit cap. 3. text. 23. vt omnino quidditatem motus explicaret. Ait enim: *Prætereà modo notiori* (definiri potest motus) *eius quod agere, & pati potest, quatenus tale est, actus.* Ac si diceret, si velis omnino motũ cognoscere, *Est actus actiui, & passiui, quatenus actiuum, & passiuum est.* Quibus verbis, difficultatibus, quæ contra præcedentes definitiones obijci poterant, occurrit. Sed interpretes huius definitionis immemores primam vt reliquis præstantiorẽ conati sunt declarare, videamus quo fructu.

2 Patres Conimb. hìc quæst. 1. art. 1. docent, motum dici *actũ entis in potentia*, vt significetur, motum esse actum eius rei, quę tali modo actuatur per aliquam partem termini, vt maneat in potentia ad aliã partem eiusdẽ termini. Deinde dicunt, addi τὸ *prout in potentia*, seu *secundũ quod in potẽtia*, quia non sufficit, quod res maneat in potentia ad nouam partẽ termini; sed necessarium est, quod procedat vlteriùs, & continuo tẽdat in illam partem termini acquirendã. Ex quo inferunt, hìc solum definiri motum successiuum, & cõtinuum; non verò motum instantaneum. Multis possem impugnare hanc sententiã. Sufficiat dicere, expresse esse cõtra Arist qui, post quam prædictã definitionem tradidit, in exemplum adduxit non solum motus successiuos; sed etiã generationem substantialem, quæ in sententia ipsius Aristot. est motus instantaneus.

3 Alij, inter quos est P. Rubio hìc q. 1 asserunt, inctum esse *actũ entis in potentia*, non quâlibet, sed passiua tãtum: deinde addi, *prout in potentia*; vt denoretur, motum taliter actuare potentiam passiuam, vt illam positiue relinquat in potentiâ ad alium actum perfectiorẽ, hoc est, ad terminũ, qui acquiritur per ipsum motũ: qui quidẽ dicitur actus perfectus; motus verò actus imperfectus. Nõ placẽt isti authores. Et primò, quod motus sit actus potẽtiæ passiuæ tãtũ, est cõtra Arist. qui, cũ c. 2 probasset, motũ esse actum potẽtiæ passiuæ, postea c. 3. text. 18. ex professo probat, motũ esse etiã actum potentiæ effectiuæ. Ideo text. 23. dixit, *esse actum eius, quod agere, & pati potest, quatenùs tale est.* Deinde est contra rationem, quia non solùm est de ratione motus, quòd passum moueatur per illum; sed etiam quòd agens per ipsum moueat. ergo, sicut dicitur actus potentiæ passiuæ, quia est id, quo mouetur ipsa potentia passiua, ita etiam erit actus potentiæ actiuæ, quia est id, quo agens mouet.

4 Secun-

4 Secundò, id quod addunt, nempè motum dici *actum entis in potentia prout in potentia*, quia relinquit passum in potentia ad aliũ actum perfectiorem nempè terminum, falsum omnino est: quia, sicut agens per actionem constituitur non in potentia ad terminum efficiendum; sed potiùs actu efficiens ipsum terminum; ita etiam potentia passiua per passionem debet constitui patiens, seu recipiens terminum; non verò in potentia ad illum recipiendum: ergo, si motus consistit in passione, quæ est propriùs actus passi, non potest relinquere illud in potẽtia ad terminũ, sed potiùs in actu secũdo ad ipsum terminũ.

5 Alij denique docent, addi tam esse in definitione illam particulam, *secundum quod in potentia*, vt denotetur, motum esse actum potentiæ, quæ præcessit cum priuatione formæ acquirendæ per ipsum motum, quia tunc dicitur aliqua potentia ésse in potentia ad suum terminum, quando habet priuationem illius. Cæterum *tò in potentia*, non potest in præsenti intelligi prædicto modo: quia motus ex Philosopho non solum est actus potentiæ passiuæ; sed etiam actiuæ, vt diximus: atqui ad rationem motus non est necessarium, quod potentia actiua præcedat cum priuatione termini acquirendi per motum; ergo *Tò in potentia* non potest ita intelligi, vt potentia, cuius motus dicitur esse actus, debeat præcedere cum priuatione termini. Minorem probo: quia in instanti, in quo producitur luminosum aliquod in loco tenebroso, ita illuminatur aer medius, vt in omnium sententia dicatur moueri tunc per illuminationem; & nihilominus non præcessit luminosum cum priuatione lucis productæ cum in eo instanti denuò producatur etiam ipsum luminosum: ergo, &c.

6 Dico ergo, eam definitionẽ sic intelligendam esse, vt ens *in potentia* sumatur pro ente habente potentiam actiuam, & passiuam, & addi *secundum quod in potentia*, vt denotetur, motum esse actum potentiæ actiuæ, & passiuæ, prout tales sunt. Ita se explicuit Aristot. text. 23. vbi dixit, clariori modo definiendum motum, si dicatur: *Est actus entis, quatenus agere, & pati potest, quatenus tale est*; hoc est, actus actiui, & passiui, vt actiuum, & passiuum est. Hanc explicationem tenet P. Hurt. in Phys. disp. 11. sect. 1. Perpendamus singula: Motus dicitur *actus actiui, & passiui*, quia est id, quo ad actum, & exercitium reducuntur potentia actiua, & passiua. Vndè Arist. hìc cap. 1. & 2. semper in exemplum motus adduxit *alterationem, augmentationem, lationem, generationem, ædificationẽ*, & *sanationem*, quibus ad actum reducuntur potentiæ actiuæ, quæ augent, generant, &c. & potẽtiæ passiuæ, quæ augentur alterantur, &c.

7 Additur, *quatenus tale est*, seu, *prout actiuum, & passiuum est*, vt motus distinguatur à suo termino, quia terminus motus, quã ipse

motus sunt actus iuxta sententiã Arist. vt probauimus disp. 3. sect. 2. & ideò conueniunt in ratione actus actiui, & passiui. Differunt tamẽ, quia terminus est actus actiui, & passiui, prout agens, & patiens est, quia supponit actionem, per quã agitur ab agente; & passionẽ, per quam recipitur in passo: at verò motus, cum ipse immediate attingat potentiam actiuam, & passiuã, & non medio aliquo alio actu antecedente, dicitur esse actus actiui, & passiui; prout actiuum, & passiuum est, quod est idem, ac esse exercitium illorum.

8 Obijceres: non solùm est de essentia motûs, quòd sit actus actiui, & passiui; sed etiã quod subiectum præcedat cũ priuatione termini acquirendi per ipsum motũ: at id non continetur in definitione, prout à nobis explicata est: ergo vel aliter est explicãda, vel nõ est rectè definitus motus ab Arist. Fateor, motum essentialiter includere tum actum actiui, & passiui, tum etiã priuationẽ præexistentẽ in subiecto; neq; enim aliquid moueri dicitur, nisi per actionem, & passionem aliter se habeat nunc, quã antea, transeundo ad aliquid, quod antea non habebat. Est tamẽ hoc discrimen, quod motus principaliter, & in recto includit actũ actiui, & passiui; in obliquo vero, & minus principaliter priuationẽ. Aristoteles autem per hãc definitionem solùm intendebat definire motum secundùm id, quod est magis præcipuũ in ipso, & dicitur in recto; non verò secundũ id, quod dicitur in obliquo: quia, cũ primo libro docuisset, priuationẽ esse principiũ entis naturalis, cuius generationem dixit, esse mutationem, tanquã certum supponit in hoc loco, priuationem debere præsupponi in subiecto generationis entis naturalis, vt talis generatio sit muratio, & ideo tantũ curauit explicare illud, quod præter priuationem includit ipse motus.

SECTIO II.

Nonnulla corollaria ex dictis.

9 EX dictis sect. præcedente infero primò, motum (loquor de motu prout definitus est hìc ab Arist. iuxta dicta numero præcedente) esse idem realiter cũ actione, & passione. Ratio est clara ex dictis: quia motus est actus actiui, & passiui vt taliũ: sed actus actiui, & passiui sunt actio, & passio: ergo motus est actio, & passio. Minor est certa: quia actus actiui, & passiui est ille, per quem exercentur potẽtia actiua & passiua: hæ autem exercentur per actionem, & passionem, cùm exercitium talium potentiarum sit agere, & pati: ergo, &c.

10 Infero 2. motum nõ esse formalitatem distinctam ab actione, & passione, sed idem formaliter cum illis. Ita P. Tolet. hìc text. 23: & P. Hurt. disp. 11. sect. 3. n. 23. Ratio est: quia motus formaliter vt talis, est actus actiui, vt actiuum est; & passiui, vt passiuum est: sed actus actiui, & passiui vt talium est formaliter actio, & passio,

sio, quia per actionem exercetur actionum, & per passionẽ passionũ: ergo &c. Cõfirmatur: quia id, per quod agens formaliter mouet, & passum mouetur formaliter, est motus formaliter: sed agens formaliter mouet per actionem vt talem; & passum mouetur formaliter per passionem vt talem: ergo &c. Minorem probo; quia agens non aliter mouet, nisi producendo aliquid in passo; & passum non aliter mouetur, nisi recipiendo aliquid ab agente, vt concedunt omnes: atqui agens producit terminum in passo formaliter per actionem; & passum recipit illum ab agente per passionem formaliter, vt constabit ex dicendis disputatione sequenti: ergo agens formaliter mouet per actionem vt talem; & passum formaliter mouetur per passionem vt talẽ; ac per consequens motus est formaliter actio & passio.

11 Obijcies primò: motus est formaliter actio, & passio: ergo est vnum per accidens; quia ex rebus diuersorum prædicamentorũ non potest resultare vnum perse. In primis nego consequentiam: quia actio, & passio sunt idem formaliter, vt dicemus disp. sequente: & propterea non constituunt diuersa prædicamenta, nisi sumantur inconcreto pro agente, & passo. Secundò, admitto, esse formaliter diuersas, ac proinde motum esse vnum per accidens. Quid inde? Dices: non potest definiri vna definitione. Concedo. Ideò Arist. definiuit illum duplici definitione, cum dixerit *est actus actiui, & passiui vt talium.*

12 Obijcies secundò transacto primo instanti productionis, permanet actio, & passio, & non permanet motus: quia post primum instans, in quo productus fuit calor in subiecto, non dicitur mutari subiectum per calorem in eodem subiecto conseruatũ: ergo motus non est idem saltem formaliter cum actione, & passione. Respondeo, transacto primo instanti productionis permanere motum secundum eam rationem, secundum quam diximus, definitũ esse hìc ab Aristotele, de qua loquimur in præsenti: non tamen permanet secundum totum, quod dicit, essentialiter: quia præter actionem, & passionem essentialiter involuit, quod immediate præextiterit subiectum cum priuatione termini acquirendi. Cum autem hoc solum detur respectu prioris instãtis productionis, ideo solum in hoc instanti absolute dicitur mutari subiectum.

13 Infero tertiò motum adhuc sumptum pro actione, & passione tantum, esse entitatem realiter distinctam ab agente, passo, & termino. Ita P. Hurt. hic sect. 2. nu. 6. vbi citat S. Thomam, & alios, idem docet P. Suar. in Metap. disputat. 49 section. 2. numer. 5. Probatur. quia hoc agẽs, hoc passum, & hìc terminus dãtur in rerũ naturâ sine motu: ergo distinguũtur realiter ab illo. Cõsequent. est bona. Antecedens autẽ probatur; quia, si hic ignis, postquã produxit

calorem in hoc passo, remoueatur ab illo, perseuerabit idem calor in eodem subiecto; & tamen iam illũ nõ producet hic ignis in hoc passo, cum non possit agere in passo, cui non est applicatus: ergo iam dantur hoc agens, hoc passum, & hic terminus sine actione, & passione, per quam hic calor producebatur ab hoc agẽte in hoc passo.

14 Dices, deficere approximationem, eâ tamen positâ, dari actionẽ seu (quod idem est in præsenti) motum ab hoc agẽte in hoc passo, quin noua aliqua entitas addatur. Sed contrà: vel approximatio est de ratione intrinsecà, & essentiali motus, vel non. Si primũ: ergo iam motus præter agens, passum, & terminum quid aliud includit essentialiter, ac per consequens erit realiter distinctus ab his tribus. Si dicas secundum: ergo, cùm essentia motus non consistat solùm in entitatibus agentis, passi, & termini, vt probauimus, necessarium erit, quod, posita approximatione, detur noua aliqua entitas, quæ vel sit tota essentia motus, prout dicit actionem, & passionem; vel saltem cõstituat essentiam motus cum prædictis entitatibus. Hæc faciunt ea, quibus disput. 15. sect. 2. probauimus, creationẽ distingui realiter ab agente, & termino: & ea, quibus disp. 5. sec. 1. probauimus, vnionem distingui realiter ab extremis.

15 Infero quarto: motum esse solùm in passo. Hoc placitum expressè traditur ab Arist. lib. 2. de Anim. text. 139. quem sequuntur cõmuniter philosophi. Ratio est: quia motus dicit duo, actionem videlicet, & passionẽ. De passione certum est subiectari in passo: quia est id, per quod terminus subiectatur in illo. De actione autem probatur, quod vt talis sit in eodem passo: tum quia, vt dicemus disp. sequenti, est idem realiter cum passione, & ideo debet esse realiter in eodem subiecto, in quo est passio: tũm etiam quia actio non est in termino, vt probari potest eisdem rationibus, quibus probatum est disp. 15. sect. 3. creationem non esse in termino, neque est in agente vt tali, Deus enim nihil in se denuo admittit, quando aliquam creaturam denuo efficit: si autem dicas, Deum agere actione à se indistincta, iam id impugnatũ est ea disp. 15. sect. 2. ergo, &c.

16 Ratio autem à priori, cur actio non sit in agente est: quia ex Aristot. referendo disp. sequente actio est actus agẽtis in passo, hoc est, id, per quod agens producit terminum in passo, seu, quod idem est, per quod effectus oritur ab agente in passo: ergo debet esse in ipso passo. Cõsequentia est bona: quia, eo ipso quòd per actionem oritur effectus ab agente, est necessarium, quod ipsa, saltem *vt quo* oriatur ab eodem agente, vt cõcedunt cõmuniter philosophi: ergo, eo ipso quod per actionem oritur effectus ab agente in passo, necessarium est, quod ipsa etiam, saltem *vt quo* oriatur in passo, ac per consequens erit in illo.

SEC-

SECTIO. III.

Determinis a quo, & ad quem motus.

17 CVm motus omnis sit transitus de vnò in aliud, est necessarium, quod habeat terminum *a quo*, & *ad quem* Terminus *a quo* est ille, qui destruitur ex vi termini *ad quem*. Terminus verò *ad quem* est ille, qui acquiritur per motum. Exempli gratia: sit aqua frigida, & accedat ignis producens in illa calorem, medio quo destruatur frigiditas. In hoc casu calor est terminus *ad quem* calefactionis, quia acquiritur per illam; frigus verò est terminus *a quo*, quia definit esse in hoc subiecto ex vi caloris producti; nec quidquam aliud significamus, quando dicimus, *Subiectum de frigido*, seu *ex frigido fieri calidum*, nisi quod ita fit calidum, vt ex vi caloris desinat esse in illo frigus. Et propterea nõ dicimus; *ex dulci fieri calidum*, etiamsi aliàs desinat dulcedo, quando introducitur calor; quia videlicet dulcedo non desinit ex vi caloris, cùm non opponatur cum illo.

18 Terminus, *a quo*, esse potest positiuus, & priuatiuus. Priuatiuus semper requiritur ad rationem motus: quia, cùm iste sit, quo transit subiectum de vno in aliud, necessarium est, quod præcesserit sine illo, ad quod transit. Alioqui si illud antea haberet, non diceretur transire ad aliud; sed permanere cum illo. Dicitur autem subiectum transire de vnò in aliud, etiamsi in subiecto præcesserit solum priuatio termini ad quem: quia iam tunc transit de hoc, quod est esse subiectum priuationis, ad hoc, quod est esse subiectum formæ, quâ antea erat priuatum. Positiuus vero datur aliquãdo, vt quando actio fit inter formas contrarias, seu incompossibiles in eodem subiecto. v.g. quãdo ex calido fit frigidũ, talis motus habet præter terminum *a quo* priuatiuum, alium positiuum, quia quando transit subiectum de calido in frigidum, transit etiam de non frigido in frigidum, cum tam calor, quam priuatio frigoris destruantur per ipsum frigus.

19 Terminus *ad quem* solet diuidi in totalem, & formalem. Terminus totalis est totum, quod resultat ex subiecto, & forma in illo producta vnitis. Terminus formalis est ille, ratione cuius cõuenit termino totali hoc, quod est esse productum per talem motum: quia sicut forma alicuius compositi dicitur illa, per quam constituitur in esse talis, ita etiam terminus formalis alicuius motus, seu actionis debet esse ille, ratione cuius terminus totalis constituitur in esse termini talis motus, vel in esse producti per talem motum. Quis autem sit terminus formalis mutationis, per quam producitur, seu generatur totum substantiale? Dicam in lib. de Gen. disp. 6. n. 10.

20 Motus solet diuidi in *succes-*

cessatū, & *instāt an eū*, iste est, qui est totus simul; vt, hominis generatio, cuius non generatur vna pars primò, & posteà alia; sed omnes simul: *Successiuus* est, qui non est totus simul; sed cuius vna pars succedit alteri, vt contingit in motu locali. Deinde motus *successiuus*, alius est *successiuus per se*; alius *per accidens*. *Successiuus per se* est ille, qui tendit in terminum, cuius partes ex natura sua non possunt acquiri omnes simul, sed petunt, vt vna post aliam acquiratur talis est motus localis per spatium diuisibile, in quo non possunt pluces præsentiæ simul acquiri, sed necessario est acquirenda vna post aliam: *Successiuus per accidens*, est ille, qui tendit in terminum, cuius partes ex natura sua possunt simul acquiri, per accidens tamen successiue acquiruntur: talis est productio caloris, cuius partes successiue acquiruntur; quia in subiecto præcedit qualitas contraria: quod autem hæc præcedat in subiecto, est per accidens ad rationem caloris.

21 Inter istos motus dantur aliqui contrarij, illi videlicet, qui habent terminos contrarios, vt, calefactio, & frigefactio, quæ versantur circa calorem, & frigus. Non tamen opponuntur isti motus in quolibet gradu; sed tantum in gradibus intensis: sicut enim calor, & frigus possunt esse simul in eodem subiecto secundum gradus remissos, v.g. quatuor frigoris, & quatuor caloris, ita etiam productio quatuor graduum frigoris, & quātuor cāloris nō opponuntur: opponuntur tamen productio octo graduum frigoris, & productio octo graduum caloris, sicut calor, & frigus vt octo opponuntur. Itē sunt contrarij motus *sursum*, & *deorsum*; *dextrorsum*, & *sinistrorsum*, &c.

22 Est tamen obseruandum, motū *sursum*, & *deorsum* non esse essentialiter oppositos; quia eandem præsentiam, quam in hoc medio acquirit lapis, dum mouetur sursum, poterat acquirere, dum mouetur deorsum, quod enim in hunc locum moueatur à parte superiori, vel ab inferiori, extrinsecū quid est ipsi præsentiæ, & actioni, per quā acquiritur. Motus vero, qui dantur inter qualitates cōtrarias, vt inter calorem, & frigus essentialiter sunt oppositi; quia termini per suas intrinsecas entitates opponuntur.

23 Rogas: vtrum idem corpus possit naturaliter moueri simul motibus contrarijs? Respondeo negatiue. Et quidem id certum est de motibus, qui versantur inter qualitates contrarias: quia cùm istę non possint naturaliter esse simul in eodem subiecto in gradibus intensis, neque poterunt esse simul earū productiones. De motu verò *sursum*, & *deorsum* facile probatur: quia vt idem corpus moueretur simul sursum, & deorsum, necessarium erat, quod simul moueretur, & à parte superiori ad inferiorem, &, à parte inferiori ad superiorem: sed non potest naturaliter idem

cor-

corpus simul moueri à parte superiori ad inferiorem, & è contrà : ergo, &c. Minorem probo ; quia vt moueretur simul à parte superiori, & ab inferiori, necessarium erat, quod immediatè anteà præcessisset simul in superiori, & etiam in inferiori loco ; vel quod simul acquireret superiorem, & inferiorem locum ; sed naturaliter non potest idem corpus simul esse in inferiori, & superiori loco, vt notum est ; neque simul acquirere superiorem, & inferiorem locum, quia esset simul in illis duobus locis, quod quidem naturaliter repugnat : ergo, &c.

24 Ex hoc inferes, animam rationalem, quæ ex natura rei est secundum se totam in qualibet parte corporis, posse simul moueri sursum, & deorsum, prout existentem in diuersis partibus; quia potest vna manus moueri sursum, quando altera mouetur deorsum. Vnde motus *sursum*, & motus *deorsum* solum sunt oppositi ex natura rei respectu subiecti quod non potest esse nisi in vno loco.

25 Dices : potest fieri, quod dum nauis mouetur versus orientem, homo contentus intra illam moueatur versus occidentem : ergo tunc iste homo moueretur simul motibus contrarijs. Patet consequentia, quia in primis iste homo moueretur motu causato à sua potentia locomotiua, vt patet, deinde moueretur etiam motu ipsius nauis, vehitur enim quotunque nauis: at isti motus sunt contrarij respectu totius hominis, qui non potest naturaliter esse in duplici loco : ergo potest idem corpus moueri motibus contrarijs simul. Respondeo, hominem in casu posito moueri simul versus orientem, & occidentem ratione diuersarum partium : quia, dum pedem vnum mouet versus occidentem per vim suam locomotiuam ; alter, qui tunc temporis nititur pauimento nauis, mouetur motu ipsius nauis versus orientem : media vero pars corporis superior mouetur versus eam partem, versus quam maior impulsus imprimitur in homine. Si vero vterque impulsus sit æqualis, pars superior corporis neque mouebitur versus orientem, neque versus occidentem, sed quiesset in eodem loco, si autem moueatur sursum, vel deorsum ; vel latera versus, causabitur iste motus ab vtroque impulsu.

SECTIO IIII.

De motu propriè dicto.

26 CErtum est primò, motum proprie dictũ includere rationem motus explicatam 1. & 2. section. constat id ex Aristot. lib. Physi. text 9. vbi ait: *Quoniam autem motus omnis mutatio est quædam*, &c. *Mutationis* enim nomine significatur motus generaliter sumptus, prout distinguitur à motu proprie dicto. Certum

tum est secundò, motũ proprie dictum addere aliquid supra rationem motus generaliter sumpti. Id ergo inuestigamus in hac sectione. In quâ re communis multorum sententia fuit, successionem esse de ratione motus proprie dicti. Sed hi plane aduersantur Aristoteli, iam ostendo.

27 Dico primò: de ratione motus proprie dicti est, quod per illum mutetur totum substantiale, vel saltem possit denominari mutatum. Itaque illa tantum mutatio est motus proprie dictus, quæ potest denominare mutatum totum substantiale. Est expressa Arist. 5. Physi. text. 8. vbi generationem excludit à ratione motus, quia per illam non mutatur totum substantiale; sed fit. Verba Arist. sunt: *Impossibile enim est, quod non est, mutari: si autem hoc, & generationem motum esse, impossibile erit, generatur enim quod non est.* Ac si diceret: id solum moueri potest motu proprie dicto, quod est totum substantiale (etenim apud Arist. substantia solum completa dicunt absolute *esse*; accidentia vero non dicuntur *esse*; sed *inesse*) cum autẽ generatio non supponat; sed faciat totum substantiale, non potest istud adhuc denominatiue moueri per illã; quia quod mouetur, debet prioritate temporis supponi ad motum, vt per illum transire possit de vno termino in alium. Id autem aliter contingit in accidentibus; quia licèt in sola materia prima reciplantur, vt diximus disp. 11. sect. 2. tamen idem totum substantiale, in quo includebatur materia ante productionem caloris, v.g. perseuerare potest post productionem eiusdẽ caloris, & ideo denominabitur mutatum per calorem; quia tunc iam dicetur transire de frigido, seu non calido in calidum.

28 Dico secundò: de ratione motus proprie dicti non est, quod versetur inter terminos positiue cõtrarios; sed sufficit, quod opponantur priuatiue. Id etiam expressit Arist. supra, vbi hæc habet: *Ea dumtaxat mutatio, quæ ex subiecto est in subiectum, motus sit necesse est: subiecta autem aut contraria, aut media; nam priuatio ponatur contrarium, nudũque & album, & nigrum affirmatione declarantur.* Ea autem mutatio dicitur hìc ab Arist. esse de subiecto in subiectum, qua substantia completa transit de vno in aliud, hoc est, de vno accidente in alterum: quia, cum substantia cõpleta sit subiectum, de quo dicuntur omnia accidentia, vt docet ipse Arist. lib. 1. Physic. text. 62 eo ipso quod transit de vnõ accidenti in aliud, transeat necesse est ab hoc, quod est esse subiectum vnius ad id, quod est esse subiectum alterius, quod apud Arist. est transire *de subiecto in subiectum*. Addit deinde Arist. quod subiecta, inter quæ datur talis trãsitus, debent esse *contraria, aut media*: Et, vt declaret, non esse necessariam contrarietatem inter ret-

minos positiuos; sed sufficere eã, quæ datur inter priuationem, & formam, subiungit ea verba: *Nã priuatio ponatur contrariũ*: Ergo ex mente Aristot. sufficit ad rationem motus proprie dicti contrarietas, quæ datur inter priuationem, & formam

29 Id clarius expressit lib. 11. Metap. cap. 10. vel iuxta aliam diuisionem sum. 4. cap. 3. circa medium, vbi, cùm dixisset, eam tantum mutationem, quæ est è subiecto in subiectum, esse motum (proprie dictum intellige) addidit: *Subiecta vero aut contraria, aut media, nam & priuatio contrarium esse ponatur.* Et subiungit rationem his verbis: *quandoquidem & affirmatione declaratur, veluti nudum, cæcum.* Dicit autem, priuationem affirmatione declarari, quia, cum sit carentia formæ in subiecto apto, nullo modo potest dari, quin detur subiectum, quod transire possit ab eâ priuatione in formam positiuam. Vnde non potest explicari, seu declarari priuatio per meram negationem termini, sed necessarium est, affirmari subiectum, quod transire possit de illa in terminum, seu formam positiuam Aliter philosophatur de his negationibus: *Non calidum, non album*; &c. Quia, cùm *non calidũ* neget calorem in subiecto, præscindendo ab eo, quod detur subiectum aliquod, de quo verificetur talis negatio, non est necessarium, quod quando ex *non calido* fit *calidum*, detur motus, per quem transeat subiectũ aliquod de vno in aliud, quod quidem secus est in priuatione, vt ex dictis constat.

30 Ex dictis infero, successionem non esse de ratione motus proprie dicti · tum quia Aristot. locis supra citatis, in quibus egit de motu proprie dicto, nullã mentionem fecit successionis: tum etiam quia dixit, ad rationem motus sufficere contrarietatem, quæ est inter priuationem, & formam: sed hæc contrarietas non causat successionem, cũm aer ex tenebroso fiat illuminatus in instanti, &c. ergo contra mentem Arist. est adstruere successionem ad rationem motus proprie dicti.

31 Obijcies: Aristot. 5. Phys. text. 9. & 10. excluſit productionem substantiæ à ratione motus, eo quod substantiæ nihil est contrarium: sed in substantia datur contrarietas priuatiua: ergo ea, quã requirit Arist. ad rationẽ motus, est contrarietas positiua: cùm autem motus, qui datur inter contraria positiua, sit successiuus, necessarium erit ad rationem motus proprie dicti, quod sit successiuus. Respondeo, Aristot. dum negat ad substantiam dari motũ ex eo, quod non habet contrarium, intelligendum esse de contrarietate ab ipso requisita ad rationem motus: hæc autem erat contrarietas, cuius subiectum sit substantia completa: Cũ verò nulla substantia sit, quæ subiectetur in substantia completa, fit, vt non detur in substantia contrarietas sufficiens ad rationem motus. Id p a

g.s

gis explicatur sectione sequenti.

32 Dices: subsistentia est modus substantialis habens pro subiecto substantiam cõpletam, quæ quidem mutari potest de priuatione subsistẽtiæ in ipsam subsistẽtiam, vt reuera mutaretur modo humanitas Christi Domini, si relinqueretur a Verbo: ergo datur aliqua substantia habens contrarietatem sufficientem ad rationẽ motus. Respondeo, subsistentiam non habere pro subiecto substantiam completam; quia hæc completur per illam in ratione substantiæ. Vnde sicut productio cõpositi substantialis excluditur à ratione motus, quia totum non supponitur ad talem productionem, sed fit per illam, ita etiam excludenda est á ratione motus productio subsistẽtiæ; quia per ipsam substantia fit completa in suo esse substantiali. Aliam solutionem adhibeo sectione sequenti in simili denutritione, quæ hic etiam potest adhiberi.

SECTIO. V.

Ad quæ prædicamẽta detur motus proprie dictus?

33 Docuit nõ semel Arist. in 5. lib. Physi motũ proprie dictum solũ dari ad *quantitatẽ*, *qualitatem*, & *vbi*; non vero ad substantiam, & reliqua prædicamenta. Vidimus sect. præcedenti, cur non detur ad substantiam. Examinanda iam restat reliqua in præsenti. Equidem, quod ad reliqua prædicamenta non detur, clarè ostendit Philosophus; quia videlicet nullum ex illis producitur per motum. *Relatio* nãque nõest aliquid distinctum à fundamento, & termino, vt diximus in Log. atque adeo nulla ad eam datur actio præter actionem, quæ datur ad fundamentum, & terminum. Deinde *actio*, & *passio*, cum sint motus, non possunt fieri per alium motum, alioqui daretur processus in infinitum. Neque *tempus*; quia est denominatio extrinseca, vt dicemus lib. 4. Neque *situs*; quia nihil addit intrinsecum supra *vbi*. Neque *habere*; quia extrinseca denominatio est.

34 Præterea certum est, ad *qualitatem*, & *vbi* dari motum proprie dictum; quia per earum productionem transit substantia completa de vnã formâ in aliam, vel saltem de priuatione vnius formæ in ipsam formam. De quantitate est aliqua difficultas, an videlicet acquisitio illius (quæ communiter *augmentatio* dicitur, & est actio illa, perquam viuens dum nutritur, acquirit sibi maiorem quantitatem) sit motus proprie dictus? Aliqui recentiores ausi sunt negare expresse contra Aristotel. Fundamentum eorum ex dicendis facile soluetur.

35 Pro explicatione veræ sententiæ noto primò, ad hoc, vt totum aliquod mutari dicatur per aliquam actionem, necessarium non esse, quod illam recipiat secundùm se totum; sed

sufficere, quod illam recipiat secundùm aliquam partem sui. Est id compertum apud omnes: quia, licèt sola materia recipiat albedinem, totus homo dicitur mutàri per illam. Noto secundò; quod, dum viuens per augmẽtationem acquirit sibi maiorem quantitatem, non producitur denuo aliqua pars quantitatis, sed ea pars, quæ erat sub forma alimenti; vnitur cum quantitate viuẽtis per indiuisibile quoddam denuo productum in indiuisibili materiæ vniente etiam partem materiæ alimenti cum materia viuentis.

36 Noto tertiò, quod, licèt indiuisibile vniens materias in illo eodẽ instanti producatur; nihilominus in eo instanti est aliquid viuentis: tum quia est terminus materiæ ipsius viuentis, continuatiuum enim duarum partium est terminus, & vltimum vtriusq; partis: id autem quod est terminus alicuius, aliquid est illius: tum etiam quia in eo instanti fit proprium viuentis per nutritionem; per hanc enim producitur forma ipsius viuentis in eo indiuisibili vniente materias, atque adeo illud indiuisibile est aliquid viuentis in eo instanti. Noto quartò, viuens, quod augetur in hoc instanti præextitisse anteà cum priuatione indiuisibilis vnientis quantitates: quia ex vnâ parte erat aptum ad illud recipiendum medio indiuisibili continuatiuo materierum, & ex aliâ parte carebat tali receptione. His positis.

37 Dicendũ est cũ Arist. dari motũ proprie dictũ *ad quantitatẽ*. Ratio est facilis ex dictis: nã in hoc viuẽte, quod modo augetur per acquisitionem nouæ quantitatis, dãtur omnia requisita, vt dicatur moueri motu proprie dicto: quia in primis in hoc instãti ratione indiuisibilis vnientis materias, quod iam est aliquid ipsius viuentis, ipsum viuens recipit indiuisibile vnitiuum quantitatum: deinde tempore antecedenti præcedebat cũ priuatione talis vnitiui, de qua priuatione nunc trãsit ad ipsũ vnitiuũ: ergo totũ substantiale transit de vno in aliud per actionem, & passionem. atqui nihil aliud requiritur ad rationem motus proprie dicti: ergo, &c.

38 Dices, necessariũ est ad rationẽ motus proprie dicti, quod subiectum præcedens cũ priuatiõne formæ recipiat in se ipsam formã: sed viuẽs, quod præcedit cũ priuatione quãtitatis acquirẽdæ per augmẽtationẽ, non recipit in se quãtitatem, neque indiuisibile cõtinuatiuum quantitatum; quia istud recipitur in vnitiuo materierum: ergo non mutatur viuens per augmentationem. Distinguo maiorem: est necessarium, quod subiectum præcedens cũ priuatione in se recipiat formam secundũm aliquid sui, concedo: secundum se totum, nego maiorẽ. Est dicere: ad rationem motus proprie dicti necessarium est, quod subiectum præcedat cũ priuatione formæ, & quod recipiat ipsam formã, attamen necessariũ non est; quod recipiat

piat formam per eandem partem, quæ anteà erat priuata ipsâ formâ, sed sufficit, quòd anteà entitas illius fuerit priuata formâ, & postea recipiat eandē formā per aliquid, quod sit illius in eo instanti.

39 Id colligo ex ipso Aristot. a quo acceperunt omnes philosophi id, quod requiritur ad rationem motus proprie dicti: is autem postquam lib. 5. Phys. text. 8.& 9.docuit, necessarium esse ad rationem motus proprie dicti, quod substantia completa transeat de vnâ formâ positiuâ in aliā, seu de priuatione in formam, statim addidit, *ad quantitatem, qualitatem*, & *vbi* dari motum. Et infrà text. 18 docet, motum ad *qualitatem* esse *alterationem*; *ad quantitatem, augmentationem*, &c. Ergo manifestè sentit, *augmētationem* esse motum proprie dictum: sed viuens, quod augetur, non recipit vnionem quantitatū, (quam producit per augmentationem) immediate per id, quod anteà erat priuatum tali vnione; sed per indiuisibile vnitiuum materierum, qūod in eo instanti fit aliquid illius: ergo sentit Aristot. ad rationem motus proprie dicti necessariū non esse, quòd id, quod antea erat priuatum forma, recipiat posteà ipsam formam immediate in se ipso, sed sufficere, eam recipere in aliquo, quod in eo instanti sit ipsius.

40 Obijcies: ex hoc videtur sequi, nutritionem (quæ est actio, per quam viuens acquirit sibi nouam partem substantiæ) esse motum proprie dictum: ac per consequens dari talem motum ad *substantiam*. Sequelam probo: quia viuens ante nutritionem erat priuatum nouâ parte formę, seu vnionis illius cum nouâ parte materiæ: deinde in instanti nutritionis producit in parte materiæ alimenti (quæ tunc temporis vnitur cum ipsa materia viuentis, & est aliquid ipsius viuentis) partē formæ, seu vnionis ipsius formæ cum parte materiæ: ergo iam datur, quod substantia completa per actionem, & passionem transeat de priuatione partis formæ viuentis ad ipsam partem formæ: ergo vel dicendum est, nutritionem esse motum proprie dictū, vel asserēdum, necessariū esse ad rationē motus proprie dicti, quod, substantia completa recipiat formā in eâdē parte, quæ anteà erat priuata ipsa forma.

41 Pro solutione in memoriam reuoca id, quod suprà diximus ex Aristot. nempe motū proprie dictum esse illum, quo substantia completa transit ex hoc, quod est esse subiectum vnius ad hoc, quod est esse subiectum alterius contrarij. Deinde nota in phrasi Aristot. non dici proprie esse in subiecto, quæcunque recipiuntur in potentiâ aliquâ receptiuâ, sed ea tantùm, quæ ita recipiuntur in substantia completa, vt non sint partes illius. Expressit id Philosophus in Log cap. de Substantia ante medium, vbi cū anteà dixisset; commune esse om-

ni

ni substantiæ in subiecto non esse & id probasset; occurrit cuidam obiectioni, quæ fieri poterat contra hanc doctrinam ex formis materialibus, seu partibus substātiæ, quæ in subiecto esse videtur: *Non conturbent autem* (verba sunt Philosophi) *nos substantiarum partes, quæ ita sunt in toto, quasi in subiecto sint, ne fortè cogamur, eas non esse substantias confiteri non enim ita ea, quæ sunt in subiecto dicebantur, quasi vt partes inessent alicui*, hoc est, substantiæ cōpletæ. Vbi ex eo docet, partes substantiæ non esse in subiecto, quod ita sunt in substantiâ completâ, vt se habeant tanquā partes illius. Idem docuerat in Antepræd. cap. 2. vbi agit de Diuisione eorū, quæ sunt; ait enim: *In subiecto verò esse dico, quod cū in aliquo* (hoc est in substantia completa) *sit non sicut quædam pars, impossibile est esse sine eo, in quo est.*

42 Ex his infero, ad rationem motus propriè dicti, necessarium esse, quod substantia cōpleta trāseat de contrario in contrarium, quæ accidentia sint, quia ex Arist. adducto suprà, est necessarium, quod transeat de vno contrario, quod subiectetur in illâ, ad aliud contrarium, cuius etiā sit subiectum sed sola accidentia dicuntur subiectari in substantia iuxta phrasim Arist. adducti num. præcedente. ergo ad rationem motus propriè dicti necessariū est, quod substantia transeat de vno accidenti in aliud. Hinc facilis est responsio ad obiectionē suprà adductam. Concesso enim, quod viuens per nutritionem trāseat de priuatione formæ in ipsam formam, nego id, quod inde infertur, nempe, vel nutritionem esse motū proprie dictum, vel augmentationem non habere omnia requisita ad rationem motus. Discrimen est clarum: quia per nutritionem non transit viuens de priuatione in formam, quæ non sit pars illius: at vero per augmentationem trāsit ad formam, quæ non est pars ipsius viuentis; sed accidens illi superadditum, & ideo hæc est motus proprie dictus, quia per eam transit substantia de subiecto in subiectum, vt constat ex dictis.

43 Ex omnibus dictis colliges, cur Verbum Diuinum non muretur per vnionem ad humanitatem Christi Domini, etiamsi præcesserit priuatum tali vnione, & in instanti incarnationis recepta fuerit eadem vnio in humanitate, quę constituebat vnum compositum cum Verbo Diuino. Prima ratio sit: quia Verbum Diuinum non recipit vnionē in se, aut in aliquo sui; licet enim humanitas in eó instanti fuerit vnita Verbo, non erat aliquid illius; quia neque erat cōplementum, neque perfectio ipsius Verbi, vt patet; sicut vnitiuum materiæ viuentis cum materia alimenti (in quo vnitiuo producitur per augmentationem vnitiuum quantitatum) est perfectio, & complementum ipsius viuentis in eo instanti, in quo datur augmentatio, vt suprà diximus. Secunda ratio sit; quia tran-

sit Verbum de non vnione ad vnionem cum humanitate ita, vt ex ipso, & humanitate vnitis resultet vnum compositum, quod est substantia completa: ad hoc autem, vt ille transitus esset motus proprie dictus, necessarium erat, quod id, quod acquiritur per illum, non esset pars substantiæ, seu de integritate illius, vt constat ex dictis.

DISPVTATIO XX.

De *Actione, & Passione.*

1 DIximus, motum esse actionem, & passionem; Oportet modo naturã actionis, & passionis inuestigare, vt omnino explicata maneat essentia motus. Porrò actio potest sumi dupliciter. Primò prout abstrahit à creatione, & eductione: qua ratione definiri potest: *Actus actiui prout actiuum est.* In hac tamen acceptione non fuit cognita ab Aristot. quia, cùm ipse nõ cognouerit potentiam creatiuam, non potuit cognoscere creationẽ, ac per cõsequens neque rationem actionis, quæ superior esset respectu eductionis. Secundo potest sumi pro solâ eductione, secundũ quã acceptionem definita fuit ab Aristot. quia, cum ipse non cognouerit aliam potentiam actiuam nisi eductiuam, nec potuit cognoscere aliam actum actiui, nisi eductionem. Hanc dixit, esse de natura motus, & huius essentiam inquirimus in hac dispositione. Vnde in præsenti idem est actio, ac eductio, & ideo nomine actionis nihil aliud significabimus, nisi eductionem.

SECTIO I.

Quid sint actio, & passio?

2 ARistot. 3. lib. Physic. text. 22. sic definiuit actionem, seu eductionem: *Est actus huius in hoc.* Dicitur *actus huius*, actiui videlicet, quia per illam exercetur potentia actiua, in quo conuenit cum creatione, quæ etiam est exercitium potentiæ actiuæ. Additur *in hoc*, in passiuo videlicet, vt distinguatur à creatione, quæ, vt diximus disput. 15. est productio rei extra subiectum. Passionem etiam definiuit Aristotel: *Est actus huius ab hoc.* Dicitur *actus huius*, passiui videlicet; quia est id, quo potentia passiua exercetur, seu recipit effectum. Additur *ab hoc*, ab actiuo videlicet; quia sicut potentia eductiua non producit effectum, vtcunque; sed in passo: ita etiam potentia passiua nõ recipit effectum, nisi ab agente, seu à potentiâ actiuâ.

3 Ex hoc infero primò cum recentioribus, de conceptu actionis, & passionis non esse, quod distinguantur realiter à termino. Ratio est: quia demus terminum, qui se ipso oriatur ab agente, & se ipso etiam recipiatur in passo, iste erit

erit se ipso actus, seu exercitium agentis in passo, & actus, seu exercitium passi ab agente, vt patet: ergo se ipso erit actio, & passio. Iam, quod dari possit talis terminus videtur mihi certum; neque enim vlla repugnantia involui potest in prædicatis talis termini, præsertim cum sint plures, qui dicant, Angelum, & animam rationalem se ipsis creari à Deo, & quatenus hanc sententiam non admiserim suprà disput. 15. nihilominus eam non refellebam; quia esset aliqua repugnantia ex parte termini identificati cum suâ productione; sed ex alio capite.

4 Hic velim, animaduertas, diuersum quid esse, terminum se ipso esse actionem, & passionem, ac, dari actionem, & passionem sine termino: quia tunc dicitur terminus se ipso esse actionem, & passionem, quando datur aliqua entitas, quæ, cum habeat formalitatem aliquam pertinentem ad aliud prædicamentum, habet alias simul, per quas se ipso dependeat ab agente, & passo: at vero tunc dicerentur dari actio, & passio sine termino, quãdo daretur aliqua entitas, quæ, cũ dependeret seipsâ ab agente, & passo, & esset exercitium illorum; tamen neq; haberet formalitatẽ aliquam pertinentem ad aliud prædicamentum, neque terminus aliquis ab illa realiter distinctus prodiret (per ipsam ab agente, & passo.

5 Licèt ergo possibilem existimem terminum, qui se ipso sit actio, & passio; putò tamen impossibilem actionem de prædicamento actionis; & passionem de prædicamento passionis sine termino modo explicato num. præcedente. Ratio est: quia, sicut vnio est exercitium potentiæ vnibilis; ita actio, & passio sunt exercitium potentiæ actiuæ, & passiuæ: sed, licèt possit dari entitas, quæ simul cum aliâ formalitate habeat rationem vnionis sui ipsius cum alio extremo (vt contingit in subsistentia, & alijs modis, quî se ipsis vniuntur rebus, quarum sunt modi) nihilominus non potest dari entitas, quæ, cum solum in se habeat conceptum formalem vnionis, non vniat vnum extremum cum alio, vt concedunt etiã ij, qui dicunt, posse dari actionem & passionem sine termino: ergo neque poterit dari actio, & passio, quæ, cum non habeat aliud conceptum formalem, non faciat dependere ab gente, & passo terminum à se distinctum.

6 Infero secundò, actionẽ, & passionem prout hic definitas ab Aristot. debere esse realiter distinctas ab actiuo, & passiuo: quia hæ sunt actus actiui, & passiui vt talium: atqui id, quod est idem realiter cum actione, & passione, non est actiuum, & passiuum; sed agens, & patiens: ergo actio, & passio debent realiter distingui ab actiuo, & passiuo. Minorem probo: quia actiuum, & passiuum dicitur id, quod habet potentiam ad agendum, & patiendũ. id autem dicitur talem potentiam

tiam habere, quod continet in sua virtute productiua actionem, & passionem: ergo non potest esse idem realiter cum actione, & passione. Patet consequentia: quia nulla res potest cõtinere se ipsam in suâ virtute productiuâ.

7 Infero tertiò, in conceptu formali actionis, & passionis præcisè vt talium ambibi respectum transcendẽtalem ad potentiam actiuam, & passiuam; secus ad terminum. Ratio est facilis ex dictis quia actio, & passio distinguuntur realiter à potentiâ actiuâ, & passiuâ tanquam exercitium actuale illarum: ergo habent connexionem cum ipsis tanquam modi illarum. Ad terminum verò, seu effectum non dicunt transcendentalem ordinem actio, & passio præcisè vt tales: quia præcisè vt tales non inuoluunt distinctionem realem ab effectu, vt diximus. Ex vero, quæ à termino distinguuntur realiter, illum essentialiter respiciunt, non quatenùs actio, & passio præcisè; sed quatenùs tales actiones, & passiones: quia ratione talitatis distinguuntur à terminis, & cum eis connectuntur tanquam actuales productiones illorum.

SECTIO II.

An eductio, & passio distinguantur realiter?

8 SCotus in 4. dist. 13. q. 1. & quodlib. 11. cum suis, Anton. Andræ. lib. de sex princip. q. 9. & alij, quos refert P. Suarez in Metap. disput. 49. sect. 1. putant, eductionem distingui realiter, seu ex naturâ rei a passione. Et idem sentiunt, qui dicunt, actionem esse in agente; passionẽ verò in passo. Fundamẽta horum authorum soluentur infra.

9 Vera sententia est, eductionem, & passionem esse idem realiter. Eam tenet P. Suar. suprà à nu. 3. P. Tolet. in hunc textum P. Hurt. disp. 16. Metap. sect. 4. vbi plures pro se adducit P. Arriaga, disp. 8. sect. 3. Eam tradit, & probat expresse Arist 3. Physic. text. 18. vbi hæc habet iuxta versionẽ PP. Conimb. *Perspicuũ vero etiã illud est, quod dubitatur, motum in eo esse, quod mouetur; est enim actus eius, & ab eo, quod vim mouendi habet & eius quidem, qui vim mouendi habet, actus diuersus non est, quippe cum vtriusque actus esse debeat.* Et paulopost cõcludit *Vnus igitur amborum æquè est actus.* Et explicat exemplo accliuis, & decliuis, vbi eadem est via realiter, licèt secundùm rationem diuersa.

10 Omissis aliorum rationibus, quæ videri possunt apud P. Hurt. & P. Arriag. suprà, sic eam probo: quia eductio est actus agentis, seu actus in passo, vt vidimus ex Aristotel.: ergo sicut non potest esse actus agentis, quin saltem *vt quo* sit ab agente, ita etiam non potest esse actus in passo, quin saltem *vt quo* sit in ipso: sed esse *vt quo* in passo est esse passionem: ergo

go: eductio realiter est passio. Minorem probo: quia esse *ut quo* in passo est esse id, quo terminus est in passo: sed esse id, quo terminus est in passo, est esse passionem: ergo, &c. Maior est certa: quia esse *ut quo* ab agente est esse id, quo effectus oritur ab ipso agente, vt concedunt omnes: ergo esse *ut quo* in passo est esse id, quo effectus est in ipso passo: & sicut, eo ipso quod hæc entitas est id, quo effectus oritur ab agente, est actio in sententia omnium, ita etiam, eo ipso quod est id, quo effectus est in passo, debet esse passio.

11 Respondent aliqui, eductionem ideo dici id, quo effectus oritur ab agente in passo; quia per illam producitur non solum terminus; sed etiam passio, per quam effectus recipitur in passo. Hæc tamen responsio non congruit cum definitione eductionis: definitur enim *actus agentis in passo*: ergo non solum est de ratione eductionis esse actum, seu exercitium agentis; sed etiam esse exercitium in passo: ergo, sicut non esset exercitium agentis, si se ipso non oriretur ab agente; ita etiam non poterit esse exercitium in passo, nisi se ipsa sit in ipso passo.

12 Obijcies primò: actio, & passio constituunt diuersa prædicamenta: ergo distinguuntur realiter. Nego consequentiam: neque enim distinctio realis requiritur ad constituenda diuersa prædicamenta, imo neque formaliter, vt dicam sectione sequente. Obijcies secundò eductio vt talis debet habere subiectum: hoc autem non potest esse passum, quia in hoc solum recipitur passio: ergo debet habere aliud, ac per consequens actio, & passio distinguentur realiter, cum habeant subiecta realiter diuersa. Respondeo, eductionem nullum aliud subiectum habere, nisi passum; quia est actus agentis in ipso passo.

SECTIO III.

Qua ratione distinguantur eductio, & passio?

13 CErtum est apud omnes, eductionem, & passionem distingui per rationem. Id docet expresse Arist. 3. Phys. text. 21. his verbis: *Neque necesse est, discentem discere, neque si pati, & agere idem est, non tamen vt ratio sit vna, quodquid erit esse dicens sicut tunicæ, & indumento; sed vt via à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas.* Et text. 22. addit, *Nam huius in hoc, & huius ab hoc actum esse ratione diuersum est.* Quibus verbis clare docet, actionem, & passionem per rationem distingui. Est ratio difficultas, quæ distinctione rationis distinguantur? An videlicet distinctione rationis ratiocinatæ, vel potius ratiocinantis?

14 P. Suar. in Met. disp. 49. sect. 2. n. 1. quem communiter sequuntur recentiores, affirmat distingui ratione ratiocinata. Probatur primò ex Arist. n. præcedenti adducto vbi docet, rationem, quod quid erat

esse relidicentem, hoc est, essentialem, esse diuersam in actione, & passione: ea verò, quæ essentialiter distinguuntur, non possunt non distingui ratione ratiocinatâ. Deinde probatur ex S. Thom. 11. Metap, lect. 9. & 2. contra Gent. cap. 9. Rationes infrà soluentur.

15 Semper mihi visa est difficilis præfata sententia, & Arist. repugnans: propterea in contrariam eo tum P. Hurt. in Metaph. disput. 16. sect. 4. eamque videor mihi aperte deducere ex definitionibus actionis, & passionis traditis ab Aristot. Probatur: quia ad hoc, vt ratione ratiocinatâ distinguantur duæ formalitates, necessarium est; quod diuersa habeant cõnotata; vel, si eadem, diuerso modo ea connotent: sed eductio, & passio, neque habent diuersa connotata; quia vtraque respicit agens, & passum; neque diuerso modo ea connotant: ergo non distinguuntur ratione ratiocinatâ. Minorem probo quoad posteriorẽ partẽ: quia eductio respicit agẽs tanquam id, *a quo est*, & passum tanquam id, *in quo est*; passio itidem respicit passum tanquam id, *in quo est*; & agens tanquam id, *a quo est*: ergo vtraque respicit eodem modo agens, & passum.

16 Antecedens constat ex definitionibus: etenim eductio definitur *actus agentis in passo*, quæ quidem ea tenùs est *actus agentis*, quatenus *est ab illo*; neque enim aliâ ratione potentiam actuam reducit ad actum, nisi fluendo ab illâ tanquam via, & fluxus, medio quo fluit effectus: ergo eductio vt talis respicit agens tanquam id, *a quo est*, & passum tanquam id, *in quo est*. deinde passio definitur *actus passi ab agente*, ea tenùs vero est *actus passi*, quatenus *est in illo*, neque enim alia ratione potentiam passiuam reducit ad actum, nisi sistendo in illâ tanquam via, media quâ effectus est in ipsâ potentiâ passiuâ: ergo passio respicit passum tanquam id, *in quo est*, & agens tanquam id, *a quo est*: ergo actio, & passio eodem modo respiciunt agens, & passum.

17 Respondent aliqui, eductionem non respicere passum tanquã id, *in quo est*; sed tanqã id, *circa quod* versatur, ideo asserunt, non esse dicendum in definitione *actus agentis in passo*, sed, *in passum*. Sed contra istos pugnat Græcum exemplar Arist. in quo in definitione actionis dicitur *Tó gar tude en tode*; quod est idem, ac *huius in hoc*, in ablatiuo; quia licèt Græci non habeant istum casum; attamẽ particula *en* præposita datiuo, vt hîc præponitur, respondet nostræ particulæ *in* cum ablatiuo.

18 Alij respõdent, passionem respicere passum in recto, & agens in obliquo, è contra verò eductionem. Inanis responsio quia, vt iã probauimus, eductio respicit agẽs tanquam id, *a quo est*, & passum tãquam id, *in quo est*, & eodem modo illa respicit passio: ergo vtraque connotat agens in ablatiuo cum

præ-

præpositione *ab*; & passum etiam in ablatiuo cum præpositione *in*: ergo vtrumq; cónotatur ab actione, & passione in eodem obliquo.

19 Alij denique respondent, & quidem acute, eductionẽ, & passionem in eo distingui, quod eductio sit id, quo agens producit effectũ in passo; passio vero sit id, non quo effectus producitur in passo ab agente; sed quo passum recipit effectum ab agente, quæ quidẽ distincta esse fomaliter existimãt. Verũ, si bene expendatur hæc solutio, sunt verba sine nucleo: quia eductio eatenùs est id, quo agens producit effectũ in passo, quatenùs est ab agente in passo; & passio eatenùs est id, quo passum recipit effectũ ab agẽte, quatenùs est in passo ab agente, neque enim producere effectũ in passo est aliud, quã quod effectus oriatur, vel sit ab agẽte in passo; neque recipere effectum est aliud, quã quod effectus sit in passo ab agente: sed esse effectum ab agente in passo, & esse in passo ab agente est idem formaliter, vt iam probauimus: ergo idẽ est formaliter id, quo agens producit effectũ in passo, & id, quo passum recipit effectum ab agente.

20 Dicamus ergo, eductionẽ, & passionẽ distingui solũ ratione ratiocinãte; ex eo videlicet, quod definiens in definitione eductionis incipit *ab agente*, è contra verò in definitione passionis incipit *à passo*, quod quidẽ sufficit, vt *eductio*, & *passio* non dicantur synonoma, sicut dicuntur *indumentum*, & *vestis*; quia hæc nomina sũt imposita ad significandum eodẽ modo id, quo induimur: at *eductio* est imposita ad significandam illã entitatẽ prius explicatã per agens; quã per passum; passio vero è contra ad significandã eandem entitatẽ explicatam prius per passum, quam per agens. Adde exẽplum ab omnibus admissum, quo doctrina trãdita confirmatur: omnes enim admittunt, cognitionẽ per eãdem formalitatem, qua constituit potentiam cognoscentem, constituere etiam obiectum cognitum, seu terminans potentiam; & nihilominus nemo est, qui dicat, esse synonoma respectu cognitionis hoc quod est esse id, quo potentia cognoscit, seu repræsentat obiectũ, & esse id, quo obiectum terminat potentiam: non aliâ de causâ, nisi quia, licèt eadẽ formalitas significetur per hæc verba; attamen non explicantur eodẽ ordine effectus, quos causat ipsa eadem formalitas; sed ordine diuerso. Idem dico in actione, & passione.

Soluuntur obiecta.

21 AD Aristot. adductum pro prima sententiâ respõdeo, in eo loco non agere de distinctione essentiali actionis, & passionis, sed agentis, & patiẽtis: ait enim: *Neque necesse est docentem discere, neque si pati & agere idem est, non tamen vt ratio sit vna, quod quid erat esse dicens.* Vbi docet, quod licèt in eadem entitate coniungatur hoc, quod est *agere*, & *pati* non habent eandem rationem essentialem sed diuersam: quia videlicet *agere* in-

voluit essentialiter actionem, & entitatem agentis, prout est id, quod producit effectum in passo per actionem; pati verò involuit actionem, & entitatem patientis, prout est id, quod ab agente recipit effectum. Esse autem id, quod producit effectum, & esse id, quod illum recipit; formalitates sunt distinctæ, quia vnum dicit virtutẽ actiuam in recto cum actione, & connotat passiuam virtutẽ; aliud verò è contrà: & ideo concretum includens vnam ex illis est diuersæ rationis à concreto alteram includente, etiamsi vtrunque eâdẽ afficiatur forma: quia cum essentia concreti coalescat ex subiecto, & formâ, quolibet essentialiter variato, variatur essentia concreti.

22 Quod verò hæc sit mens Arist. constat ex his, quæ subiungit in eodem text. *at vero* (inquit), *neque si doctio, & disciplina* (de quibus hìc loquitur eodẽ modo, ac de actione, & passione) *sint idem, discere, & docere idẽ erunt.* Ac si diceret, quod licèt *doctio*, & *disciplina* sint vna, & eadem forma secundum essentiam; inde tàmen non possit inferri *docere*, & *discere* esse idem formaliter, non alia de causa, nisi quia hæc concreta præter *doctionem*; & *disciplinam* includunt essentialiter subiecta; quæ dicuntur *docere*, & *discere*, & cùm hæc prout talia formaliter distinguantur, necessarium est, quod concreta ex illis resultantia essentialiter distinguãtur, etiamsi eadem afficiantur formâ.

23 Id quod explicat exemplo satis idoneo, nempe, quod licèt eadem distantia inter duo extrema contineatur, v. gr. inter *Complutum*, & *Matritum*, nihilominus non sit idem distare *Complutum à Matrito*, ac distare *Matritum à Compluto*. Hinc colligo, quod quando distinctionem *agentis*, & *patentis* (de quibus hic loquitur eo modo, quo de *docente*, & *addiscente*) explicat exẽplo viæ, quæ est ab Athenis ad Thebas, & à Thebis, ad Athenas, non sumit ibi viam pro spatio materiali interposito inter vtramque: sed pro hoc quod est ire de vno extremo ad alterum, & è contrà; quia ibi non intendit explicare distinctionem formarum; sed concretorum ex istis resultantiũ, vt satis probatum est.

24 Dum autem textu sequente addit, actionem, & passionem non esse proprie idem; sed ratione diuersas, loquitur de distinctione non rationis ratiocinatæ; sed ratiocinantis, quæ sufficit vt dicantur non esse proprie idem, vt constat ex dictis numero 20. Huius non leue indicium est, quod, cùm absolutè Aristotel. suprà docuisset *agere*, & *pati* essentialiter distingui, etiamsi in eadem entitate coniungantur, hìc non dicit absolutè *actionem*, & *passionem* distingui essentialiter; sed non esse proprie idem: absolutè autem diceret distingui essentialiter, si putaret distingui ratione ratiocinatâ, sicut *agere*, & *pati*. Vnde vbicunque Aristotel.

& D.

& D. Thom. Docent, actionem, & passionem distingui ratione, explicãdi sunt de distinctione rationis ratiocinantis. Ex hucusque dictis non licet inferre, in entitate, quæ est *actio*, & *passio*, non dari duos respectus, quorum vnus terminetur ad *agens*, & alius ad *passum*, hoc enim libenter admittimus addimus tamen vtrunq; includi eodem modo tam in actione, quam in passione, vt iam explicuimus.

25 Obiicies primò: *eductio*, & *passio* sunt vna, & eadem ratio formalis: ergo idem erit semper effectus formalis vtriusque; atque adeo id, quod est *agens* semper erit *passum*; & è contrà. Nego cõsequentiam. quia; cùm effectus formalis non solum involuat formam; sed etiam subiectum, eadem formalitas potest constituere diuersos effectus formales, si subiecta, quæ denominat; sint diuersa. Hæc autem formalitas illud, a quo oritur, denominat *agens*, seu *educens*, & id, in quo est, denominat *passum*, & ideo diuersos constituit effectus formales Sed quid? si eadem entitas *agat*, & *recipiat*; erunt ne ea dem formalitas *agens*, & *patiens*? Nequaquam; sed diuersæ: quia *agens*, seu *educens* dicit in recto virtutem actiuam, cum eductione, & connotat virtutem passiuam; è contrà verò *patiens*, *seu passum*, quod quidem sufficit, vt formaliter distinguantur *agens*, & *passum*, quando coniunguntur in eâdem entitate. *Actio* verò, & *passio* eodem modo connotant *agens*, & *passum*, vt suprà diximus, & propterea nõ sunt duæ formalitates.

26 Hinc est, quod ratio communis actionis præscisa ab eductione, & creatione contrahitur ad eductionem, & passionem per eãdem omnino differentiam: nam, cùm sint idem formaliter *passio*, & *eductio*, eadem differentia, quæ genus superius contrahit ad *eductionem*, debet illud contrahere ad *passionem*; atque adeò *passio* est quædãm species, quæ sub actione in communi, tanquam sub genere proprio continetur.

27 Obiicies secundo: *actio*, & *passio*, non distinguuntur realiter, neque formaliter, qua ergo ratione constituunt diuersa prædicamenta? Respondeo, *actionem*; & *passionem* constituere diuersa prædicamenta ratione diuersarum denominationũ, quas tribuunt *agenti*, & *passo*: hæ enim denominationes *agentis*, & *passi*, non subordinantur tanquam prædicatum inferius, & superius, & ideo diuersas constituunt series, seu categorias. Id confirmatur ex Aristot, qui in Antepraedicam. capit. 5 & libr. 5. Physicor. text. 9. & libr. 5. Metaph. text. 14. vbi enumerauit prædicamenta, licèt alia prædicamenta in abstracto recenserit in aliquo ex his locis; nunquam tamen meminit *actionis*, & *passionis* in abstracto; sed in concreto, videlicet *agere*, & *pati*; vt denotaret non constituere diuersa prædicamenta, quia sint diuersæ formalitates; sed quia di-

uersos

uersos effectus formales constituunt.

28 Dices, cur ergo non constituunt aliud prædicamentum, quatenus terminum denominant productum; quandoquidem hæc denominatio non subordinatur alijs duabus tanquam prædicatum inferius, vel superius? Ne simus religiosi nimis in obseruando numero prædicamentorum. Potuerunt assignari plura; potuerunt & pauciora redacta vero sunt ad decenarium numerum; ne, si plura assignarentur, confusionem parerent; vel si pauciora, obscura admodum relinqueretur coordinatio prædicatorum, quæ ad rectè construendos syllogismos est necessaria; præsertim cum ad similitudinem horum facile sit alia coordinare prædicata, quæ, licet in eandem cum istis seriem non concurrunt; tribuunt tamen denominationes, quæ ad istorum normã facile coordinari possunt.

SECTIO IIII.

An actiones, & passiones specificentur ab agente, passo, & termino?

29 Dicitur vna res specificari ab alterâ, quando talem habet connexionem cum illâ, vt posteriori hâc variatâ secundùm speciem; illa etiam specifice varietur. Diximus sect. 1. actionem, & passionem habere connexionem cum agente, & passo imò & cum termino, si ab illo distinguantur. Inquirimus in præsenti: an hæc connexio sit talis, vt; quolibet ex illis secundum speciem variato, actio etiam, & passio specifice varientur? Et quidem certum est apud omnes, tam actionem, quàm passionem specificari à termino; atque adeò difficultas solum procedit de agẽte, & passo.

30 Dico primò actio specificatur ab agente (idem esto de passione) ita vt hoc secundum speciem variato sit etiam actio diuersa specie, etiamsi passum, & terminus eadem perseuerent. Ita Pater Herice 1. part. tractat. 2. disputation. 17. numer. 18. & P. Arriaga in Phys. disput. 9. sect. 4. subsection. 5. & aliqui recentiores. Eam expresse tradit D. Thom. prima secundæ, quæstion. 1. articul 3. vbi agens de distinctione actionis, & passionis ait: *Vtrunque horum ab actu speciem sortitur; actio vero ab actu, qui est principium agendi; passio vero ab actu, qui est terminus motus nostri.* Idem docet; prima parte, quæstion. 77. articul. 3. & iterum repetit, quæstion. 6. de Potentia articul. 8. vbi, etsi addat, speciem propriè desumi à termino, esse autem naturale à principio, non negat id, quod immediate antea dixerat. Idem expresse docet, prima parte, quæstion. 14. artic. 5. ad tertium.

31 Probatur ratione: & ponamus exemplum in duabus calefactionibus tendentibus in eun-

dem

deni calorem in hoc passo, quarum vna sit à luce, & altera à calore. Quælibet existis habet connexionem cum suo agente tanquam actus proprius illius taliter, vt in hoc vniuoce conueniat cum alijs actionibus habentibus connexionem cum eodem agente. sed agẽtia distinguuntur specie: ergo & actiones. Patet cõsequentia: quia non propter aliam rationem sunt actiones specie diuersæ, quando termini sunt specie diuersi, nisi quia connectuntur cum illis tanquam actuales productiones illorum: ergo, cum connectantur etiã cum agentibus tanquam actus proprij illorum, specie distinguẽtur, si agentia specie distincta fuerint. Confirmatur: quia respectus distinguuntur specie, quando termini, ad quos ordinantur, sunt specie diuersi, vt nullus non concedit: sed respectus, quo calefactio ordinatur ad agens, habet pro termino ipsum agens: ergo, variato agente secundum speciem, variabitur etiam specifice respectus.

32 Respondent aduersarij, calefactiones lucis, & caloris non esse actus illorum vt specie distinctorum, sed pront conueniunt in hoc, quod est continere calorem. Vnde aiunt, diuersitatem specificam horum agentium per accidens se habere ad terminandos respectus earum calefactionum. Sed contrà calefactio lucis (& idem dicito de calefactione caloris) est actus illius; quatenus oritur ab ipsâ; sed, oritur à tota entitate lucis: ergo est actus totius entitatis lucis. Minor probatur: quia calefactio oritur à luce ante operationem intellectus: sed ante operationem intellectus entitas lucis est vna; & indiuisa in plura prædicata: ergo oritur ab illâ secundùm totam eius entitatem: ergo est actus totius entitatis: ergo respicit totam entitatem lucis. Cum autem entitas lucis sit specie distincta à calore, calefactio lucis respiciet illam vt specie distinctam à calore. Confirmatur: quia lux causat calorem vt causa æquiuoca, calor verò vt vniuoca. Est dicere: lux causat calorem vt causa diuersæ speciei à calore, & calor vt causa eiusdem speciei cum illo: sed lux vt talis est diuersæ speciei à calore, & calor vt talis est eiusdem speciei cum ipso calore producto: ergo vt tales sunt, causant calorem: ergo vt tales continent calorem, & calefactiones, per quas illum producunt, ac per consequens calefactiones non respiciunt has causas, prout conueniunt in aliquo prædicato communi; sed prout specie distinctas.

33 Alij respondent, actionem sumere prædicatum genericũ ab agente, prædicatum verò specificum à termino, quia terminus est quasi forma extrinseca actionis, & in rebus physicis species sumitur à formâ solâ. Lubens admitto, actionem sumere prædicatum genericum ab agente, quia ratio suprema illius respicit agens præcise.

cisè vt agens iuxta tuam sententiam · sed datur etiam in actione respectus ad tale agens vt tale est : ergo iste respectus specificat ab agente vt tali . Minor constat , tùm ex numero præcedente , tùm etiam, quia actus fictio proueniens à luce non solum est exercitium agentis vt sic , sed etiam talis agentis , nempè lucis: ergo , sicut connectitur essentialiter cum agente vt sic , quia est exercitium illiùs , ita etiam cõnectetur essentialiter cum tali agente , quia est exercitium talis agentis : ergo non solum sumit suum prædicatum genericum ab agente vt sic ; sed etiam specificũ à talitate agentis.

34 Ex hoc infero , non solùm terminum esse formam extrinsecam actionis ; sed etiam agens, quia forma extrinseca actionis secúdùm communem acceptionem ea dicitur, per ordinem ad quam specificatur ipsa actio. Et , licèt daremus, terminum se habere tanquam formam, agens verò tanquam materiam extrinsecam actionis, inde tamen non probaretur , actionem specificari solùm à termino , quia in rebus physicis non solum sumitur species à formâ, sed etiam à materiâ , vt diximus, disp. 6. sect 4.

35 Dico secundo: eductio per ordinem ad subiectum sufficienter distinguitur specie à creatione, quæ talem ordinem non dicit , etiamsi sint eiusdem agentis, & eiusdem termini : Est P. Hurt. in Physic. disput. 11. sect. 8. & P. Arriag. suprà conclusion. 3. Probatur · quia in opinione omnium eductio essentialiter distinguitur à creatione ex eo , quòd illa rem producat in subiecto ; hæc vero extra subiectum : ergo distinguitur ex eo, quod vna dicat ordinem ad subiectum ; secus alia . Confirmatur : quia eductio non minus respicit passum , quam agens , est enim actus agentis in passo : ergo sicut speciem sumit per ordinem ad agens, vt diximus conclusione prima , ita etiam per ordinem ad passum. Dices distinctionem specificam eductionis , & creationis non sumi ex passo ; sed ex modo tendendi in terminum . Fateor distingui ex modo tendendi in terminum : at modus tendendi ex eo solùm est diuersus , quòd eductio producit terminum dependenter à subiecto ; creatio vero independenter : ergo ex eo distinguuntur, quod vna respicit subiectum, secùs alia.

36 Pater Suarez dicit, creationem distingui ab eductione, quia hæc producit terminum cum modo vnionis ; illa vero cum modo perfectatis . Vndè etiamsi in Eucharistiâ eadem quantitas per creationem producatur, quæ antea producebatur per eductionem ; nihilominùs ait has actiones specificari à termino, quia vna habet pro termino quantitatem cum modo perfectatis ; alia verò quantitatem cum modo vnionis. Sed contrà: etiamsi creatio attingeret solùm quantitatem sine modo perfectatis, & eductio sine modo

do vnionis, posset per hanc produci quantitas dependenter à subiecto, & per illam independenter: ergo haberent rationem creationis, & eductionis, ac per consequens specie distinctæ essent, etiamsi ex parte termini nulla esset distinctio. Antecedens probatur: quia, eo ipso quod per vnam actionem produceretur quantitas in passo, & per alteram extra passum, per primam produceretur dependenter à subiecto, cum istud concurreret ad illam; & per secundam independenter, cum nullum subiectum concurreret ad illam: ergo, &c.

37 Ex hac conclusione inferes, eductiones inter se etiam distingui specie, quando subiecta specie diuersa sunt: vt, si vera esset sententia asserens, materiam cœli, & sublunarem esse specie distinctas; eductio, per quam Sol producit lucem in materia cœli, erit specie distincta ab eductione, per quam ipse Sol producit lucem in materia sublunari. Ratio est, quia quælibet ex illis respicit essentialiter subiectum specie distinctum: ergo respectus illi specie distinguuntur in vtraque. Huc faciunt, quæ adduximus pro prima conclusione. Idem, quod diximus de actione, dictum puta de passione suo modo. Ex hucusque dictis in hac sectione colligēs, vt duæ actiones sint eiusdem speciei, necessarium esse, quod agentia, subiecta, & termini vtriusque non distinguantur in specie; sed quod agens vnius sit eiusdem speciei cum agente alterius, & subiectum vnius cum subiecto alterius, ac denique terminus vnius cum termino alterius. Vtrùm autem hoc sufficiat? dicam sectione sequenti.

38 Obijcies: idem effectus in specie potest oriri ab agentibus specie diuersis, & recipi in subiectis specie diuersis: ergo idem dicendum erit de actione. Antecedens est certum: idem enim calor potest oriri ab igne, & à Sole, & eadem lux potest recipi in materia sublunari, & cœlesti, etiamsi specie distinguantur. Respondeo, effectum non dependere se ipso ab agente, & passo; sed mediâ actione. Vndè non mirum, quod mediâ hac actione possit dependere ab hoc agente, & ab hoc passo, & mediâ aliâ dependere ab alio. At verò actio se ipsâ, & per suam essentiam immediatè dependet ab agente, & passo, & ideò necesse est, quod variato agente, aut passo, non perseueret eadem essentia actionis; quia illis variatis non potest non variari essentia, quæ se ipsâ est illis connexa. Hæc doctrina vniuersalis est ad omnes modos, quādo, quidem se ipsis affiguntur rebus, quarum sunt modi.

SECTIO V.

Quid dicendum sit, si agentia, subiecta, & termini numero distinguantur?

39 DIximus sectione præcedente, actiones specie

cie

cie distingui ex distinctione specifica siuè agentis, siuè subiecti, siuè termini? Inquirimus modo: an, si agentia, subiecta, & termini solo numero distinguantur, solo etiam numero distinguendæ sint actiones; vel, possint specie distingui? Exempli gratia, potest ignis A. producere hunc numero calorem in hoc passo per plures actiones seorsim; potest itidem ignis B. producere alium numero calorem in alio passo per plures etiam actiones seorsim. Inquirimus an actiones, per quas ignis A. potest producere hunc numero calorem in hoc passo, sint specie, vel numero potius solo distinctæ ab actionibus, per quas alius ignis numero diuersus potest producere alium numero calorem in alio numero passo?

40 Ratio dubitandi est: quia omnes actiones ignis A. respectu huius numero passi, &c. habent aliquod prædicatum intrinsecum commune omnibus; quod actiones ignis B. respectu alterius numero passi; &c. non habent: hoc prædicatum debet esse specificum ergo actiones ignis A. & ignis B. distinguuntur ratione alicuius prædicati specifici: ergo distinguuntur specie. Maior est certa: quia omnes actiones ignis A. conueniunt in hoc, quod est habere connexionem cum ipso igne A. & omnes actiones ignis B. conueniunt in hoc, quod est habere connexionem cum ipso igne B. Minor autem probatur: quia, vt supponimus, hoc prædicatum est cõmune pluribus actionibus, quæ ab igne A. ad hunc terminum in hoc passo procedere possunt, quæ quidem actiones saltem numero distinguuntur; & idem est de alio prædicato, quod inueniri diximus in actionibus ignis B.: ergo tale prædicatum est commune pluribus indiuiduis: ergo specificum, quia species est prædicatum commune pluribus indiuiduis.

41 Male vexat recentiores hæc ratiocinatio. Quidam plane fatẽtur, distingui specie tales actiones. Alij vero dicunt, speciem posse esse logicã, & physicam. Logicã vocant eã, quę cũ sit prædicatũ pluribus indiuiduis cõmune; sumitur tamẽ in ordine ad cõnotata solo numero diuersa. Physicã vero vocant eam, quæ desumitur in ordine ad connotata specie diuersa. Hac ratione distinguuntur specie homo, & equus, quia specificæ differentiæ eorum habent connotata specie distincta, operationes videlicet ratiocinandi, & hinniẽdi. Dicunt autem, specie logica distingui actiones ignis A. & actiones ignis B. quia tantum distinguuntur ex eo, quod respiciant agentia solo numero diuersa.

42 Ego vero existimo, eas actiones non specie, sed numero solùm distingui. Nullum affero authorem pro hac sententia, quia nullum vidi, qui hanc quæstionem in terminis attigerit. Probatur: quia prædicatum in quo conueniunt omnes actiones ignis A. (& idem dico de prædicato in quo cõueniunt actiones ignis B.) tã sf.

ce odie

cendit differentias indiuiduales illarum: ergo non potest esse specificum. Consequentia est bona ex Logica disp. 13. sect. 8. vbi probaui, prædicata transcendenta ita non posse induere rationem generis, aut speciei, etiam si præscindi possint à pluribus speciebus, seu indiuiduis propter quam rationem, ens, quod præscindi posse arbitror à substantia & accidenti, dixi non esse genus respectu illorum. Antecedens autem probatur: quia illud prædicatum nihil aliud est, quam connexio harum actionum cum differentia indiuiduali ignis A., huius numero subiecti, &c. sed hæc connexio inuenitur formaliter in talitate indiuiduali cuiusliber actionis ex istis: ergo transcendit. Minorē probo: quia talitas indiuidualis, cuiusliber istarum actionū tribuit huic agenti; quod terminum efficiat taliter; hoc est, per talem numero actionem (& similiter tribuit passo, quod taliter recipiat terminum, &c.) ergo afficit illud; quia non potest illi tribuere hunc effectum formalem; nisi illud afficiat: sed non afficit illud per vnionem superadditam, cum entitas realis actionis non afficiat agens per vnionem: ergo differentia illa indiuidualis se ipsâ afficit agens: ergo se ipsâ connectitur formaliter cum illo: ergo connexio cum agente inuenitur formaliter in hâc differentiâ individuali, ac per consequens est ratio transcendens. Id, quod dictum est de actionibus, dictum puta de vnionibus nectentibus hanc numero materiam, & hanc numero formam. Quid vero dicendum sit de præsentijs, si sint modi dicam infrà disp. 22.

SECTIO VI.

Expediuntur aliqua difficultates circa actionem?

43 PRima est, qua ratione differant actiones immanentes à transeuntibus? Et primò certum est; dari actiones immanentes, & transeuntes. Immanentes dicuntur illæ, quæ tanquam in subiecto remanent in agente, à quo procedunt. Transeuntes, quæ transeunt ad subiectum distinctum. Est tamen non parua difficultas in explicando, vnde desumendum sit, quod actiones sint perse immanentes, seu trãseuntes P. Hurt. disp. 3. de Anima, sect. 2. subsect. 5. docet, illam esse actionem perse immanentem, cuius terminus natura sua est immanens. Vndè infert, actionē intelligẽdi esse immanentem perse, quia terminatur ad speciem expressam, quæ ex naturâ suâ petit tanquam in subiecto manere in intellectu, à quo procedit. Hæc tamen sententia, vt iacet, est falsa: quia iuxta sententiam ipsius Patris, Deus potest se solo speciem expressam producere in nostro intellectu. Demus ergo quod eam producat: actio, per quam Deus produceret speciem expressam in meo intellectu ex se terminaretur ad terminum naturâ suâ immanentem; & nihilominus re-

pug-

repugnaret illi esse immanentem, quia non posset recipi in principio efficiente, a quo oritur: ergo, &c.

44 Alij dicunt, eas actiones esse perse immanentes, quæ oriuntur ab agente vitali. Sed nō minus displicent hi, quia plures actiones oriuntur à viuente etiam vt tali, quæ non sunt immanentes; locutio enim, quæ est productio soni de articulati, oritur à viuente vt tali, vt nemo dubitat, & est transiens in communi sententia, quia ille sonus recipitur in aere percusso inter linguam, & palatum, & dentes. Deinde nōnullæ sunt actiones immanentes perse, quæ nō oriuntur à principio vitali. Tales sunt illæ, per quas essentia quæuis suas in se producit passiones, vt dicemus in lib. de Anim. ergo, &c.

45 Ego verò existimo, immanentiam perse actionis desumendam esse ex agente, & termino simul. Itaque ea actio est perse, & essentialiter immanens, quæ, eo ipso quod est ab hoc agēte in specie (hoc est ab agente huius speciei) circa hunc terminum in specie (hoc est circa terminum huius speciei) debet tanquam in subiecto manere in ipso agente, vel saltem in eodem composito cum illo. Probatur: quia ea actio erit perse, & essentialiter immanens, cui immanentia in suo agente cōuenit ratione alicuius prædicati essentialis: sed illi, quæ prout est ab hoc agente in specie in talem terminum in specie, debet manere in suo agente, conuenit immanentia ratione alicuius prædicati essentialis: ergo est perse, & essentialiter immanens. Minor est certa: quia, cum actio specificetur ab agente, & termino, id, quod illi conuenit, prout connectitur cum tali agente, & tali termino in specie, conueniet illi ratione prædicati specifici, quod est prædicatum essentiale.

46 Quod verò ad rationem actionis perse immanentis, non sit necessarium, quod maneat in ipso principio effectiuo; sed sufficiat, quod perse maneat in subiecto constituente vnum compositum cum agente, à quo procedit, facile probari potest. quia, eo ipso quod actio maneat in subiecto constituente vnum compositum cum agente, dicetur & compositum illud agere in se ipso, & actio manere in suo agente: ergo, si actio ratione prædicati specifici petat manere in subiecto cōstituente vnum compositum cum suo agēte, erit perse, & essentialiter immanens. Antec. prob. quia, vt totū aliquod dicatur agere, sufficit, quod vna pars illius agat, &, vt dicatur recipere, sufficit, quod vna pars illius recipiat. Id est certum apud omnes: ergo, vt dicatur agere in seipso, sufficiet, quod secundum vnam partem agat, & secundum alteram recipiat; ac per cōsequens id sufficiet, vt actio dicatur manere in suo agente.

47 Ex hoc colliges Primò, intellectionem, sensationem, & nutritionem esse actiones perse, & essentialiter immanentes: quia, prout

prout sunt à suis agentibus in suos terminos, debent manere in ipsis agentibus ratione prædicati specifici singularum, vt dicemus in lib. de Ani. Colliges secundo, non esse per se immanentē eam actionem, quæ ita manet in suo agente, vt ex suo conceptu specifico non potest recipi vel in ipso agente, vel saltē in subiecto constituente vnum cōpositum cum illo. Talis est calefactio, qua vna manus alteram calefacit: quia, licèt hæc actio maneat in eo composito, à quo efficitur; tamen eadem modo daretur talis actio, etiamsi manus calefacta non esset vnita calefaciēti, & ideo per accidens est ad hanc actionē, quod maneat in suo agente. Talis est etiam actio, qua lapis producit in se ipso suam præsentiam (certum sit ista sit modus ipsius lapidis, de quo infra disputabitur) quia licèt lapis nō possit hanc præsentiam in alio producere, id tamen non prouenit ex eo, quod talis productio, eo ipso quod est ab agente hoc circa terminum, seu præsentiam huius speciei, debeat manere in suo agente, (esse enim lapis potest producere aliam præsentiā eiusdē speciei in quouis corpore sibi colligato, vt experientia constat) sed ex eo, quod hæc præsentia ratione suæ differentiæ individualis sit affixa huic subiecto, vt modus illius: ergo hæc actio non est immanens ex conceptu specifico, & differentia, sed solùm ex conceptu individuali, atque adeo non erit essentialiter immanens.

48 Hinc facile defluitur actio per se transiens: est enim illa, *quæ ex eo, quod sit ab hoc agente in specie in talem terminum in specie, non est determinata ad hoc, vt maneat tanquam in subiecto, vel in ipso agente, vel in eodem composito cum illo.* Id facile colligitur ex dictis proactione essentialiter immanente. Ex dictis colliges actionē per se transeuntem posse contrahi per differentiam individuā, ratione cuius sit actus ipsius transiens ex naturâ rei. Actionē verò per se immanentem non posse contrahi per differentiam individuā, ratione cuius sit actus ipsius transiens ex naturâ rei. Ratio disparitatis est: quia ea est actio transiens per se, quæ ex conceptu suo specifico non est determinata, vt recipiatur in subiecto distincto à suo agente: at cùm hoc concipiatur non posse differentia individualis determinans talē actionem, vt sit in suo agente, quia ad id, ad quod non est determinata res per prædicatum specificum, potest determinari per differentiam individualem, vt constat: ergo &c. At verò actio per se immanens est illa, quæ ex suo conceptu specifico est determinata, vt recipiatur in suo agente: conceptus autem superior ex se determinatus ad aliquid non potest contrahi per inferiorē differentiam ex se determinatam ad oppositum: quia iam eadem res diuersas esset ex se determinata ad opposita: ergo actio per se immanens nō potest cōtrahi per differentiam individuam ex naturâ rei transeuntem.

Secunda difficultas est.

49 AQuonã individuentur actiones: Respondeo, quamlibet actionem individualem habere connexionem cum hoc numero agente, cum hoc numero termino, & si fit eductio, cum hoc numero passo. Sed, cum inter hæc possint plures numero actiones versari; necessarium est, quod in qualibet ex illis addatur ealitas, quæ se ipsa ab aliis secernatur; in quâ ealitate cum suprà diximus multiplicari connexionem cum hoc numero agente, passo, & termino.

Tertia difficultas est.

50 ANum actio possit per aliã actionem produci? Certum est, non posse naturaliter. Incertũ verò, an possit de potentia Dei absoluta. Quidam docent, posse fieri. Ratio eorum est: quia, si aliqua esset implicatio, maximè, quod de ratione actionis est, quod se ipsâ ab agente procedat: at hæc nulla est implicatio, quia, etsi de ratione actionis sit, quod se ipsâ procedat ab agente, cuius est propria; tamẽ non est de ratione illius, quod se ipsâ procedat ab agente, cuius nõ est propria actio; verùm ab hoc agente recte potest prodire per actionem superadditam: ad cuius modum, quo suprà disp. 8. diximus subsistentiam creatam, etiamsi sit modus naturæ propriæ, posse tamẽ alienæ vniri per vnionem superadditam; quia de ratione modi tantum est, quod se ipso vniatur rei, cuius est modus, nõ verò rei cuius non est modus: ergo, si ahunde nõ implicet, põterit ab extraneo agente oriri per actionem superadditã.

51 Alij, inter quos est P. Hur. in Met. disp. 16. sect. 5. asserunt, nil implicare. Ratio implicationis esse potest: quia de conceptu actionis vt talis absolute loquendo est esse actum actiui, prout actiuum est, in quo distinguitur à termino, qui est actus agentis, vt dicebamus disp. præcedente sect. 1. & propter eã actio dicitur esse exercitium actuale potentiæ actiuæ, in qua continetur: ergo de conceptu actionis vt talis est se ipsâ actuare potentiam actiuam (in qua continetur) & non per actum seu exercitium superadditum: sed, si oriretur ab agente aliquo per actionem superadditam, actuaret potentiam illam actiuam per actum superadditum, & non se ipsâ: ergo iam fœtum ipsa pugnaret.

52 Confirmatur: quia de ratione actionis, vt actio est, est esse exercitium actuale potentiæ actiuæ, in qua continetur: ergo de ratione actionis est, quod se ipsâ dependeat à tali potentiâ actiuâ, & non per actionẽ superadditã; alioquin hæc esset actuale exercitiũ potentiæ, & non illa: atqui id, quod est de ratione actionis, vt actio est, debet inueniri in singulis actionibus: ergo nulla potest dari actio, quæ non dependeat se ipsâ à potentiâ actiuâ, in qua continetur.

53 Dices: de ratione actionis, vt actio est, est esse exercitiũ actuale potentiæ actiuæ, in qua immediatè

diatè contineatur; non verò aliarum. Sed contrà: immediatè contineri in virtute actiua nihil aliud est, nisi, quod in illa contineatur tanquam exercitium illius: ergo idem est dicere esse exercitium actuale potentiæ, in qua continetur immediatè, ac dicere, esse exercitium actuale potentiæ, cuius est exercitium actuale; quæ quidem est inanis, & negatoria repetitio. Vt autem hanc fugiamus, tenemur absolutè dicere, quod de ratione actionis est esse exercitium potentiæ actiuæ, in qua continetur. Cum autem contineri debeat in, quâcunque potentiâ, à quâ oritur, necessarium est, quod de ratione actionis sit, oriri se ipsa tanquam exercitium actuale à quâcunque potentiâ actiua, in qua cõtinetur.

154 Hinc soluitur argumentũ oppositæ sententiæ. Est enim disparitas inter actionem, & alios modos, qui rebus, quarũ non sunt modi, vniri possunt per vnionem superadditam: quia de ratione modi non est non vniri absolutè per vnionem superadditam, cum indiuisibile quantitatis, qui est modus vniens partes ipsius quantitatis inter se, vniatur de facto materiæ per vnionem superadditam; sed tantum est de ratione modi, quod rei, cuius est modus, non vniatur per vnionem superadditã, & ideó non pugnat cum ratione modi, quod per vnionem superadditam vniatur alteri. At verò de ratione actionis vt talis est actuare se ipsa, non hanc, vel illam, sed absolutè potentiam actiuam, in qua continetur, & à qua oritur, & ideó, eõ ipso quòd oritur à potentiâ aliquâ actiuâ, debet se ipsâ illam actuare. Hæc sententia est communis apud philosophos, & Theologos, & ideó est amplectenda etiamsi ratio adducta rem non omnino conuincat. Est tamẽ valde probabilis.

DISPVTATIO XXI.


De Infinito.

INfinitum in præsenti dicitur, quod nullum habet limitem, neque vllis cõtinetur terminis. Res sanè cognitu difficilis; ægre enim finita, & nimis limitata intellectus nostri acies rem sine limite potest apprehendere, ne dum perscrutari. Aggredienda nihilominus est nobis eius explicatio, vt nostro muneri faciamus satis, faxit Deus quod fœliciter.

SECTIO I.

Nonnulla præsupposita.

DVplex infinitum solet distingui, Vnum, quod est tale absolutè, & simpliciter: aliud, secundùm quid. Absolutè, & simpliciter infinitum dicitur, quod est infinitum secundùm essentiam, id videlicèt, cuius essentia non agnoscit limitem, neque vllo claditur termino: talis est solus Deus, cuius essentialis infinitas in eo consistit, quod nec sit ab alio, nec



propter aliud; sed à se; & propter se. Infinitum secundùm quid dicitur, quod, cum essentiam limitatam habeat; tamen secundùm aliquam rationem est infinitum; videlicèt secundùm extensionem, vel secundùm intensionem, vel secundùm numerum. Talis est quaelibet creatura, quæ essentialiter est finita quia habet esse ab alio; esset tamẽ secundũ quid infinita, si quoad extensionem, vel intensionem non haberet finem.

2 Rursus infinitum secundùm quid aliud dicitur in actu; aliud in potentia. Infinitum in actu est, quod act; habet entitatem nullis terminis actu clausam; talis esset quantitas ità actualiter extensa, vt nullam haberet partem; quæ prima esset, aut vltima. Propterea infinitum in actu definitũ est ab Arist. 3. Phys. tex. 34. *Cuius partes accipienti restant aliæ, & aliæ in infinitum accipiendæ.* Infinitum in potentia est, quod habet actu terminum, non tamẽ in potentia, quia, quâlibet parte illi superadditâ, potest deinceps alia superaddi. Primum infinitum dicitur *Categorematicum*, quia secundùm id, quod actu habet, est infinitum, neque alterius indiget adminiculo ad infinitatem actualem: sicut terminus, qui adæquatè, & ratione sui significat in propositione dicitur *Categorematicus* apud Logicos. Postrẽmum infinitum dicitur *Syncategorematicum*, quia non est infinitum tatione eorum, quæ actu continet; sed eorum, quæ illi possunt adiungi: sicut terminus, qui non significat tũ si alteri coniunctus, dicitur *Syncategorematicus* apud Logicos. Et quidem, si sint possibles infinitæ partes quantitatis, seu infinitæ vnitates, certum est, dari de facto infinitum syncategorematicum, cum de facto dentur plures vnitates & partes; quibus, qualibet adiuncta, aliæ, & aliæ in infinitum adiungi possunt. Scopus ergo huius disputationis est inuestigare, an poni possit in rerum naturã *infinitum in actu*, seu *Categorematicum*; siue in multitudine, siue in magnitudine, siue in intensione? Pro resolutione ergo difficultatis

3 Pono primo, ex duplici capite prouenire posse, quod repugnet infinitum in actu. Primò ex eo, quod entitates possibiles certo numero teneantur, vltra quem non sint aliæ possibiles. Secundò ex eo, quod licèt possibiles sint infinitæ entitates taliter, vt, quãuis positâ, possit poni alia, & alia in infinitum; nihilominus repugnet, quod simul ponãtur omnes in actu. Pono secundò, creaturas possibiles esse infinitas, saltẽ quoad multitudinem, & magnitudinem quantitatiuam. Ita S. Thom. 1. p. q. 14. art. 12. quem sequuntur communiter authores. Et probari potest de multitudine in actibus intellectus, & volũtatis: quia, cũ quilibet actus intellectus sit cognoscibilis, & quilibet actus volũtatis sit amabilis, nullus esse potest actus intellectus, qui nõ possit per aliũ reflexum cognosci, & ille per aliũ, & sic in infinitum (idem est de actibus vo-

voluntatis suo modo) ergo sunt possibiles infiniti actus intellectus, & voluntatis.

4. Si autem sunt possibiles infiniti actus intellectus, & voluntatis, cur non erunt etiam possibilia infinita individua cuiuslibet speciei, vt infiniti homines, equi, &c. & infinitæ partes quantitatis? Et ratio à priori est: quia nulla datur potest implicatio ex parte rerum; si enim non pugnant prædicata hominis cũ differentijs individuantibus, quas de facto nouimus, cur pugnabunt cum alijs, & alijs in infinitum? Neque datur potest repugnantia ex parte omnipotentiæ Dei, quia hæc extenditur ad omnia ea, quæ extra Deum non implicant secundum se, vt dixi dispu. 10. numero 40.

5. Confirmatur: quia finitæ sunt quædam participationes diuinæ perfectionis; sed hæc, cum sit infinita, est participabilis in infinitum, neque enim vlla participari potest ab vlla creatura, vt non possit magis, & magis in infinitum participari: ergo sunt possibilia plures, & plures creaturæ, à quibus in infinitum participari possit magis, & magis Diuina perfectio. Hæc ratio non solùm probat, esse possibilia infinita individua cuiuslibet speciei, sed etiam infinitas species infra Deum perfectiores, & perfectiores in infinitũ, ad quod dictum est de multitudine, & magnitudine, dictum puta de mensione; si gradus intensionis sint æquales in perfectione, secus si inæquales, vt dicam in lib. de Gener.

6. Pono quarto, non posse vnum infinitum siue multitudinis, siue magnitudinis claudi inter duos terminos. Hoc asserunt est contra P. Arriagam hic numero 4. sed consentiunt in illud omnes recentiores, vt ibi ipse fatetur. Probatur: quia infinitum, vel ex ipso nomine constat, est, quod non habet finem; at hoc tuum infinitum haberet finem: ergo esset finitum; non infinitum. Minorem probo; quia illud dicitur habere finem, quod hucusque protrahitur, & non vltra; sed illud tuum infinitum protraheretur vsq; ad certum terminum, & non vltra; ergo in eo termino finiretur, ac per consequens haberet finem. Neq; hinc colligas, non posse dari infra Deũ infinitas species perfectiores, & perfectiores in infinitũ; quia, cum nulla possit assignata perfecta, quam Deus infinite non excedat in perfectione, nulla poterit assignari, aut dari, vltra quam non possit dari alia, & alia perfectior infra Deum. Nec propterea illud infinitum creaturarum dicetur claudi termino, quia, cum Deus sit extra totam illam collectionem, non dicetur terminus illius, cum non sit vltimum illius collectionis. Quod maxime obserua pro discrimine inter Deum, & speciẽ, quæ esset vltima in collectione creaturarum.

7. Dicit P. Arriaga, de ratione infiniti non esse, quod non claudatur duobus terminis, hoc est, duobus punctis, seu vnitatibus determinatis; sed quod tot con-

vel partibus determinatis, seu vnitatibus, quæ, si successiue numerentur pertransiri, seu sisti nequeant. Sed contrà ex eo infinitum non potest successiua numeratione pertransiri, quia in eo nulla vnitas, seu pars determinata datur, vltrà quam non detur aliqua: ergo si per te in hoc tuo infinito datur aliqua vnitas, seu determinata pars, vltrà quam non detur alia: ergo non est, cur non possit successiua numeratione pertransiri. Maior propositio est mihi certa: quia intellectus eas tantùm partes numerare potest, quæ reuerà dantur in ipsa magnitudine, seu multitudine: ergo ad hoc, vt intellectus eas possit ita numerare, vt vna numerata, semper sit alia numerabilis, necessarium est, quòd in magnitudine, seu multitudine numerandâ nulla reuerà detur vnitas, seu pars determinata, vltrà quam reuerà non sit alia.

3 Secundò impugnatur P. Arriaga argumento, quod ipse adduceret num. 43. & tandem num. 46 fatetur non habere solutionem, quæ ipsi satisfaciat. Ponamus ergo duas lineas, quæ in perfectum triangulum ab hoc puncto extendantur infinitè versus orientem ita inter, vt versus ipsum orientem habeant terminos, seu puncta aliqua determinata, vltra quæ non protendantur. Tunc sic, intercapedo, seu linea existens inter dúos terminos illarum linearum erit infinita, quia lineæ perfectè triangulares quò magis distant à centro, magis distant inter se, vt demonstrat mathematici. Cum autem supponamus, lineas esse infinitè extensas vsque ad terminos, seu puncta, quæ tu dicis habere versus orientem, necessarium erit, quòd linea existens inter duo illa puncta, sit etiam infinita. Præterea certum est, non omnes lineas existentes inter duas illas triangulares esse infinitas, quia intercapedo existens inter illas duas propè centrum est finita: aliquæ ergo lineæ existentes inter eas triangulares erunt finitæ, & aliquæ infinitæ. Deinde inter finitas aliquam cognoscere Deus omnino maximam. Ponamus esse eam, quæ est inter puncta D. & E. Vel ergo quæ immediatè succedit polo hanc, est finita, vel infinita. Non finita, quia est maior maximarum finitarum, vt supponimus. Nec quæ finita, quia habet tantum excedit præcedentem per excessum determinatum, quòd excedit aliquam extensionem finitam per excessum tantùm determinatum, est finitum: ergo illa linea erit finita.

SECTIO. II.

Nonnulla corollaria.

9 EX dictis sectione præcedente infero primò, nullum infinitum multitudinis, seu magnitudinis augeri posse versus eam partem, versus quam est infinitum; vt, si linea esset infinitè extensa versus orientem, nullum augmentum extensionis posset admittere ver-

versus ipsum orientem. Ratio est clara: quia ad hoc, vt maior fieret hæc extensio versus eam partem, necessarium erat, quod esset aliqua pars vltima, cui tribuendum esset augmentum denuo adueniens: sed in infinito nulla datur vltima pars, vltra quam non sit alia: ergo non potest illi aliquid adiungi versus eam partem, versus quam est infinitum.

10 Infero secundò, corpus infinite extensum non posse moueri versus eam partem, versus quam infinite extenditur, nec ab ea parte: vt, si ab hoc puncto sit linea infinite extensa versus orientem, non poterit moueri ad acquirendum vnum palmum spatij, v. g. versus orientem; neque ab oriente moueri ad acquirendum alium palmum versus hanc partem, versus quam ipsa linea est finita. Ratio est: quia ad hoc, vt moueretur ad acquirendum nouum palmum spatij versus orientem, necessarium erat, quod in ea linea daretur pars aliqua vltima, quæ denuò transiret ad nouum illum spatij palmum occupandum: at non est aliqua pars vltima in hac linea versus eam partem, vt diximus sectione præcedenti. ergo, &c. Et eodem modo probari potest, quod moueri nequeat ab oriente versus hanc partem, versus quam est finita: quia non posset moueri linea ad acquirendum palmum spatij in hac parte, quin alium palmum spatij deseret ab oriente: ergo necessarium esset, quod illa linea extenderetur versus orientem vsque ad illum palmum spatij, & non vltra: ergo haberet partem aliquam vltimam, hoc est, vltra quam non daretur alia: atqui id est contra rationem infiniti: ergo, &c. Hæc doctrina est maximè obseruanda pro pluribus difficultatibus soluendis in hâc materiâ.

11 Infero tertiò, nullum infinitum siue extensionis, siue multitudinis, &c. esse posse maius alio secundùm eam rationem, secundum quam est infinitum. Probatur: Dem. duas lineas infinitas ab hoc puncto versus orientem. Vt vna existens esset maior alterâ necessarium erat, quod tantâ haberet extensionem, quantam minor, & vltra illam aliquam adderet, quam minor non attingeret; ergo haberet aliquam partem vltimam: sed est contra rationem infiniti habere partem vltimam: ergo, &c. Prima consequentia est bona quia illa extensio dicitur habere partē aliquam vltimam, & finiri, quæ hucusque protenditur, & non vltrà: sed minor illa linea aliquam extensionem haberet, vltra quam non protenderetur: ergo haberet partem vltimam in sensu dicto. Fateor, quod, si duæ lineæ essent infinitæ versus orientem tantum, vna posset esse maior aliâ versus hanc partem, versus quam non essent infinitæ. at tunc vna diceretur maior alterâ, non quâ infinitæ sunt; sed quâ finitæ.

Obijcies, producat Deus infinitos montes, & in singulis mõtibus formicas singulas: deinde

vnus Deus quantitatem illorum montium ex vna parte, & ex alia quantitatem formicarum, vtramque extensam infinite versus oriental. Vel ergo quantitas montium est maior quantitate formicarum, vel non? Si dicas primum: ergo datur vnum infinitum maius alio. Si dicas secundum; quis credat? Quia ex vna parte non dantur plures formicæ, quam montes: ex alia verò parte quilibet mons est multo maior quâlibet formicâ: qua ergo ratione adhuc apparenti suaderi poterit, totum resultans ex montibus non esse maius toto resultante ex formicis? Fateor, singulos montes esse multo maiores singulis formicis: Nego tamen, quantitatem resultantem ex montibus infinitis esse maiorem quantitate resultante ex infinitis formicis.

15 Dices: totum nihil aliud est, quam suæ partes: sed montes, ex quibus componitur vna quantitas, singuli sunt maiores, quam singulæ formicæ, ex quibus componitur alia quantitas: ergo quantitas resultans ex montibus, debet esse maior quantitate resultãte ex formicis. Nego consequentiam. Præsto est ratio: quia ad hoc, vt illa quantitas sit maior, & ista minor, necessarium est, quod ista habeat terminum, vltra quem illa protendatur, cum autem singulæ formicæ habeant terminum, vltra quẽ quilibet mons extendatur, nõ est, cur singuli montes nõ debeant esse maiores singulis formicis: at verò in quantitate tam ex formicis, quam ex montibus infinitis resultante nullus datur terminus, ac per consequens nulla potest esse maior alia, quia non potest porrigi vltra illam. Hanc doctrinã observa pro solvendis similibus argumentis, quibus intendunt nonnulli authores probare, vnum infinitum multitudinis, seu magnitudinis esse maius alio. Quæ quidem argumenta convincunt, vnum infinitũ posse habere aliquas vnitates, quas non habet aliud; non verò probant, vnum esse maius, vel minus alio. Ad eum modum, quo in sententia adstruente infinitas partes in continuo, etsi omnes concedant vlnam non habere plures partes, quam vnum palmum, politiores tamen philosophi admittunt, multas partes esse in vlna, quæ nõ sint in palmo.

SECTIO III.

Enodetur difficultas præsens.

16 SVppositõ, quod creaturæ possibiles sint infinitę, acris est pugna circa præsentem difficultatem, vt scilicet, an Diuinâ potentiâ dari possit infinitũ in actu? Caietan. Capreol. Ferrara, P. Valentia. P. Pereira, PP. Conimb. quos refert, & sequitur P. Rub. hìc quæst. 3. asserunt repugnare infinitum in actu. Adducunt pro se D. Thom. & Aristot. Contrariam sententiam tuentur Durand. in 1. dist. 43. quæst. 2. art. 3. Greg. in 1. distinct. 44. quæst. 4. artic. 1. P. Vazq. tomo 1. in 1. part. disput. 23. vbi refert nonnullos P.

Hurt.

Hurt. hìc disput. 19. sect. 3. & P. Arria. disp. 13. sect. 4. quos sequuntur plures recentiores.

15 Dico 1. per potentiam Dei absolutam dari potest infinitum in actu secundum magnitudinem & multitudinem. Probatur; quia nulla est implicatio in eo, quod simul actu coniungantur in rerum naturâ infinitæ partes extensionis, seu infinitæ vnitates existentes: ergo poterunt coniungi de potentia Dei absoluta. Antecedens probabitur infra ex solutione argumentorum. Nunc autem probatur ratione, quia defacto sunt simul possibiles infinitæ partes quantitatis, & infinitæ vnitates Angelorum, hominum &c. vt supponimus: ergo saltem in statu possibilitatis possunt simul coniungi infinitæ vnitates, & infinitæ partes extensionis: ergo infinitum in actu rerum existentium nõ repugnat præcise ex eo, quod implicet simultanea coniunctio infinitarum entitatum, quando quidem hæc datur in possibilibus. Si autem ex hoc capite non repugnat infinitum rerum existentium, ex nullo alio repugnare potest: neque enim existentia alicuius hominis, quatenus ex se est, opponitur contradictorie cum existẽtia alterius; neque existentia vnius partis quantitatis cum existentia alterius, vt ex se patet. Hoc argumentum confringit omnia tela, quæ aduersarij contra nos contorquent, vt ex progressu disputationis constabit.

16 Respondent; bonæ notæ recentiores, entitates possibiles non esse dicendas infinitas; sed finitas indeterminate, vel absque termino. Est dicere: ita dãtur Angeli, seu homines, v.g. possibiles, vt nullus determinate produci possit in rerum naturâ, vltra quẽ non possit alius produci; taliter tamen vt homines, seu Angeli defacto producti semper esse debeãt in numero determinato. Sed contrà: Angeli, qui defacto sunt possibiles, ita sunt possibiles, vt in statu possibilitatis nullus sit possibilis, vltra quem non sit alius possibilis sine termino: ergo Angeli possibiles defacto sunt infiniti. Probo consequentiam: quia, si Angeli existentes ita se haberent defacto, vt nullus esset, vltra quem non posset alius assignari, reuera essent infiniti, vt concedunt omnes: sed per te Angeli possibiles ita se habent in statu possibilitatis, vt nullus detur possibilis, vltra quem non possit assignari alius possibilis in infinitũ: ergo defacto sunt infiniti in statu possibilitatis.

17 Respondent secundò, non recte deduci argumentum a possibilitate ad existentiam. Quod probant triplici exemplo. Primũ est; quia certum est, nullum defacto datum fuisse motum in tempore, ante quem non potuisset esse alius, & ante illum alius, & sic in infinitum. Vnde necessarium est, quod motus, qui possibiles fuerunt per totam æternitatem à parte antè, sint infiniti in statu possibili

bilitatis; & nihilominus iuxta cõmunem sententiam non potuerunt defacto fieri actu existentes infiniti motus ab æterno; sed necessarium fuit incipere ab aliquo primo in tempore. Secundò, in opinione admittente infinitas partes proportionales in continuo certũ est, esse possibiles infinitas diuisiones ipsius continui, & nihilominus nullus dicit, posse omnes dari actu existentes. Tertiò, certum est, numerati posse infinitum entitates omnes possibiles; neque ex hoc infertur posse dari actu numerationem omnium possibilium: ergo non benè deducitur argumentum à possibilitate ad existentiam.

17 Non me premunt hæc exẽpla: neque enim absolute probo, possibile simul poni actu existentes infinitas entitates præcise ex eo, quòd omnes defacto simul sint possibiles, quia recte fieri potest, quod aliqua simul sint actu possibilia; & nihilominus non possint coniungi actu existentes, odium enim, & amor, peccatũ, & gratia &c. simul sunt possibilia; & nihilominus iuxta communiorem sentẽtiam non possunt simul existere in eodem subiecto. Ex eo ergo, quod possint simul dari infinitæ entitates possibiles, deduco non repugnare infinitum rerum existentiũ, præcise ex simultaneâ cõiunctione infinitarum entitatum. Argumenta namque, quibus nos impetunt aduersarij, præcipue nituntur in assignandâ repugnantiâ ortâ ex simultaneâ coniunctione infinitatum entitatum, quæ quidem recte probatur esse nulla à parte rerum possibilium.

18 Ea autem, quæ in exempla adducuntur, a recẽtioribus ex alio capite repugnant coniungi simul existẽtia. Repugnantiam infinitorum motuum ab æternitate sibi actu succedẽtium assignabo disp. 28. Repugnãtiam verò infinitarũ diuisionum continui simul existẽtiũ actu, dabo disp. 25. Et denique ad id, quod adducitur vltimo loco de enumeratione entitatum possibilium, dico, ex eo repugnare numerari actu omnes entitates possibiles, quia de ratione numeri est continere certas, & determinatas vnitates, inter quas dentur prima, & vltima, cum autem vnitates possibiles sint infinitæ, & de ratione infiniti sit, nõ habere primũ, & vltimum, hoc est, quod repugnet numerari omnes entitates possibiles.

19 Confirmatur nostra cõclusio, quia defacto dantur simul existentes infinitæ negationes: ergo ex simultanea cõiunctione infinitarum vnitatum non potest deduci repugnantia infiniti rerum existentium. Antecedens est certum, quia defacto datur negatio omnium entitatum, quæ possibiles, nõ existunt: at istæ sunt infinitæ, vt fateris: ergo dantur negationes actu infinitæ. Idem, quod diximus de infinito magnitudinis, & multitudinis, dicendum est de infinito intensionis, si gradus sint æqualis perfectionis, de quo late agitur in lib. de Gen.

21 Dico

21 Dico secundo: infinitum secundùm intensionem implicat contradictionem tam quoad possibilitatem, quàm quoad existentiam, si gradus intensionis fiat in-æqualis perfectionis, & specie distincti. Pro hac conclusione stant Scot in 3. dist. 13. q. 4. S. Bonau. in 1. dist. 17. art. 2. q. 4. Aureol. in 1. dist. 17. q. 1. ar. 5. Henr. quodl. 5. q. 22. Durand. in 2. distin. 9. & dist. 43. q. 2. n. 22. Paludan. 3. dist. 13. q. 1. ar. 2. Cartusian in 1. dist. 17. q. 8. §. *Quo circa*, qui dicunt, non esse possibilem intensionē infinitam. Hanc conclusionē ex professo probo in lib. de Gener. illuc adito.

22 Hic animaduerte, infinitū magnitudinis, & multitudinis posse dari etiam de potentia ordinaria Dei, si constet partibus, seu vnitatibus, quæ ex vnâ parte possint seorsim produci de potentiâ ordinariâ Dei, nec ex aliâ non fiat ex naturâ rei incompossibiles inter se. Tales arbitror esse Angelos, neque enim vllus perit ex naturâ rei nō esse cum alio, seu cum alijs coniunctus. Aliter dicendum est de quantitate corporum sublunarium: quia, cum ista petant certū, & determinatum ceterum, in quo participare possint cœlestes influxus ad sui conseruationem, necessariò debent ex naturâ rei intrà cœli ambitum contineri.

SECTIO. IIII.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

23 PRimo obijciuntur nobis D. Thom. 1. par. q. 7. ar. 3. & 4. & Arist. in hoc 3. lib. à tex. 24. vbi ex professo probant, nō dari posse infinitū. Verum S. Thom. loco citato neque verbum habet, quòd indicet repugnare infinitum de potētiâ absoluta Dei. Deinde explicari potest ita, vt loquatur de potētiâ agētis creati. Expressius vero loquutus est, quodlib. 9. art. 1. & quodlib. 12. ar. 2. quia ibi negat posse dari infinitā quantitatē de potentia Dei absoluta. Sed dicēdū est, loqui de quātitate prout mensurabili, & numerabili, vt cōstat ex rationibus, quibus probat suā conclusionē. Arist. vero auctoritas in hac re parui pendenda est: quia, cū putauerit, Deum operari ex necessitate naturæ, necessariū est, quod inde inferret, nō posse alias res, neque aliter producere, quā de facto produxit, quicquid sit erroneus apertus in Fide catholica.

24 Obijciunt 2. si Deus produceret infinitum in actu exhauriretur omnipotentia; hæc autem exhauriri nequit: ergo nequit Deus producere infinitum. Hoc argumentum, si quid probat contra nos, probat etiam imminui omnipotentiam Dei de facto, per productionem cuiuslibet effectus: quia ideo potentia Dei producens infinitum exhauriretur; quia poneret existentes entitates omnes, quas in se continet: sed, quādo rem quamlibet producit, facit existentem rem, quam continebat: ergo exhauritur eius potentia quoad illam entitatem; ac per consequens diminuitur. Quis autem hoc audeat dicere?

Respon-

Respondeo ergo ad obiectionē, quod, licet Deus produceret omnia infinita, quæ in se continet, non ideò ex hauriretur eius potentia: tum quia ea conseruaret: tū etiam quia ea anihilata posset iterum reproducere. Si autem semel anihilata non possent reproduci, adhuc non esset exhausta omnipotentia, quia id non proueniret ex defectu virtutis omnipotentiæ; sed ex repugnantiâ ipsarum rerum.

25 Objciunt 3. omne, quod producitur à Deo, debet cadere sub certam, & determinatam intentionem: sed infinitum non potest cadere sub determinatam intentionem, quia non habet terminum: ergo &c. Nego minorem: cadere nanque sub determinatam intentionem nihil aliud est, quam quod fiat ex aliquo peculiari fine: Deus autem dum infinitum produceret, ex aliquo peculiari fine illud produceret: v.g. ad ostendendam suam omnipotētiam, vel ad aliud simile. Objciunt 4. omnis quantitas, si sit continua, est mensurabilis, & continetur sub aliquâ figurâ; si verò sit discreta est numerabilis; hæ enim assignātur passiones quantitatis: sed quantitas infinita non potest numerari, aut mensurari, neque aliquam admittere figuram. ergo non potest dari talis quantitas. Respondeo, eas esse passiones quantitatis finitæ; non infinitæ.

26 Objciunt 5. si darētur corpus infinitum versus omnem partem, ex quolibet puncto, vel saltem ex aliquo possent duci versus periferiam duæ lineæ triangulares infinitæ (nullus id dubitat ex his, qui admittunt posse dari infinitum magnitudinis) sed hæ lineæ, vt demonstrant mathematici, quo magis distarent à centro, magis distarent interse: ergo, cum quælibet distaret infinitè â centro, distarent interse infinitè ergo inter vtranque lineam daretur intercapedo infinita, ac per consequens daretur infinitum clausum terminis. In primis, cum aduersarij admittant infinitas partes quantitatis possibles, quarum quælibet diuerso spatio possibili respondeat, idem argumentum militat contra ipsos: quia Deus videt corpus possibile, in quo nulla datur pars possibilis, vltra quam de facto non sit alia possibilis: deinde in illo corpore videt duas illas lineas possibiles distare infinitè ab aliquo puncto: nunquid videbit etiam distare infinitè interse? Si affirmas, iam admittis, quod contra nos putabas absurdum. Si negas, idem tibi putà dictum pro nostrâ sententia: nihil ergo contra nos probas, quod tibi contrarium non sit.

27 Respondeo ergo ad obiectionem cum P. Vazq. supra n. 10. eas illeas distare infinitè interse eo modo, quo distant infinitè à centro. ab hoc autem non ita distant infinitè, vt aliqua pars possit in illis assignari, à quâ infinita distant a detur vique ad centrum; sed dicuntur distare infinite à centro, quia nulla pars datur in illis

ita distans â centro, vt vltra illã non sit alia magis distans, & vltra illã alia, & sic in infinitum. Eâdem ratione lineæ non dicuntur distare inter se infinitè, quia detur aliqua distantia determinata inter illas, quę infinita sit, sed quia nulla datur ita magna distantia inter illas, vltra quam non sit alia maior, & sic in infinitum, & ideo idem est dicere, *distant inter se infinitè*, ac dicere, quod inter illas dantur maiores, & maiores distantiæ in infinitum.

28 Instant: istæ lineæ de facto sunt infinitæ extensæ à centro: ergo de facto claudunt inter se omnes illas distantias, quæ in infinitum dantur inter ipsas lineas: sed non potest non esse infinita aliqua ex illis distantijs: ergo [illegible]. Distinguo primum antecedens: sunt de facto infinitæ extensæ à centro, eo quod detur aliqua pars in illis, à quâ sit infinita distantia vsque ad centrum, nego: eo quod nulla possit dari in illis ita distans à centro, vt vltra illam non sit alia magis distans in infinitũ, concedo antecedens. Deinde cõcessa prima consequentia, nego minorem. Neque enim aliqua ex illis distantijs esse posset infinita, nisi puncta linearum, inter quæ continerentur, distarent infinitè â centro: cum autem hæ lineæ ita sint infinitæ, vt nullum determinatum punctum sit in illis, inter quod, & centrum detur infinita distantia, fit, quod etiam distantiæ inter ipsas lineas interceptæ ita debeant esse maiores, & maiores in infinitum, vt nulla determinata sit ex illis, quæ sit infinita.

29 Obijciũ 6. producat Deus infinitos palmos quantitatis continuos, & illos extendat per infinitum spatiũ ab hoc puncto A. versus orientem. Deinde resumat medietatem cuiuslibet ex illis palmis: manebunt quidem infiniti semi palmi. Hos iterum coniungat Deus inter se, & eos extendat ab eodem puncto A. versus orientem per eamdem viam: vel ergo hæc quantitas occupat idem spatium, ac præcedens; vel minus. Si hoc vltimum: ergo datur terminus extensionis huius quantitatis, vltra quem alia prior extendebatur. Si dicatur primum: ergo non erat maior quantitas præcedens quam ista, quandoquidem idem spatiũ hæc occupat, ac illa: quo quid absurdius? Iam enim quantitas includens infinitos semipalmos, & alios infinitos supra istos, non esset maior quantitate includente tantùm hos semipalmos.

30 Difficile quidem argumentum, sed æque militans contra aduersarios asserẽtes, entitates possibiles esse infinitas: quia si sunt possibiles infinitæ partes quantitatis, videbit quidem Deus, esse possibiles infinitos lapides palmares in statu possibili, quod est ab hoc puncto A. versus orientem per lineam C. deinde etiam videbit, esse infinitos alios lapides semipalmares possibiles in eodem spatio possibili ducto à puncto A. per ipsam lineã C. Rogo ergo: videt ne Deus infinitum lapidum se-

semipalmarium possibilium posse occupare totum illud spatium, quo l occupare possunt infiniti lapides palmares? Si affirmas, incidis in absurda, quæ inferebas cõtra infinitum in actu. Si negas, iam admittis, vnum infinitũ posse esse maius alio · æque ergo cõtra te pugnat tuum argumentum, ac contra nos &c.

31 Respondeo ergo primò ad obiectionẽ, illud infinitum semipalmorũ nõ posse constitui in eodem spatio, in quo antea erant infiniti alij palmi; quia illud spatiũ taliter est infinitum, vt illud occupent infiniti palmi quantitatis, quorum quilibet respondet semipalmo alterius infiniti, & ideo infinitum illud semipalmorum deberet constitui in spatio alio infinito distincto à primo. Quod quidem non esset minus primo spatio, quia non haberet terminum, & de ratione minoris est habere terminum, quem maius excedat. Ratio autem huius solutionis est: quia, si infinitum istud semipalmorũ posset constitui in spatio, quod occupabant antea infiniti palmi; remanerent quidẽ in eo spatio infiniti semipalmi occupati, & totidem vacui: ergo infinitum semipalmorum peruenirer ad aliquam partem spatij, vltra quam non progrederetur: ergo haberet terminum: ergo esset finitum, & infinitum, quod implicat. Qua propter dicendum est, quod, sicut Deus in serie possibilium videt possibile vnum infinitum palmorum, & alterum semipalmorum, cuius singuli semipalmi respondeant singulis palmis alterius, ita videt loca possibilia, quorum vnus occupari possit ab infinito palmorum, & alter ab infinito semipalmorum, ita vt, dum vnum ex illis ad extrà producitur, produci debeat in spatio sibi proportionato, & non in alio.

32 Obijciunt 7: creet Deus quantitatem aliquam profunditatis tantum palmaris infinitè extensam versus orientem ab hoc puncto A. Posteà eam reducat in globum. Vel ille globus esset infinitus versus omnem partem vel non. Si primum; mirum profecto est, quòd quantitas, quæ antea tantum erat infinita versus vnam partem, modò; nullo addito cremento; sed noua solum dispositione partium, sit infinita versus omnem dimensionem. Certe, qui hoc credat, non est, cur neget chimæram, seu hypocentauros. Si verò dicatur; non fore illam quantitatem infinitam versus omnem partem; sequitur; neque fore infinitam versus vllam; quia quantitas orbicularis figuræ non magis extenditur versus vnam partem à centro, quam versus aliam: ergo, si versus aliquam partem non est infinita, versus omnes erit finita. Si autem versus omnes est finita: ergo iam quantitas, quæ antea erat infinita, fit finita absque vllius partis corruptione: quod quidem implicationem involuit. Hoc argumentum est simile præcedenti, & ideo simili solutione soluendum

dum est.) Dico ergo, illud infinitum non posse reduci in globum, quia est infinitum talis rationis, quod non possit infinite extendi, nisi versus vnam partem. Hùc faciunt ea, quæ adduximus pro solutione obiectionis præcedentis.

33 Obiciunt 8. si daretur lapis infinitus, haberet infinitam grauitatem: ergo moueretur infinita velocitate: ergo in instanti: sed est impossibilis motus localis in instanti: ergo & lapis infinitus. Distinguo antecedens: haberet infinitam grauitatem extensiue, cõcedo: intensiue, nego antecedens. Est dicere: sicut lapis esset infinite extensus, ita etiam grauitas in illo existens esset infinite extensa, quia extenderetur per totam lapidem: at quælibet pars lapidis haberet determinatos gradus intensionis, quia intensia existens in vnâ parte lapidis non augeretur in illa eadem parte ex eo, quod lapidi adiungerentur nouæ partes extentionis. Hanc nego primam consequentiam: quia non mouetur velocius lapis ex eo, quod habeat plures partes extensionis; constat enim experientia quod si è sublimi turri simul dimittantur ingens saxum, & lapillus, æqua velocitate tendunt vsque ad terram. Et ratio prioris est: quia, licèt ingens saxum habeat plures partes habentes grauitatem, quam lapillus, habet etiam plures partes, quæ moueri debent per illam grauitatem, & tam efficaces sunt aliquæ partes grauitatis ad mouendas non nullas partes corporis, in quibus inueniuntur, quam plures partes grauitatis ad mouendas plures partes in quibus existit, si omnes æqualem habeant intensionem, vt supponimus in præsenti.

34 Respondeo 2. quod, licèt corpus illud haberet infinitam grauitatem quoad intensionẽ, nihilominus non moueretur, quia corpus infinite extensum non potest moueri localiter, vt dixi sect. 1. Et idem dicito de globo infinito. quia, licèt quælibet pars illius esset mobilis secundùm se; in illo tamen globo non moueretur, quia ratione infinitatis essent illæ partes impeditæ ad hoc, vt moueretur, etiam si globus ille esset in aere suspensus.

35 Obiciunt 9. si infiniti Angeli mouerent lapidem determinatæ magnitudinis, motus ille esset infinite velox: ergo saltem in hoc casu posset dari motus localis in instanti. Respondeo, infinitos Angelos non fore causaturos motum localem in instanti per spatiũ diuisibile, quia id implicat propter rationem assignandam disp. sequenti cum agamus de loco, & disp. 25. rem hanc ex professo explicabimus.

36 Obiciunt 10. creet Deus infinitos Angelos, & cuilibet impertiatur vnũ gradũ gratiæ, postea omnes gradus gratiæ resumat. Vel ergo posset iterum dare vnicuique Angelo binos gradus gratiæ absque vllo additamento facto in gradibus; vel non posset.

Si dicas primum: videtur chimeri cum, quia si nullus denuo additur gradus, neque vllus Angelus deficitur; & antea singuli gradus singulis Angelis respondebant, quotatione poterunt modò duo gradus singulis Angelis respondere? Si verò dicas secundum: videtur falsum: quia in eis infinitis gradibus gratiæ sunt infiniti binarij: ergo cuilibet Angelo ex illis infinitis possent dari bini gradus. Respondeo, in eo casu non posse tribui singulis Angelis binos gradus; sed bini gradus darẽtur infinitis Angelis, & infiniti alij Angeli nullum graduin acciperent. Ad id, quod additur, respondeo, eos binarios esse infinitos; ex eo tamen non infertur, quod in illo infinito Angelorum respondere debeant bini gradus singulis Angelis, quia licèt non possit vnum infinitum esse maius alio propter rationem sæpius traditam; potest tamen vnum infinitum habere vnitates aliquas, quas non habeat alterum, & ideo necessarium non est, quod, si bini gradus possint singulis Angelis respondere in aliquo infinito Angelorum, possint respondere etiam in quolibet. Quod maxime ẽbseruandum est pro similibus argumentis soluendis.

37 Obijciunt vltimò: producat Deus infinitos homines, quorum vnusquisque habeat vnum lapidem: postea singuli in cumulum conijciant suos lapides; fieret quidem cumulus lapidum infinitus: deinde vnusquisque suum lapidem resumat, finietur cumulus, ac per consequens infinitum poterit finiri. In primis existimo impossibile, quod illi homines ita applicarentur, vt in eum cumulum lapides conijcerent, & postea resumerent. Sed dato, quod possent, respondeo; nullum fore inconueniens, quod infinitus ille cumulus finiretur ab infinitis hominibus, si non succederet, sed simul singuli suos lapides resumerent. Ex dictis facile erit missis argumentis, quæ adduci solent, satisfacere.

LIBER QVARTVS PHYSICORVM

EXplicatâ iam infinitudine, gradum facit Arist. ad explicandas alias proprietates motus. Incipit ergo in hoc 4. libro à loco, quia latio præcipuus inter alios motus in locum tendit, vt terminum.

num. Hinc excurrit Philosophus ad vacuũ, quia vicinũ loco. Et denique agit de tempore, quia in illo peraguntur omnes motus. Hæc omnia triplici disputatione enucleabo.

DISPVTATIO XXII.

De Loco reali, & imaginario.

SECTIO. I.

Quid sit locus realis?

1 ARist. hìc, text. 41. ferè in hunc modũ definuit locũ: *Est vltima superficies corporis primo continentis immobilis.* V. gr. quando vnum corpus circundatur alio, superficies vltima circundãtis dicitur esse locus alterius intra ipsum contenti. Per primam particulam excluduntur reliquæ superficies corporis continentis, præter illam, quæ immediatè attingit locatum. Et meritò omnes aliæ excluduntur à ratione loci; quia cum sola prima immediatè attingat corpus locatum, ea sola censetur illud propriè continere. Additur *corporis continentis*, vt excludatur à ratione loci vltima superficies corporis contenti; & denotetur, locum semper esse à locato distinctum; quia per motum localem transit corpus de vno loco in alium, quod præstare non posset, si ab ipso loco non esset distinctum, sed secum locum adsportaret semper. Dicitur præterea *primo continentis*, vt excludatur corpora, quæ, cum locatum contineant, illud tamen immediatè non continent. Ideo dicitur meus locus aer, non cœlum, etiamsi intra eius ambitum continear, quia videlicet non me continet immediatè, sed mediatè. Facilia hæc.

2 Sed circa vltimam particulam est non leuis difficultas, qua ratione intelligi debeat, quod locus sit immobilis? Videmus enim superficiem corpus aliud continentem moueri nonnunquã cum illo, vt contingit in vase continente aquam, quod hinc illuc cum illâ transfertur. Aliquando etiam, immoto corpore locato, mutantur superficies aeris illud cõtinentis, vt cernimus in turri, quamuis immota perseueret, nouis aeris superficiebus continuo sibi succedentibus circundatur. Qua ergò ratione *locus*, qui est vltima superficies continentis corporis, dicitur *immobilis*?

3 P. Arriaga hìc sect. 1. nu. 3. docet, eam particulam forte esse superfluã, vt solùm Arist. definisse tetram, quæ secundum se totam absolute est *immobilis*, & in ea omnes aliæ res locantur. Sed immeritò perdoctus Pater docet, esse superfluam particulam, in quã omnes philosophi tam antiqui, quàm moderni hucusque conspirarunt. Et quidem merito, quia, vt rectè aduertit P. Toletus hìc quæst. 5. locus est terminus motus localis, vt conceunt omnes: est autem de ratione termini immobilem manere, alioqui non posset attingi.



Deinde per motum localem transit mobile de vno loco in alium: si autem locus mutaretur cum ipso corpore, dici non posset corpus transire de vno loco in alium, cum semper eundem locum secum adportaret. Id verò, quod addit de terra, est omnino contra mentem Arist. qui locum dixit esse *superficiem corporis primò continentis*: terra verò non est primum continens omnium aliarum rerum, vt patet: ergo nullatenus dici poterit, omnes imea locari. Alias similes explicationes videre poteris apud authores modernos.

4 Dico ergo cum P. Tolet. hìc q. 5. §. *Ad 3. respondit S. Thom.* & cum doctis recentioribus, locum duo includere, nempè & superficiem continentem, & ipsam continentiam, formâ videlicet, per quâ constituitur continens locatum, quæ quidem nihil aliud est, quam præsentia, cuius effectus formalis, vt dicemus infrà, est constituere subiectum distans tantùm, vel tantùm à reliquis rebus. Itaque locus & dicit superficiem corporis continentis, & præsentiam, per quam ipsa superficies constituitur continens in tantâ, vel tantâ distantiâ a reliquis corporibus. Cum autem præsentia aliò mutari nequeat, quia de ratione formali illius est constituere corpus in hac distantia, fit, vt ratione illius, locus dicatur immobilis, etiamsi superficies mutari possit.

5 Dices: corpus locatum non dicitur immobile, etiamsi prout coniunctum cum aliqua præsentiâ, quam habet in hoc loco non possit moueri: ergo neque locus dicetur absolutè immobilis, etiâsi non possit moueri præsentia, per quam continet locatum: alioquin, si hæc ratio sufficit, vt dicatur locus absolutè immobilis, cur eadem non sufficiet, vt corpus locatum dicatur etiam absolutè immobile? Respondetur, locatum posse sumi vel reduplicatiue, prout locatum est; vel specificatiue tantùm, pro eâ videlicet entitate, quæ continetur in loco. Si sumatur reduplicatiue, est immobilè, quia prout in hoc loco non potest transire ad alium. Si verò specificatiue sumatur, est mobile, quia id, quod continetur in hoc loco, potest ad alium locum transire. Hic autem non agit Arist. de locato reduplicatiue sumpto, sed specificatiue, & ideo absolutè docet, esse mobile. Constat id ex tex. 39. vbi ait: *Dico autem contentum corpus, quod est secundùm lationem.*

6 Alia ratio est de loco: quia, licèt superficiei continenti accidentalis sit ipsa continentia; at verò ipsi loco non est accidentalis; quia superficies continens nō habet rationē loci, nisi prout est cōtinens, & ideò, licèt superficies nō dicatur absolutè immobilis, quia ipsa potest moueri; locus tamen dicitur absolutè immobilis, quia dicit superficiem, prout continentem: continentia verò est immobilis, vt constat ex dictis. Hæc doctrina sumitur ex Arist. hìc tex. 41 vbi docet, quod quando id, quod in alio corpore continetur, mouetur


tur simul cũ continente, tunc quidem continens potius est dicendũ se habere vt vas, quam vt locus, & reddit rationem, quia de ratione loci est, quod sit immobilis: ergo manifeste sentit Arist. præsentiam esse de essentia loci; cum per præsentiã habeat immobilitatẽ. In hanc explicationẽ cõsentit S. Tho. hìc.

7 Duo ergo essentialiter dicit locus, superficiem videlicet, & præsentiam, per quam ipsa superficies constituitur continens locatum in tanta, vel tanta distantia. Superficiem dicit pro materialis præsentiam verò pro formali. Ita tamen id intelligendum est, vt hic numero locus non dicat determinatè hanc, vel illam numero superficiem, sed determinatè dicit præsentiam, per quam superficies constituitur continens locatum in hâc distantiâ, & vagè dicit hanc vel illam superficiem. Porro, cum in hâc eâdem distantiâ possit superficies per plures numero præsentias seorsim continere locatum, intelligendum non est de ratione huius numero loci esse, quod contineat locatũ in hac distantia per hanc numero præsentiam, sed hîc numero locus determinate dicit continentiam in hâc distantiâ, vage verò hanc vel illam superficiem, & hanc, vel illam numero præsentiam.

8 Id potest explicari tum ex doctrina, quam tradidimus disput. 8. circa hæc nomina *Deus*, & *Persona*, tum etiam ex communi omnium consensu: quia dum turris perseverat in hac distantiâ, etiamsi varientur superficies continentes illam, & præsentiæ illarum, dicitur manere in eodem loco, si succedant aliæ continentes turrim in eâdem distantiâ: ergo in communi omnium sententia de ratione huius numero loci, non est determinatè hæc superficies, & hæc numero præsentia; sed tantùm hæc distantia, siue sit per hanc, vel illam numero præsentiam, siue in hac, vel illa superficie.

9 Obijcies primò: locus est æqualis locato: sed superficies cõtinens non est æqualis cum corpore contento: ergo non potest esse locus. Minor est certa, quia superficies continens non habet, nisi partes latas; corpus verò contentum habet partes profundas. Distinguo maiorem: locus est æqualis locato secundùm dimensionem, nego: secundum continentiam, concedo maiorem. Est dicere: licèt locus non habeat, ratione sui tot dimensiones, ac corpus locatum, continet tamen intra se totum corpus, & nihil aliud vltra illud. Et ideo dicitur non extendi continentia eius ad plura, quam corpus contentum, quod est esse æqualem locato secundum continentiam.

10 Obijcies secundò: corpora naturalia, inclinantur in proprium, & connaturalem locum, vt in illo melius conseruentur: ergo locus habet virtutem conseruatiuam sui locati: sed superficies continens non habet



tatem virtute: ergo non habet rationem loci. Probatur minor: quia terra continetur intra superficies aeris, & aquæ, quæ habent qualitates contrarias his, quæ sunt connaturales terræ: ergo non semper potest locus conseruare corpus locatum, si locus est superficies continens. Respondeo; corpora naturalia inclinari in locum naturalem, vt in illo melius conseruentur, non ab ipso loco; sed ab influxibus cœlestibus; quia in ea distantia sunt magis idonei, quam in alia ad conseruationem eorum corporum.

11 Ex his infero, locum naturalem non esse terminum intrinsecum motus localis; sed extrinsecum. Ratio est: quia terminus intrinsecus motus est ille, qui per motum producitur in mobili, vt fatentur omnes: sed locus realis non producitur per motum in mobili: ergo non est terminus intrinsecus motus. Minor est certa: tum quia id, quod producitur per motū in mobili, recipitur in ipso mobili; locus verò non recipitur in mobili, sed in ipso corpore continente: tum etiam quia locus sæpè sæpius erat productus antequam ad illum moueretur mobile, dum enim aqua infunditur in vas fixum, iam supponitur superficies vasis cum præsentia in tali spatio. Dicamus ergo, locum realem esse terminum extrinsecum motus; quia per motum approximatur mobile loco taliter, vt ab illo continea-

tur.

SECTIO II.

Quid sit spatium imaginarium?

12 ANtequam Deus mundum produceret, nullum existebat spatium in rerum natura; nos tamen concipimus ab æterno fuisse inanitatem quandam vndequaque interminatam, immobilem, & aptam ad quælibet corpora intra sinum suum recipienda, quæ quidem partim repleta est, dum Deus vniuersum condidit, partim vacua permansit vltra cœlum; taliterque connectitur cum illa localis motus, vt dari nequeat, quin vnam deserat, & acquirat alteram. Hanc inanitatem vocamus spatium imaginarium. Quærimus ergo in præsenti: an sit aliquid mere fictum, vel potius quid reale? Et omissis antiquorum placitis, quæ apud quemuis inuenies refutata, sententias recentiorum refellemus.

13 Aliqui dixerunt, inanitatem illam, seu spatium imaginarium esse ens quoddam rationis confictum, cum quo habet essentialem connexionem præsentia realis, quia effectus formalis eius est reddere corpus præsens tali spatio imaginario. Horum placitum sustineri nequit: quia si præsentia realis haberet essentialem connexionem cum tali ente rationis, non posset dari sine illo: atqui potest dari sine illo, quia ens rationis non datur, nisi fingatur cognitio intellectus illud fingēs, potest autē dari mo-

motus lapidis realis, per quem acquirat præsentiam in centro, quin detur intellectio fingens spatium illud imaginarium: nisi forte dicas, lapidem in aere pendulum expectare, donec intellectus contingat spatium illud imaginarium in centro, quod est insigne commentum: ergo potest dari motus lapidis, per quem acquirat præsentiam in centro, quin detur illud ens rationis: ergo non est de essentia præsentiæ facere corpus actu præsens tali spatio imaginario cõficto.

14 Dices: actus intellectus fingens ens rationis nõ potest dari sine ente rationis confícto, etiamsi ipse actus sit realis: ergo non repugnat, præsentiam realem habere connexionem cum ente rationis. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est: quia actus intellectus, cum sit se ipso fictio actualis entis rationis, dari non potest, quin detur ipsum ens rationis confictum, at præsentia, cum neque sit fictio entis rationis, neque connexionem essentialem habeat cum actu fingente, potest dari sine ente rationis, ac per consequens nullam habet cõnexionem cum illo.

15 Alij docent, spatium imaginarium posse considerari & secundùm se, & prout a nobis concipitur. Si secundùm se consideretur, dicunt, nihil aliud esse quam negationem præsentiæ, per quam corpus cõstituitur distans ab alijs. Addunt que corpus dici acquirere hoc, vel illud spatium, dum medio motu acquirit præsentiam excludentem negationẽ sui ipsius, quàm ipsi vocant spatium imaginarium. Hæc doctrina videtur mihi falsa: quia nullo modo potest dici, acquiri per motum id, quod destruitur per terminum motus, vt ex se patet: sed negatio præsentiæ destruitur per præsentiam, quæ est terminus ipsius motus: ergo non potest dici acquiri per motum talis negatio: ergo, si spatium imaginarium in re nihil aliud est, quam hæc negatio, nullatenus dici potest (si de illo loquendum est, prout est in re) quod acquiratur per motum.

16 Dicendum ergo arbitror, spatium imaginarium secundùm rem consideratum nihil aliud esse, quam non repugnantiam præsentiæ, per quã vel partes vnius corporis possunt constitui in tantâ, vel tantâ distantiâ inter ſe; vel vnum corpus in tantâ, vel tantâ distantiâ ab alio. Hanc doctrinam tradit P. Suar. in Metaph. disp. 51. sect. 1. num. 24. & clarius sect. 2. num. 4. & 5. Rem explico: antequam produceretur vniuersum, non repugnabat (neque modo repugnat vltra cœlum) produci corpora cum hâc, vel illâ distantiâ & suarum partium inter se, & vnius ab alio. non repugnantia ergo huius præsentiæ, quâ hoc corpus, v. g. Matritum, distat à Compluto per sex leucas, dicitur hoc spatium imaginarium; &, non repugnantia alterius præsentiæ dicitur alterum spatium imaginarium: ità tamen vt de ratione hu-

ius numero spatij non sit hæc numero præsentia, neque præsentia huius determinati corporis, sed tantum præsentia in tantâ distantia, siue sit hæc numero, vel illa; siue huius corporis, vel illius. Itaque hoc spatium imaginarium determinatè dicit solùm non repugnantiam præsentiæ in tantâ distantiâ, vagè verò hanc, vel illam non repugnantiam huius, vel illius numero præsentiæ eâ ratione, qua sect. præcedenti loquebamur de loco reali.

17 Probatur ergo sententia sic explicata quia in eo debet consistere spatium imaginarium secundùm rem consideratum, quod, cum reuerà verificetur ex parte rerum, verè etiam acquiratur per motum tanquam terminus ipsius motus: sed non repugnantia talis distantiæ, seu præsentiæ reuerà verificatur ex parte rerum, quia ante vllam fictionem intellectus est verum dicere, non repugnare talem præsentiam, qua corpus tantùm distet ab alio: deinde talis non repugnantia acquiritur reuerà per motum, qui facit existentem ipsam præsentiam, quandoquidem non repugnantia præsentiæ, & ipsius existentia sunt idem realiter: ergo in ea non repugnãtia præsentiæ debet consistere spatium imaginarium secundùm rem consideratum.

18 Si verò loquamur de spatio imaginario, prout concipitur à nobis: concipimus quidem non repugnantiam illam ad modum cuiusdam tenuissimæ substantiæ excipientis in se corpora in illam se insinuantia per motum, & propterea dicimus, corpora *Occupare spatium imaginarium*, *illud replere*, & *esse in illo*, quia iuxta nostrum modum concipiendi ita se immergunt illi substantiæ confectæ, vt nullum aliud corpus ingredi patiantur in idem spatium, dum ipsa in eo perseuerant. Quæ quidem loquutiones spatio etiam secundùm rem sumpto accommodari possunt, quia, dum corpora per præsentiam determinantur ad hanc, vel illam distantiam taliter, vt, dum hanc habent præsentiam, non patiantur alia corpora in eadem distãtia collocari, rectè dicuntur esse *in hoc spatio*, *illud replere & occupare*, &c.

19 Obijcies: vulgò dicitur præsentia specificari ab spatio imaginario: ergo non constituit hoc in non repugnantia præsentiæ: Patet consequentia: quia nulla res dicitur specificari per ordinem ad suam non repugnantiam. Respondeo, præsentiam reuerà non specificari ab spatio imaginario tanquam ab eo, ad quod dicit ordinem essentialem; vulgo tamen dicitur specificari ab illo, quia cum spatium imaginarium concipiatur ad modum rei cuiusdam intra proprium sinum excipientis corpora, concipitur etiam præsentia quasi habens cum illo connexionem: cum autem vulgus sæpesæpius non discernat inter res, prout in se sunt, & prout à nobis concipiuntur, loquitur de illis ea ratione, quâ apparent in con-

conceptu nostro, non quâ sunt secundùm se.

20 Hìc solet disputari vtrùm Deus de facto sit vltra cœlum in infinitis spatijs imaginarijs. Negat P. Vazq. 1. par. disp. 29. quem sequitur P. Moncæus disp. 1. capit 2. & 8. alios pro se adducit. P. Vazq. cap. 2. Ratio eius est: quia, vt aliquid verè, & propriè in altero existere dicatur, debet dari existentia vtriusque: sed spatium imaginarium, vltra cœlum nihil est existens: ergo non potest Deus existere in illo. Fatetur tamen P. Vazq Deum existere in se per immensitatem taliter, vt si extra cœlum corpus aliquod crearetur absque vllâ sui mutatione denuo existeret in illo.

21 P. Suar. in Metaph. disp. 30. sect. 7. num 30. P. Molina 1. part. quæst. 8. art. 1. disput. 3. quos sequuntur P. Hurt in Physic. disp. 14 sect. 3. & P. Arriag. disp. 14. sect. 4. num. 69 docent, Deum esse in infinitis spatijs imaginarijs vltra cœlum, & fuisse ante mundi creationem in toto spatio, quod modo occupat. Probãt quia id habet Deus vltra cœlum per suam immensitatem, quod haberet corpus aliquod per suam præsentiam, si ibi poneretur: sed, si corpus poneretur præsens vltra cœlum, reuerà diceretur esse in spatio imaginario sibi respondente: ergo reuerà dici potest Deus esse per suam immensitatem in omni spatio imaginario. Patet consequentia: quia, sicut præsentia corporis est id, quo corpus est in spatio imaginario sibi respondente; ita immensitas est id, quo Deus est in omni loco: ergo, sicut verè diceretur illud corpus esse per suam præsentiam in suo spatio imaginario, ita etiam verè dicetur Deus esse per suam immensitatem in omni spatio imaginario.

22 Controuersia hæc potius est de nomine, quã de re. Nihilominus mihi magis placet sententia P. Suar. & P. Molinæ propter rationem proximè adductam. Cæterum P. Vazq. capit. 3. num. 15. negat corpus existens vltra cœlum, seu vltimam sphæram dicendum fore esse in aliquo spatio; sed in seipso, & ideo idem negat de Deo. Ex quó manifestè sequitur, disidium esse solùm de nomine. Verum aduersatur communi loquendi modo in scholis iam recepto, & apud PP. maximè frequenti, vt videri poterit apud Patrem Suarez, & Patrem Molinam suprâ.

SECTIO. III.

An præsentia distinguatur realiter à re præsenti?

23 DIximus, spatium imaginarium esse non repugnantiam præsentiæ, qua corpus est distans, vel indistans ab alio. Explicandum modò: an hæc præsentia realiter distinguatur à re præsenti? Dico ergo, præsentiam realiter distingui a corpore præsenti, & loco reali, vbi est præ-

sens. Verbi gratia, est Petrus præsens huic loco extrinseco: præsentia eius non est entitas Petri, & locus extrinsecus, sed aliquid ab vtroque distinctum. Pro hac sententia stant fere omnes authores nostræ Societatis, plures Thomistæ, & alij. Ratio est: quia dantur in rerum naturâ Petrus, & hic locus, quin Petrus sit in hoc loco: ergo Petrus in hoc loco aliquid addit suprà entitatem Petri, & huius loci. Antecedens est certum: quia, hoc loco perseuerante in rerũ natura, potest Petrus esse Romæ: ergo Petrus, & hic locus possunt dari in rerum naturâ, quin Petrus sit in hoc loco. Ex quo manifeste deducitur, quod Petrus in hoc loco addit aliquid supra entitates Petri, & huius loci; alioqui Petrus, & hic locus non possent esse in rerum natura, quin Petrus esset in hoc loco. Id autem, quod additur supra entitates Petri, & huius loci, dicimus, esse præsentiam.

24 Dices, Petrum in hoc loco esse vtrunque simul, non quemlibet seorsim sumptum. Sed contrà. vel esse simul Petrum, & hunc locum addit aliquid supra meras entitates Petri, & loci, vel nihil. Si hoc: ergo, ex ipso quod sint entitates Petri, & huius loci in rerũ naturâ, erunt simul, neq; aliud requiretur, vt Petrus sit in hoc loco. Si dicatur primũ: id est, quod intendimus, & hoc additũ vocamus præsentiã.

25 Dices, id, quod additur, esse negationẽ distantiæ inter Petrum, & hunc locum, & ideo Petrum in hoc loco nihil audere positiuum supra entitates Petri, & huius loci. Sed contrà: si id, quod additur, est negatio distantiæ inter Petrum, & hunc locum ergo, quãdo Petrus constituitur in hoc loco aliquid ponitur positiuũ, per quod Petrus distabat ab hoc loco. Patet cõsequentia: quia negatio semper est destructio alicuius positiui. Hoc autẽ positiuum, per quod distabat Petrus ab hoc loco, voco præsentiã. Si autem per præsentiam cõstituitur distans ab hoc loco, per præsentiã etiam constituetur in hoc loco, quia quando est in hoc loco, est distans ab alijs locis.

26 Instabis: distare Petrũ ab hoc loco nihil aliud est, nisi, quod inter Petrum, & hunc locũ interponi possit corpus tantæ, vel tantæ magnitudinis, & ideó Petrus cõstituitur in hoc loco per negationẽ talis interpositionis. Sed contrà: interpositio corporis inter Petrũ, & hunc locum est aliquid distinctũ ab ipso corpore interpositio, potest enim dari tale corpus, quin sit interpositum inter Petrum, & hunc locum: sed talis interpositio distincta à corpore debet esse aliquid positiuũ, quia destruitur per negationem ergo id, per quod Petrus constituitur in hoc loco, est etiam aliquid positiuũ Patet consequentia quia, dum Petrus ponitur in hoc loco, interponitur inter corpus, quod est proximũ vni eius extremitati, & locum, qui est proximus alteri: ergo est in hoc loco ratione alicuius positiui, ratione cuius interponitur inter illa duo.

Id

Id autem positiuum dicimus, esse præsentiam.

27 Nonnulli recentiores aliam viam iniere, vt nostrum argumẽtum eludant. Dicunt enim, præsentiam esse formalitatem quãdam realiter identificatam cum corpore præsente, quæ qui lẽ formalitas per hunc, vel illum motum localem tanquam per conditionem determinatur, vt constituat corpus formaliter præsens in hoc, vel illo loco. Sed cõtra: sufficienter constitueretur corpus in hoc loco per motum localem tãquam per formam ergo superflueret ad id munus illa tua formalitas identificata realiter cum corpore. Probo sequelam: quia fingetibi, non esse formalitatem illam cum corpore identificatam, & nihilominus corpus per hunc motũ huc adduci. In hoc casu reuerà esset corpus in hoc loco, quia reuerâ esset distans ab alijs existentibus in alijs locis: ergo sufficienter constitueretur in hoc loco formaliter per motum.

28 Et vero, si doctrina ab his tradita esset vera, certe non esset, cur homo diceretur intelligens formaliter per intellectionẽ; nec paries albus per albedinem superadditas; sed homo dici posset intelligens formaliter per formalitatem quandam cum illo realiter identificatam, quę, entitate, quam modo vocamus intellectionẽ, positâ cuiusuis conditione, constitueret illum formaliter intelligẽtem, & similiter philosophandum esset de albedine, & alijs formis. Si ergo cõcedis hîc formã superadditam, quæ adueniens homini constituit illum formaliter intelligentem, concede etiam, motum esse formam superadditã, quæ adueniens corpori constituit illud formaliter præsens, quia sicut præsentia est forma relatiua, vt tu dicis, ad spatium; ita etiam intellectio est forma relatiua ad obiectũ intellectus, & albedo ad visum, cuius est disgregatiua.

29 Alij, vt præsentiã de medio tollant, dicunt, corpus constitui in hoc loco formaliter per solùm motũ sine termino aliquo per ipsum productο. Bene ergo iam in motu locali præter formalitatem actionis, & passionis datur alia formalitas, ratione cuius corpus constituitur formaliter in hoc spatio. In hâc autẽ formalitate dico consistere rationem formalẽ præsentiæ. Vnde in tali casu dicendũ non esset, dari motum sine termino; sed potius dari terminũ, præsentiam videlicet, se ipsâ dependentem ab agente, & passo. Sicut in sententia eorũ, qui dicunt, creationem Angeli non distingui realiter ab ipso Angelo, non dicitur dari creatio sine termino, sed terminus se ipso dependere, seu creari a creante. Vide quæ diximus suprâ disp 20. sect. 1.

30 Sed age iam: probemus, præsentiã distingui realiter à motu: quia nulla est ratio ad probandum calorem produci per actionem ab ipso distinctam, nisi quia conseruatur destructo agente, à quo fuit primo productus: atqui de



destructo ; vel separato motore perseuerat in mobili præsentia ab ipso motore producta, vt patet in præsentia, quam per motum circularem produxi in rotâ, quæ quidem, me absente, perseuerat · &, postquam lapis per impulsum deductus est in aliquem locum, breui corrumpitur impulsus, diuque præsentia ibi acquisita conseruatur : ergo præsentia distinguitur realiter a motu. Etenim, si se ipsa penderet ab agente primo producente, hoc destructo, vel separato, nequaquam posset perseuerare.

31 Objcies D. Thom. qui 1. p. q. 110 art. 3. ait *mobile secundum locum non est impotentia ad aliquid intrinsecum in quantum huiusmodi, sed solum ad aliquid extrinsecum, scili et ad locum* · ergo sentit apertè, nullum aliud terminum acquiri per motum, nisi locum extrinsecum, ac per consequens non dari præsentiam distinctam à motu. Respondeo, mentem S. Thomæ esse, quod per motum localem nihil producatur intrinsecum mobili tendens, seu disponens ad eius destructionem. Hanc explicationem colligo ex contextu ; quia ibi D Angelicus confirmat suam sententiam ex doctrina, quam ait, tradi ab Arist. 8. Phys. ad probandum, motum localem esse reliquis perfectiorem, quod quidem Aristot. ibi tex. 58. ex eo probat, quod per motum localem nihil producitur, per quod corrumpatur mobile ; secus per alios motus : ergo in hoc sensu loquitur S. Thom. hìc adductus.

32 Objcies 2. si præsentia localis distingueretur à motu, in quolibet motu locali darentur infinitæ præsentiæ sibi succedentes: hoc non est concedendum : ergo neq, illud. Maior probatur quia, dum moueor per spatium diuisibile, ita successiue acquiro infinitas partes proportionales spatij, vt, quâlibet denuo acquisitâ, nulla pars mei perseueret in eodẽ loco, ac erat immediatè antea, est enim necessarium, quod, si vltima mea pars extenditur ad primam partẽ spatij, penultima mea extendatur ad partem spatij, quã reliquit vltima, & sic de reliquis : ergo si essem præsens per præsentiã distinctam realiter a motu, quotiescũque mouerer ad nouam partẽ proportionalem spatij, amitterẽ totam præsentiam, quam habebam antea, & aliam integre distinctam acquirerem ergo, cũ in quolibet locali motu successiue mouear ad infinitas partes proportionales spatij acquirendas, successiue acquiram infinitas præsentias inter se distinctas adæquate.

33 Respondeo, idem argumẽtum fieri posse in ipso motu. quia, quando vltima mea pars mouetur ad primam partem spatij, singulæ partes meæ mouentur ad spatium ibi proximũ ergo, quotiescunque moueor ad nouam partẽ proportionalẽ spatij, datur motus integer omniũ partium, ac per consequẽs, cũ successiue mouear ad infinitas partes proportionales spatij,

tij sibi inuicē in me succedent infiniti motus adæquati. En tuū argumentū. Respōsio ergo vtriq; cōmunis est, nullū eſſ· incōueniens, quod in motu continuo per spatiū infinitas partes proportionales cōtinens, infinitæ præsentiæ integre distinctæ interse sibi inuicē succedant modo posito in argumento.

SECTIO. IIII

Explicatur effectus formalis præsentiæ.

34 EX dictis sect. præcedente facile eruitur effectum formalem præsentiæ declarare. Dico ergo, quodlibet corpus esse indifferens, vt alteri sit approximatū, vel ab illo distans: deinde etiā est indifferens, vt sit magis, vel minus distans ab alio, vt experiētia cōstat. Tunc autē dicitur vnū corpus esse approximatū alteri, quando ita quodlibet est extra aliud, vt nullū aliud inter illa possit interponi: tunc vero dicitur distans, quando inter vnū, & aliud potest corpus aliquod interponi, & erit magis, vel minus distans pro maiori, vel minori lōgitudine corporis interponendi Propriū ergo est præsentiæ hanc corporū indifferētiā auferre, ita vt sit de ratione præsentiæ vt hoc, reddere corpus radicaliter distās, vel approximatū alteri. De ratione verò talis præsentiæ est reddere corpus taliter, vel taliter distās, seu approximatū radicaliter. Explico hæc præsentia, quâ sum præsēs Cō, uti, seipsâ est determinata, vt, quatenus ex se est, me faciat distantē per sex leucas à corpore præsente Matriti, &, â corpore præsente Toleti per decē & octo, &c. corpori vero iuxta meā dexterā præsenti me reddat cōtiguū, & approximatum tali modo &c. ita vt, eo ipso, quod habeam hanc præsentiā, necessariū sit, quod corpus aliud præsens Matriti à me distet per sex leucas &c. neque aliter euenire possit.

35 Dixi, de ratione præsentiæ esse reddere corpus *radicaliter distans*: quia nō est de ratione præsentiæ, quod corpus eā habens sit actu distans, seu approximatū alteri, sed quod taliter disponatur corpus per illā, vt si aliud ponatur cū tali præsentiâ, sit ab illo taliter distans &c. Vnde, si aliud corpus actu nō ponatur, illud, quod habet hanc præsentiā, nō erit actu distās ab illo, sed tantùm *radicaliter*, seu *in potētia proxima*: fiet tamē actu distans, vel actu approximatū alteri per actualem positionē alterius cum tali, vel tali præsentia. Probatur, effectum formalem præsentiæ esse eū, quē diximus· quia corpus non est per suam entitatem distans, seu approximatum alteri: ergo debet id accipere ab aliqua forma superaddita. Hanc dicimus esse præsentiam.

36 Dices: corpus potest esse distās ab alio sine præsentia. ergo nō est effectus formalis eius reddere corpus distans. Probatur antecedēs: quia, ablatâ præsentia ab hoc corpore, potest interillud, & aliud interponi corpus eiusdē extēsionis, ac antea: ergo sine præsentia erit distans eâdem distantiâ, ac

antea

antea. Antecedens probatur · Sim sedens in cathedra, & distans per duas vlnas à fenestra : destruatur per potentiam Dei mea præsentia (vt fieri posse probabo infra) nequ detur mihi alia. Eodem modo interponi poterunt duæ vlnæ inter me & fenestram · neque enim quando destructa fuit mea præsentia, discessi à loco, in quo anteâ cõtinebar. ergo eandem distantiam, quã habebã anteâ cum præsentia, possum habere sine illâ.

37 Respondeo, in casu posito nullam dari distantiam inter me, & fenestram, quia, destructâ meâ præsentiã, neque aliâ mihi loco illius subrogatâ, nullibi sum, ac per consequens neque distans, neque approximatus fenestrę. Id explicari potest exemplo eius, quod quotidie euenit in Eucharistia: quia antequam corrumperentur species sacramentales in stomacho, erat Christus Dominus intra stomachum : dum autem corrumpuntur, desinit esse ibi, vt fatentur omnes Theologi, non quia discedat, seu egrediatur per motum ex stomacho; sed quia destructa est præsentia, qua ibi tenebatur. Vnde, si tunc temporis Christus Dominus neque esset in cœlo, nec sub alijs speciebus, reuerâ nullibi maneret; quia ex vnâ parte non habebat alibi præsentiam, vt supponimus; ex aliâ vero parte desinit esse in stomacho per defectum præsentiæ ergo nullibi maneret Idé ergo cõtingeret in casu suprâ posito, quando corrupta præsentiâ, quâ præsens eram in cathedrâ, alia non subrogaretur · tunc enim nusquam libi manerem, ac per consequens, neque proximus fenestræ.

38 Dices · corpus illud, a quo ablata fuit miraculose præsentia, habet virtutem naturalem ad producendã præsentiam sibi cõnaturalẽ. Demus ergo, quod post aliquod tempus non impediatur ea virtus suam præsentiam producere: tunc eam producet in loco, in quo antea fuerat, & non in alio: ergo tale corpus approximatum erat huic spatio, magis quàm alteri, atque adeó erat distans, vel approximatum reliquis corporibus. Respondeo, corpus in eo casu ex se esse determinatum ad producẽdam præsentiam connaturalem; sed indifferens, vt in hoc, vel alio loco eam produceret, quia neque immediate ante hoc instans erat applicatum illi spatio : neque in hoc instanti supponitur prius naturâ applicatum alicui, antequam producat præsentiam Vnde determinandum esset à Deo, vt eam in hoc loco, vel illo de facto produceret.

39 Rogabis · an præsentia sit modus, vel res? Communiter respondetur, esse modum Et merito · quia ea omnia, quæ de præsentia nouimus non exigunt maiorem perfectionem, quam modalem : cur ergo maiorem concedemus?

SECTIO. V.

Nonnulla Corollaria.

40 EX dictis sect præcedenti infero 1. animam rationalem

tem, & Angelum nulli corpori vnito habere veram præsentiam immediate vllos afficientem, sicut habent corpora. Consentit P. Suar. in Meta. disp. 51. sect. 3. à. nu. 8. & pro se adducit alios, cuius Ratio est: quia Angeli, & anima rationalis secundum se sunt capaces distandi inter se magis, & minus etiamsi non sint coniuncti cum aliquo corpore: ergo sunt capaces præsentiæ, quæ immediate illos afficiat. Consequentia est bona: quia magis, vel minus distare est effectus formalis præsentiæ. Antecedens nescio, cur negari possit. etenim vnum corpus distare potest ab alio, cur non poterit vnus Angelus ab alio distare, vel essentialiter approximatus?

41 P. Vazq. qui tuetur oppositam sententiam 1. par. disp. 29. cap. 3. nu. 15. & disp. 188. cap. 7. & disp. 195. cap. 3. & 4. respondet ei difficultati, inter vnum Angelum, & alium non posse dari distantiam, quia distantia inter duos nihil aliud est, quam quod inter vnum, & alium ponit. interponi aliquod corpus, cum autem Angeli non habeant extensionem inter quæ possit corpus aliquod interponi (neque enim extensionem habere possunt, nisi quod esset diuisibile, & extensum) fit, vt non possint distare inter se. Sed contra: ad hoc, vt corpus dicatur interponi inter vnum Angelum, & alium, non est necessarium, quod isti Angeli habeant extensionem; sed sufficit, quod immediate post præsentiam huius Angeli incipiat extendi corpus interpositum vsque ad præsentiam alterius Angeli, in quo casu vterque Angelus prout cum talibus præsentijs, erunt extrema, inter quæ tale corpus continetur.

42 Obijcit P. Vazq. Angelus non potest habere situm in loco, neque replere, aut occupare locū: ergo neque habere præsentiā immediate ipsi inhærentem. Patet consequentia: quia proprium est rerum habentium præsentiam replere, & occupare locum, ac situm in eo habere. Cōcedo antecedēs, & nego consequentiam. Ad probationem respondeo, occupare, & replere locum non esse proprium omnium rerum habentium præsentiam; sed earum tantum, quæ ita sunt præsentes in aliquo loco, vt non patiantur aliam eiusdem rationis eidem fieri præsentem, quod quidem soli conuenit quantitati ratione impenetrabilitatis. Obiicies 2. si Angelus habet præsentiam propriam, independenter ab vnione cum corpore, poterit se mouere per spatia imaginaria vltra cælum, quod aduersari videtur Patribus supponentibus, Angelos cōtineri intra hoc vniuersum. Fateor, posse moueri Angelos vltra cælū. De facto id non præstabunt Beati, quia nullius vtilitatis: Dæmones vero non permittuntur cælum empyreum pertingere. Nequa Patres negabunt, Angelos, & animas beatas supra superficiem cæli empyrei non posse aliquos habere.

43 Infero 2. in compositio materiali non solum quantitatem, sed etiam materiam, formam substan-

stantialem, & omnia alia accidentia etiam modalia, quæ se ipsis nõ sunt connexa cum præsentiâ; proprias habere præsentias seorsim singulis respõdentes. Est P. Suar. in Met. disp. 51. sect. 5. & P. Hurt. in Phys. disp. 14. sect. 4. Et, quod ad quantitatem attinet, concedunt omnes. De reliquis probatur: quia, si quælibet ex illis entitatibus detur seiuncta miraculose a quantitate, reuera erit præsens, & quidẽ, vt arbitror, ex naturâ rei, & sine nouo miraculo propter rationem coroll. præcedentẽ adductã pro rebus spiritualibus. Deinde ex eo, quod iterum vniantur quãtitati tales entitates, nihil eis aduenit; ratione cuius præsentiæ propriæ sint destruendæ: ergo adhuc vnitæ quantitati eas cõseruabunt. Minorẽ probo: quia neque quantitas, neque vnio ad quãtitatem sunt formæ oppositæ cum præsentijs illarum entitatum, vt patet; neque præsentia ipsius quãtitatis, hæc enim opponitur cum præsentiâ alterius quantitatis in eõdem loco; cũ præsentia vero rerum à quantitate distinctarũ nulla in eâ agnoscitur oppositio, quandoquidem potest Angelus in eõdẽ loco secũ admittere: ergo ex vnione ad quantitatem nihil accedit illis entitatibus, quod cũ præsentia illarũ opponatur: ergo nõ est, cur non conseruentur simul cum quantitate præsentiæ illarum.

44 Dices: posita vnione cum quantitate omnes illæ entitates fiunt sufficienter præsentes per præsentiam quantitatis, atque adeo pereunt reliquæ præsentiæ, vt pote quæ iam supersunt. Sed cõtrà positâ vnione albedinis, v. g. cum quantitate, non fit albedo formaliter præsens per vnionẽ, qua vnitur quãtitati, quia effectus formalis vnionis non est reddere præsens; sed vnitum, & ideo perseuerante eâdem vnione albedinis cũ quãtitate variantur plura loca, vt constat experientia: neque fit præsens formaliter per præsentiã quãtitatis; quia formæ existentes in eodẽ subiecto nõ tribuunt sibi adinuicem suos effectus formales, vt constat in albedine, & dulcedine simul existentibus in eodem subiecto, quia licet vtraq; subiecto tribuat suum effectum formalem; tamen neq; albedo dulcedinem cõstituit albam, neq; è contra dulcedo albedinẽ dulcẽ, ergo, licet præsentia quãtitatis, & albedo sint in eâdẽ quantitate, non constituetur albedo præsens per præsentiã quantitatis, atq; ad id indigebit aliâ præsentiâ, quę immediate ipsã afficiens eam faciat præsentẽ in hoc spatio. Vnde fit, quod si Deus tolleret propriã præsentiã huius albedinis vnitæ quantitati existenti in hac loco, proprie loquendo nõ esset dicenda albedo existere in hoc loco, sed esse vnita quantitati existenti in hoc loco.

45 Addo materiâ primam, licet denominari possit præsens per præsentiam quantitatis, quia cum sit subiectum immediatum quãtitatis, mediante recipit præsentiam propriam ipsius quantitatis, nihilominus habere propriam præsentiam

tiam

tiam immediate ipsi inhærentem, quia ex vnâ parte ipsa ex se est capax immediate effectus formalis illius; & ex aliâ non potest impediri per præsentiam quantitatis; neque enim alia ratione impediri posset per hanc, nisi quia ea aduenient, superflueret præsentia propria, & immediata materiæ: atqui non superfluit, quia, cum præsentia quãtitatis mediate tantùm afficiat materiam, non reddit illam proprie præsentem, ac perconsequens non censenda est superfluere præsentia immediata, per quam proprie, & immediate redditur præsens ipsa materia. Modi vero immediate afficiẽtes præsentiam, qualis est actio, per quam producitur, non sunt præsentes per præsentiam superadditam, quia, cum sint modi ipsius præsentiæ, intrinsece se ipsis affixi sunt isti spatio, & non alteri; & ideo non indigent aliâ præsentiâ, per quam fiant distantes, seu opproximati rebus existentibus in alijs locis.

46 Infero 3. quando mouetur aliquod compositũ, quamlibet entitatem in illo existentem moueri motu distincto. Ratio est: quia quælibet entitas acquirit diuersam præsentiam, quæ quidem non acquiritur nisi per motum receptum in eodem subiecto, in quo terminus recipitur. Hi autem motus omnes procedunt ab eodem motore, nisi forsam motor sit corporeus, & aliqua ex entitatibus compositi sit spiritualis, quia cum hæc moueri debeat spirituali motu, & agens corporeum non possit se solo attingere productionem rei spiritualis, necessarium erit aliud agens assignare, & ideo quando homo, cuius anima est spiritualis, mouetur ab alio quo agente corporeo, motus animæ procedit ab ipsâ animâ, vel à Deo supplente defectum causæ secundæ ad exigẽtiam ipsius animæ, quia, eo ipso quod est corpori vnita, petit, quod quando corpus mouetur, moueatur & ipsa. Idem dicẽdum est de Christo Domino vnito quantitati in Eucharistia.

47 Dices: Arist. docet, omnes entitates compositi præter quantitatem moueri per accidens ad motũ quantitatis, ergo sentit non dari aliũ motum in composito præter motum quantitatis, quia si haberẽt proprios motus reliquæ entitates, per se mouerentur. Resp. ideo, nõ alia de causa dici moueri per accidens eas entitates, nisi quia impulsus primario dirigitur ad mouendã quantitatem, quam quidẽ moueret, etiamsi nulla alia entitas illi vnita esset. Quum autẽ sunt illi reliquæ entitates vnitæ, eas dicitur mouere secundario, quia ex duobus vnitis non potest vnũ moueri sine altero, si vnio perseuerat, & vtrumque est capax existendi in loco per nouam acquisitionem illius.

48 Rogabis: an præsentiæ, per quas esse possum in spatio A. distinguantur specie à præsentijs, per quas esse possum in spatio B? Pro respõsione suppono, me posse esse in spatio A. per plures præsen-

sentias numero diuersas, (& idem est de reliquis spatijs) quia, si postquam illum semel amisi, iterũ denuo acquiram; eo ibi præsens per diuersam numero præsentiã, ac anteà iuxta communem sentẽtiam, quæ non admittit reproductionem naturaliter. Respondeo ergo, eas præsentias esse specie distinctas: quia præsentiæ, per quas possum esse in spatio A, conueniũt in hoc, quod est facere me distantem ab illo pariete per quatuor vnas, v.gr. & præsentiæ, per quas esse possum in spatio B. conueniunt in hoc, quod est facere me distantem ab eodem pariete per duas vnas: deinde hæc prædicata non transcendunt differentias individuales harum, & illarum præsentiarum; quia de ratione individuali huius numero præsentiæ non est constituere me in hoc spatio; sed taliter me constituere in illo: sicut de ratione individuali huius vnionis materiæ, & formæ non est reddere illas vnitas; sed taliter vnitas. De actionibus huius numero, & illius numero agentis diximus disp. 20. sect. 5. non distingui specie: quia, vt ibi probabamus, prædicatum, in quod conueniunt omnes actiones huius numero agentis, transcendit differentias individuales illarũm, & idem est de prædicato, in quod cõueniunt actiones alterius numero agentis. Addo, distinctionem specificam, quam dixi dari inter præsentias spatij A & spatij B non esse physicam; sed logicam iuxta ea, quæ loco citato adduximus ex recentioribus circa actiones huius numero, & illius numero agentis, [illegible]

SECTIO. VI.

Quotuplex sit præsentia localis?

49 INter præsentias locales perfectissima omnium est immensitas, qua Deus determinatus est, vt sit vbique, ita vt nullũ possit esse spatium; cui non sit actu præsens ratione suæ immensitatis, quæ vt pote perfectio Diuina non distinguitur realiter ab essentia Dei. Hoc attributum ita est proprium Dei, vt nulli possit cõuenire creaturæ: quia, licèt possibile esset aliqua creatura, quæ seipsã esset vbique (demus hoc) posset fieri, quod nullibi esset actu, quia posset Deus eam non producere, vel semel iam productã corrumpere. Si autem possibilis esset præsentia, qua creatura aliqua poneretur actu in omnibus spatijs possibilibus, diceretur quidẽ immensitas creata, in quo distingueretur ab immensitate, quæ est propria Dei, hæc enim est increata.

50 Deinde datur alia præsentia, qua res certo, & determinato spatio continetur: talis est omnis præsentia creata, quã hucusq; nouimus. Hæc diuiditur in duplicem. Alia est circunscriptiua; *qua res ita in loco determinato cõstituitur, vt in eo habeat singulas suas partes extra alias*: talis est præsentia rerum materialium diuisibilium. Alia est, quæ communiter dicitur definitiua; illa videlicet, *qua res*

eliqua

aliqua ita est in spatio diuisibili, vt tota sit in toto, & tota in qualibet parte, & indiuisibili illius spatij: talis est præsentia corporis Christi in Eucharistia, & præsentia Angeli in loco diuisibili.

51 Præterea circunscriptiua est duplex. Alia, *qua ita continentur in loco partes extra partes, vt inter se admixtam, & cum alio corpore penetrari nequeant*: talis est præsentia quantitatis. Alia, *qua ita continentur partes in loco diuisibili, vt cum alio corpore quodcunque sit penetrari possint*: talis est præsentia materiæ primæ, vel cuiuslibet accidentis materialis præter quantitatem, quia si permanentibus his entitatibus cũ præsentijs, quas modo habent in composito, separaretur quantitas, manerent quidẽ extensæ in spatio diuisibili, ita tamen vt cum quolibet corpore possent penetrari. Hoc verò discrimen conuenit istis præsentijs ratione subiectorum potiùs, quàm ratione sui: quia ratio formalis impenetrabilitatis non prouenit quãtitati formaliter à præsentiâ diuisibili, sed hæc solum se habet tanquam conditio necessario requisita à partibus quantitatis, vt & se inuicem expellant, & non permittat aliud corpus in eundem locum introduci, alioqui quantitas non esset formaliter impenetrabilis ratione sui; sed ratione præsentiæ, quod nullus hucusq; admisit. Vnde, si (per possibile, vel impossibile) quantitati daretur præsentia materiæ primæ, eodem modo esset impenetrabilis, quia tali præsentiâ extenderentur partes ipsius quantitatis, quo fieret, vt haberent sufficientem conditionem, vt & se inuicem, & aliam quantitatem ab eodem loco remouerent.

52 Est verò in præsenti difficultas: quâ ratione differant præsentia circunscriptiua, & definitiua, an videlicet differant essentialiter, vel solùm accidentaliter? Et quidem, si sermo sit de præsentia definitiua Angelorum, certum est, essentialiter distingui à circunscriptiuâ rerum materialium, quia vna est materialis, & alia spiritualis. Solùm est difficultas de præsentiâ definitiua rei corporeæ, an videlicet præsentia, qua Christus Dominus est definitiue in Eucharistia, sit essentialiter distincta ab eâ, qua idem est circunscriptiue extra Eucharistiam?

53 Dicendum est, has præsentias esse essentialiter distinctas. Ita P. Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 48. sect. 1. §. *Nihilominus dicendum est*, & fere omnes Theologi ac philosophi, qui tanquam certum id supponunt in quotidianis disputationibus. Probatur: quia possibilis est præsentia taliter afficiens partes corporis Christi Domini, vt, cum vna & eadem sit, illud constituat totum in singulis partibus, & punctis huius spatij palmaris. sed hæc præsentia distinguitur essentialiter à circunscriptiuâ: ergo possibilis est præsentia distincta essentialiter a circunscriptiuâ. Hanc dicimus esse definitiuã cum omnibus Theologis: ergo præsentia definitiua distinguitur essentia-

liter a circunscriptiuâ. Minor primi syllogismi probatur: quia nulla pars præsentiæ circũscriptiuę potest partem corporis sibi respondentem constituere in pluribus partibus spacij: at illa præsentia, quam adstruimus possibilem, vna cùm sit, constituit totum corpus præsens in pluribus spatijs: ergo diuersæ rationis est à circunscriptiuâ. Hæc sententia magis confirmabitur ex solutione argumenti oppositæ sententiæ.

54 Potest autem prędicta præsentia dupliciter se habere. Primò, ita vt sit omninò indiuisibilis in omnibus partibus subiecti. Adtũ modũ, quo anima rationalis omnino indiuisibilis, est in materia diuisibili tota in tota materia, & tota in singulis partibus, & punctis ipsius materiæ. Sic potest esse præsentia omnino indiuisibilis afficiens tota singulas partes, & puncta corporis Christi Domini, eaq; constituens in singulis partibus, & punctis spacij. Secũdò, ita vt sit diuisibilis ex parte subiecti, & indiuisibiliter respondeat spatio. Esset diuisibilis ex parte subiecti, si haberet partes respõdentes singulis partibus ipsius subiecti, & indiuisibiliter responderet spatio, si quælibet pars subiecti foret præsens singulis partibus, & punctis spatij per partem vnã præsentiæ sibi respondentem. Quocunque ex his modis adstruatur præsẽtia definitiua, distinguetur essentialiter a circũscriptiuâ, vt per se patet; reddetque quantitatem penetrabilem, vtpotè quę illi aufert extensionem in loco, quæ est conditio necessaria, vt non possit penetrari.

55 Obiciunt recentiores: potest fieri, quod partes Christi Domini constituantur omnes in toto spatio, & in singulis partibus spatij per præsentiam circunscriptiuam: ergo frustra ponitur de finitiua specie distincta. Antecedens probãtur: quia potest fieri, quod omnes partes Christi Domini miraculosè sint in parte A. spatij simul per præsentias, per quas quælibet seorsim naturaliter esset in illo, & similiter in parte B. spatij per præsentias, per quas quælibet seorsim esset naturaliter in illâ, & sic de reliquis: sed hæ præsentiæ essent ex se circunscriptiuæ, miraculumque solũ esset in eo, quod simul omnes essent in eadem parte spatij, cum quælibet exigeret alias ab eo loco pellere: ergo potest fieri, quod partes Christi Domini sint omnes in toto spatio, & in singulis partibus spatij per præsentiam circunscriptiuam. Hoc argumentum præcipuè habet vim in sententia horum recentiorum asserentium continuum constare ex his punctis, quia iuxta hanc sententiam omnia puncta corporis Christi Domini possent esse præsentia vni puncto spatij per eadem præsentias, per quas quælibet seorsim responderet eidem puncto spatij, quando circunscriptiuè esset præsens totum corpus in toto hoc spatio.

56 Cæterum, si continuũ componatur ex partibus, & punctis, nullam vim habet præcedens obiectio; quia per præsentiã definitiuam

tiuam non solum est præsens totũ corpus adæquatè in quâlibet parte spatij; sed etiã in quolibet puncto in præsentiâ vero circunscriptiuâ nulla pars est, quæ adæquatè reddatur præsens pars corporis puncto spatij, & ideo non possunt partes corporis constitui in hoc puncto spatij per replicationẽ partium propriarum præsentiæ circunscriptiuæ: ergo assignanda est præsentia definitiua diuersæ rationis a circunscriptiuâ.

57 Sed age iam, demus continuum ex solis indiuisibilibus componi. In casu obiectionis dicerẽtur quidem Christus Dominus esse totus in singulis partibus spatij per replicationẽ pluriũ præsentiarum circunscriptiuarum, non verò per præsentiam definitiuam: at omnes Theologi affirmant, esse ibi per præsentiam definitiuam: ergo est præsens per præsentiã distinctam à circunscriptiua. Deinde quantitas Christi Domini in Eucharistia sit penetrabilis cum quantitate panis per præsentiã, quam ibi habet, neque enim Theologi in penetratione corporis Christi Domini cum quantitate panis aliud nouũ miraculum agnoscunt præter primum, quo corpus Christi Domini afficitur præsentia definitiua atqui non posset corpus Christi Domini per eam præsentiã fieri penetrabile cũ quãtitate panis, si ex natura sua nõ esset distincta a circunscriptiuâ ergo, &c. Minor probatur: quia ex eo, quod plures quantitates propriã tu circunscriptiue in eodẽ loco miraculose, nõ ideo sũt penetrabiles cũ quâlibet aliâ quantitate, vt concedunt etiam aduersarij: ergo, &c.

58 Ex dictis fõsset præsentiã, qua Christus Dominus est definitiuè in Eucharistia, esse supernaturalẽ quoad substãtiã, quia illud accidẽs est supernaturale quoad substãtiã, quod est supra vires, & exigentiã totius naturæ sed talis est ea præsentia, neq; enim quantitas, aut aliud corpus exigit præsentiã, qua sit definitiuè præsẽs in spatio, vt in cõfesso est apud omnes, neq; est agens aliquod naturale, quod viribus proprijs possit talẽ præsentiam producere, cum semper miraculose producatur. ergo, &c.

59 Rogas: an præsentiæ subiectorũ specie distinctorũ sint species distinctæ? In nostrâ sentẽtiâ istæ præsentias esse modos, affirmãdum est: quia, cũ modi se ipsis connectantur cũ suo subiecto, necessariũ est, quod, si subiecta sint specie distincta, distinguãtur & modi. In sentẽtia verò aliorũ asserẽtiũ præsentias esse res, in primis est certũ, præsentiã rei spiritualis esse specie distinctã à præsentiâ rei corporeæ, quia illa est spiritualis, hæc corporea. Circa præsentias tamen rerũ corporearũ, quæ sunt eodẽ modo diuisibiles, vt sunt quantitas, materia prima, &c. arbitror iuxta præiectam sententiã non fore distinguendas specie pro diuersitate subiectorũ, quia nihil tribuit quãtitati sua præsentia, quod non tribueret illi præsentia materiæ primæ: ergo non est, cur dicamus, vnã esse propriam quantitatis ex naturâ suâ, & alteram materiæ primæ.

SECTIO. VII.

Virùm idem corpus possit esse in duplici loco circunscriptiuè?

60 CErtum est apud catholicos, idem corpus posse de potétiâ Dei esse simul definitiuè in pluribus locis, imo & circunscriptiue in vno, & in alijs definitiuè: quia Fide sanctum est, Christum Dominum existentē circunscriptiue in cœlo esse definitiue in Eucharistia pluribus in locis simul. Cōtra hanc veritatem pugnant hæretici nostri temporis, quorū sententia & inania argumenta refutantur à Theologis in 3.p. ad q. 75. D. Tho. vide P. Suar. ibi tom. 3. disp. 46. 47. & 48. & nostros Doctores. Deinde certū est, quodlibet corpus naturaliter esse determinatū ad *vnā tantum* præsentiā circunscriptiuā. Id, quod experientia quotidiana conuincit. Est tamē difficultas: an possit de potentiâ Dei habere simul duas circunscriptiuas, vel plures?

61 Vera sentētia affirmat, quā tenent Alens. Scotus, & alij, quos sequitur P. Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 48. sect. 4 P. Valent. tom. 4. disp. 6. q. 3. punct. 1. §. 23. PP. Cōnim. & P. Rub. hic P. Ægidius Conine. ad q. 75. tertiæ partis art. 4. disp. 3. & plures recentiores. Probatur primò à paritate: quia non repugnat idem corpus esse definitiue in vno loco, & circunscriptiue in alio simul, vt Fide constat: ergo neq; repugnat, esse in vtroque circunscriptiue. Patet consequentia: quia multo magis opponitur præsentia definitiua cum circunscriptiua, quàm duplex circunscriptiua inter se: ergo, si Deus potest vincere illā oppositionē, poterit & hāc. Secundo. quia id non repugnat ex parte subiecti, cùm simul detur in subiecto potētia ad plures præsentias circunscriptiuas, quandoquidē eas recipit successiue immediatè in sua entitate: neque repugnat ex parte ipsarū præsentiarū, quia vna præsentia circunscriptiua neque est negatio alterius, neque inuoluit negationē illius, vt cōstabit ex solutione argumentorum: ergo ex nullo capite repugnat.

Satisfit obiectionibus.

62 OBijciunt primò: de ratione præsentiæ circunscriptiuæ est ita continere corpus in vno loco, vt non possit esse in alio: ergo repugnat corpus habens vnā præsentiam circunscriptiuam habere aliam simul. Antecedens probant: quia de ratione præsentiæ circunscriptiuæ est adæquare corpus loco: si autem esset in duplici loco circūscriptiue, nulli adęquaretur: ergo, &c. Hoc argumentū videtur impugnare catholicam veritatem de præsentia Christi Domini in Eucharistiâ quia, si de ratione præsentiæ circunscriptiuæ est ita continere corpus in vno loco, vt non possit esse in alio, Christus Dominus, qui circunscriptiue est in cœlo, nō poterit esse definitiue in Eucharistia. Respondeo ergo, negando antecedens. Ad probationem nego minorem: vtrique enim loco adæquaretur corpus, non per vnā; sed per repetitā cōmensurationē: ac perçōsequens corpus illud esset

æqua-

æquale duplici illi loco non per vnam simplicem cõmensurationẽ; sed per duas, quarũ quælibet seorsim esset illi æqualis.

63 Obijciunt secundò: si corpus posset poni in duplici loco circunscriptiue, posset in pluribus, ac per consequens in omnibus: ergo esset vbique: ergo esset immẽsum: quod quidẽ implicat, quia est proprium solius Dei. Admisso antecedente, & primâ cõsequẽtiâ, distinguo secundũ consequens: esset immensum immensitate creata; do: increata, nego consequentiã. Hæ autẽ immensitates in eo distinguũtur, quod increata ex se est determinata, vt sit in omni loco, ita vt implicet contradictionẽ esse locũ aliquẽ, & nõ esse Deũ per suam immensitatẽ in illo: creata verò, non est necessariũ, quod sit in omni loco, quia, cum sit liberè à Deo, potest illâ nõ producere, vel iam productam corrumpere. Et quidẽ præcedens obiectio æque fieri potest contra doctrinã catholicã de præsentia definitiua Christi Domini in pluribus locis. Videʼ quàm consona sit nostra sentẽtia cum cãtholica veritate, vt non possis nostrã adoriri doctrinã, quin eodem telo Fidei veritatem adoriaris.

64 Obijciunt tertiò: si potest idem corpus esse in duplici loco per duas præsentias, poterit & in eodem hoc autẽ repugnat: ergo, &c. Minor probatur: quia, cũ accidentia indiuiduentur a materiâ, nõ poterunt esse duæ numero præsentiæ in eodẽ subiecto, præcipuè respectu eiusdẽ loci. Admisâ maiori, nego minorẽ. Ad probationẽ nego, accidentia indiuiduari à materiâ, quod late impugnaui in Logica disp. 17. sect. 4. Secundò, esto indiuiduẽtur à materiâ: sicut idem numero subiectũ pro diuersis tẽporibus potest esse in eodem loco per diuersas numero præsentias, quin diuersitati numericæ præsentiarum obstet identitas numerica subiecti, cur non poterit idem contingere pro eodem tempore?

65 Obijciunt quartò Thomistæ recentiores: si vna quantitas circunscriptiue poneretur in duplici locõ, esset eadẽ in vtroque, vt supponimus; & diuersa: hoc autem implicat: ergo & illud. Probatur, quod esset diuersa: quia, si quantitas existens in duplici loco accederet ad duo loca contigua, superficies illius se tangerent, sicut superficies illorũ locorũ se tangunt: sed contactus non datur, nisi inter duo distincta: ergo essent duæ distinctæ quantitates cum duobus superficiebus, ratione quarũ se tãgerent. Minor videtur certa: quia ea se tangunt, quæ contigua sunt; contigua verò sunt, quorũ vltima, hoc est, extremitates sunt simul: sed ea, quorum vltima sunt simul, sunt distincta: ergo darentur in eo casu duæ distinctæ quantitates. Cõfirmatur: quia, eo ipso quod quantitas est Romæ, & Cõpluti est diuisa quoad entitatẽ: ergo duplex, ac non vna. Antecedens probatur: quia ea quantitas discontinuatur: ergo est diuisa quoad entitatẽ. Antecedens videtur certũ quia tunc dantur quantitates discontinuæ,

quando inter hanc, & hãc interponitur aliquod corpus: sed inter quantitates existentes Romæ, & Cõpluti interponitur aliquod corpus: ergo sunt discontinuæ.

66 Ad obiectionẽ nego, quod ea quantitas esset diuersa in duplici loco. Ad probationẽ respondeo primò, in eo casu non fore contactum quantitatũ, quia in mea sententia nõ dantur in casu posito plures quantitates; sed vna, &, contactus nõ datur nisi inter duo. Vnde, licèt in eo casu esset contactus locorum, quia essent duo, non esset contactus quãntitatũ, quia non essent duæ. Respondeo 2. eam quantitatem habere duas extremitates A. & B. v.g. Quando autẽ accederet ad duplicẽ locũ contiguũ, posset contingere, vel quod vna, & eadẽ extremitas A. v.g. quãtitatis occuparet vltimas partes vtriusq; loci cõtiguas, vel quod singulę extremitates quãtitatis occuparent singulas extremitates contiguas vtriusque loci. Si hoc vltimũ contingeret, daretur cõtactus, nõ quidem duarũ quantitatum adæquatè diuersarũ; sed duarũ partiũ vnius quantitatis totalis, ex quo nullatenùs sequeretur, quantitatẽ illã diuidendã fore in duas quantitates totales. Si verò cõtingeret primũ, nullus esset contactus quantitatũ; sed vna & eadẽ pars occuparet extrema vtriusque spatij per præsentias repetitas: sicut Christus Dominus in Eucharistia per repetitas præsentias occupat singulas partes vnius spatij continui: ex quo nullum inferri potest absurdum.

67 Ad confirmationẽ nego primum antecedens, nẽpe, quod quantitas existens in duplici loco est diuisa quoad entitatẽ. Ad probationem nego etiã antecedens, nempe quod ea quantitas discontinuatur. Ad huius probationẽ fateor, discõtinuari quantitates, quando inter eas, quæ aliàs sunt distinctæ, interponitur aliquod corpus: at quando inter duo loca disita continẽtia eandem quantitatẽ corpus aliquod interponitur, non datur discontinuatio quantitatum ibi contentarum; sed locorum tantum, & ideo ex positione eiusdem quantitatis in duplici spatio circunscriptiue, non rectè infertur, multiplicandam fore talem quantitatem quoad entitatem.

68 Obijcies 5. si corpus graue poneretur in duplici loco extra cẽtrum, vtrobiq; grauitaret: ergo ex naturâ rei peteret moueri vtrobique: ergo ex naturâ rei moueretur duplici mõtu simul. hoc autẽ repugnat: ergo & illud. Resp. grauitatẽ illã in duplici loco constitutam in vtroque habiturã exigentiã motus deorsum; at non exigeret habere morũ in vtroque simul, sed tantum in vno ex illis. In quo tamen loco tribuendus illi esset talis motus, penes Deũ esset determinare. Est tamen aduertẽdũ, lapidẽ in eo casu mouendũ non fore naturaliter in vno ex prędictis locis, nisi ex vi præsentiæ acquisitæ per motũ cessaret vtraq; præsentia præcedens: quia, cũ duæ præsentiæ sint naturaliter incõpossibiles in eodẽ subiecto, eo ipso quòd Deus decerneret cõseruare

uare pro eâ duratione præsentiâ in vno loco, non posset grauitas naturali vi moueri ad aliâ adquirendâ.

69 Dices: motus naturalis lapidis ad acquirendâ vnam præsentiam esset prior naturâ corruptione præcedentium, quia esset causa corruptionis illarum: ergo posito motu naturali lapidis, posset Deus pro suo libito cessare, vel nó cessare à cõseruatione alicuius præsentiæ ex præcedentibus. Si autẽ non cessaret ab eius cõseruatione, miraculũ quidẽ non esset in eo, quod lapis per motũ naturalẽ acquisisset præsentiã sibi connaturalẽ; sed in eo, quod simul cum illâ præsentiâ connaturali conseruaret Deus aliã præexistentẽ. Cõcesso antecedente, nego consequentiã; quia si Deus in eâ duratione conseruaret præsentiã præexistentẽ, non deberetur lapidi cõcursus ad acquirẽdã præsentiã connaturalẽ, atq, adeo, si tunc moueretur, nó esset naturalis talis motus, sed miraculosus.

70 Quod autẽ tunc non deberetur cõcursus lapidi ad motum, est certũ ex his, quæ dixi disp. 3. n. 53 quia nulli agenti naturali debetur ex naturâ rei cõcursus ad producẽdam suã formã in subiecto, in quo aliud agens fortiùs conseruat formam ex natura rei incõpossibilem cum illâ. In casu autẽ obiectionis fortiùs esset decretũ Dei ad conseruandã præsentiã præexistentem in lapide, quã virtus naturalis lapidis ad aliã introducendã, & ideo in ea duratione, pro qua Deus decreuisset cõseruare præsentiã præexistentem, non deberetur concursus lapidi ad aliã introducendam. Hinc fit, nunquã Deũ debere concursum agẽti naturali ad introducendam formam in subiecto, nisi videat, se cessaturũ à conseruatione præexistentis ad exigentiã formæ denuo introductæ.

An corpus possit miraculosè absq; vlla præsentia conseruari?

71 Negant plures non infimæ notæ authores. Primo: quia nõ potest corpus aliquod intelligi nisi sub aliqua præsentiâ. ergo nõ potest adhuc de potẽtiâ Dei esse sine omnipresẽtiâ. Quã infirma ratio! Dei omnipotẽtia nõ est intra angustas nostri intellect⁹ metas coercẽda. Certe omnipotẽtia non esset, si nõ se extẽderet vltra ea, quę nostr intellect⁹ potest attingere.

72 Secundo probat P. Arri. hìc sect. 4. quia nõ potest creatura cõseruari sine aliquâ duratione ergo nec sine aliqua præsentia. Est maximũ discrimẽ: quia præsentia est entitas distincta à re præsẽti, & loco extrinseco, vt iã probauimus, Duratio verò nõ distinguitur à re durãte, & tẽpore imaginario, vt dicemus disp 24. Hinc oritur, quod præsentia possit corrũpi, nõ corruptâ re præsenti, aut loco extrinseco: duratio vero rei, ipsâ re perseuerãte, nõ potest corrũpi, nisi quia tẽpus imaginariũ corrũpatur: hoc autem nõ potest corrũpi, quia, vt dicemus eâ disp. 24. cõsistit in nõ repugnãtiâ motus successiui, quę quidẽ à nullo agente pẽdet inconseruari.

73 Existimo ergo, quodlibet corpus, imo & quanlibet entitatẽ creatã, quæ vel non est præsentia,



vel præsentiæ modus, posse conseruari â Deo absq; omni præsentiâ? Ratio est clara: quia præsentia est entitas realiter distincta ab entitate præsenti; & ex aliâ parte entitas præsens, v.g. homo non est modus præsentiæ: deinde præsentia producitur per actionẽ distinctã ac res præsens: cur ergo nõ poterit Deus, hãc conseruatâ, pro suo libito cessare à conseruatione præsentiæ? Si autẽ Deus cesset à conseruatione præsentiæ, erit res in rerũ naturâ, quin sit in loco aliquo.

Vna præsentia non potest esse præsens per aliam.

74 ROgabis: an præsentia connexa cum hoc loco possit fieri præsens alteri per præsentiã aliam superadditã? Certũ est apud omnes, non posse naturaliter: quia sicut vna albedo non potest naturaliter afficere alteram albedinẽ, nec vna anima aliam animã informare; sic nec vna præsentia aliam poterit naturaliter afficere. Solũ ergo procedit difficultas de potentia Dei absoluta. Affirmãt aliqui: quia nulla datur implicatio, neque enim ex eo, quod in alio loco poneretur, remoueri deberet ab illo, cum quo est essentialiter connexa: cur ergo dicetur, non posse aliam præsentiam admittere?

75 Nihilominùs pars negatiua mihi magis probatur: quia, in cõmuni omnium consensu vna anima non potest suum effectum formalẽ alij animæ tribuere, neque vna intellectio reddere intelligentẽ aliã adhuc de potentia Dei absoluta: ergo neque vna præsentia reddere aliam præsentẽ. Ratio á priori est: quia forma non potest tribuere suũ effectum formalem subiecto, cuius non est ex se informatiua: sed vna præsentia non est informatiua alterius præsentiæ: ergo non potest tribuere illi suum effectum formalem, ac per consequens, neque reddere præsentem, quia is est effectus formalis præsentiæ. Maior est certa: quia nulla causa potest effectum producere, quem in sua virtute nõ cõtineat, vt constat ex dictis disp. 13. sect. 6. Minor probatur: quia virtus informatiua præsẽtiæ per se respicit entitatẽ ex sua natura indifferẽtẽ ad hoc spatiũ, aut ad illud nisi enim talis entitas daretur, nulla præsentia admitti posset distincta á re præsenti: atqui nulla præsentia est indifferens ex naturâ suâ ad hoc spatiũ, aut ad illud; sed quæ vis est essentialiter affixa vni spatio determinato: ergo nulla datur præsentia, ad quam dirigatur virtus informatiua alterius præsentiæ.

76 Cõfirmatur: nam ex eo vnus animus rationalis non constituit suum effectũ formalẽ cum alio animo rationali, quia virtus informatiua illius per se dirigitur ad materiam, vt cum ea cõstituat hominẽ, qui est effectus formalis illius: ergo, cum virtus informatiua præsentiæ per se dirigatur ad subiectũ ex se indifferens ad hunc locum, vel ad illum, non tribuet suum effectũ formalem alteri præsentiæ, quæ ex se affixa est vni spatio determinato.

to. Ex dictis constat ad rationem oppositæ sententiæ, neque enim negamus præsentiam præsentiæ; quia deberet extrahi à loco, cui affixa est; sed quia in nulla præsentia datur virtus informativa alterius.

SECTIO. VIII.

An corpus in duplici loco existens habeat necessariò eadem accidentia vtrobique?

77 IN sententiâ asserente, in quolibet composito esse tantùm præsentiam quantitatis, per quam reliquæ entitates, quæ in eo composito inueniuntur, sunt in loco quantitatis, non est dubium, quin omnia accidentia, quæ habet corpus in vno loco, debeat habere etiam in alio, si sint ex ijs, quæ secundum se independentia sunt à loco: quia iuxta hanc sententiã non alia ratione accidentia sunt in loco, nisi quia vnita sunt quantitati habenti præsentiam: ergo, si quantitas fuerit in duplici loco, in vtroque erunt accidentia illi vnita. Solum ergo est difficultas in sententiã, quam sequuti sumus asserentem, quantlibet entitatem compositi esse in loco per præsentiam sibi propriam.

78 Est autem aduertendum, duplex esse accidentium genus. Alia enim sunt, quæ dependent à loco, vel quia per illa fit res existens in loco, qualis est præsentia; vel quia se ipsis connectuntur cum ipsa præsentia talis est motus localis, situs, & distantia, &c. Alia sunt accidentia, quæ secundum se sunt absoluta à loco, ita vt quantumuis varietur locus, ipsa maneant secundùm suam entitatem inuariata: talia sunt albedo, nigredo, calor, & frigus, &c. Non est præsens controuersia de prioribus, quia, cum se ipsis sint affixa determinato loco, nõ possunt esse in vtroque se ipsis: imo neque per alias præsentias, quia, vt diximus sectione præcedente, vna præsentia nõ potest esse præsens per aliã. Tota ergo controuersia vertitur ad accidẽtia alterius generis: an, videlicèt, necessarium sit, quod si corpus, cui coniuncta sunt, in duplici ponatur loco, ipsa etiã illud comitentur in vtroque?

79 Dico primò: non repugnat quòd corpus Compluti, & Matriti existens sit album Compluti, & non sit albũ Matriti. Ita P. Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 48. sect. 5. P. Hurt. hîc sect. 5. à n. 63. P. Arriaga hìc sect. 10. & plures recentiores. Probatur: quia ad hoc, vt corpus Compluti, & Matriti existens sit album vtrobique, necessarium est, quod albedo eius habeat præsentiam vtrobique: sed non repugnat, albedinem illius habere præsentiam Compluti, & non Matriti: ergo, &c. Minor probatur: quia per diuersam præsentiam est corpus Matriti, ac eius albedo: ergo, datâ præsentiâ albedini Matriti, poterit Deus illam denegare albedini: si autem illam denegat albedini Matriti, non erit corpus album Matriti.

80 Obijcies: non potest idem cor-

corpus esse album, & simul non esse album absolute, quia hæc sunt duo contradictoria: atqui id sequeretur ex prædictâ conclusione · ergo, &c. Minor probatur: quia, si corpus esset album Compluti, absolute esset verum dicere, quod esset album, vt concedunt omnes: ergo si non esset album Matriti, esset etiam absolute verum dicere, quod non esset album, præcipue cum albedo sit accidens absolutũ â loco: ergo verificarẽtur duo cõtradictoria Nego minorem Ad probationẽ concesso antecedente, nego primã consequẽtiã. Disparitas est, quia ad hoc, vt aliquod coniunctum sit verum, necessarium est, quod vtraque pars illius sit verâ: at vero vt sit falsũ, sufficit, quod vna pars illius sit falsa. *Hinc est, quod si fuerit corpus albu Compluti, vtraque pars erit* absolute vera, nẽpe quod sit albũ, & quod albedo eius sit Compluti, Ad hoc vero vt sit falsum, corpus esse album Matriti, necessariũ non est, quod corpus reuerâ non sit album, sed sufficit, quod albedo eius nõ sit præsens Matriti, & ideò verificari poterit, quod non sit albũ Matriti, etiamsi non verificetur, quod non sit album absolute.

81 Hæc doctrina nititur illo fundamento apud Dialecticos sacro: *A relicto ad non relictum valet consequentia affirmatiue, nõ vero negatiue.* V.gr. hæc est bona consequentia, *Est animal rationale, ergo est animal*: non vero hæc, *Non est animal rationale, ergo nõ est animal.* Idem est in casu præsenti valet enim bene: *Corpus est album Compluti; ergo est album* non vero valet, *Non est albũ Matriti: ergo non est albũ.* Et ratio huius regulæ Dialecticorũ est, quã n. præcedẽte assignauimus. Idẽ obserua pro similibus propositionibus.

82 Dices: negatio, cum sit maligni tatis naturæ, debet destruere quidquid post se inuenit: ergo, quãdo dicimus, *Corpus non est album Matriti*, non solum negamus præsentiam Matritensem albedinis, sed etiam albedinem secundũ se. Respondeo negationẽ destruere quod post se inuenit eo modo, quo illud inuenit; non vero aliter. Est dicere: si negatio afficit terminum restrictum, negat, & destruit illum vt restrictũ, si afficit terminum absolute sumptũ, negat & destruit illũ absolute sumptũ. Ex gr. in hac propositione, *Homo non est animal irrationale*, non negatur animal absolute de homine; sed prout contractum per irrationale, quia non afficit negatio animal absolute sumptum, sed restrictum per irrationale. Aliter contingit in hac, *Homo nõ est animal*, in qua destruitur, seu negatur animal secundùm se, quia secundùm se sumptum absque vllâ restrictione afficitur per negationem. Idem ergo dicendum est in præsenti casu.

83 Dico 2. corpus existens in duplici loco non potest in vno habere formam, & in altero carentiam, seu id, quod inuoluit carentiam ipsius formæ V.gr. non potest cõtingere, quod in hoc loco

co sit forma vnita corpori, & in alio sit corrupta talis forma, quod in vno loco sit manus abcissa à corpore, & in alio sit vnita ipsi corpori. Ratio est clara: quia ea, quæ contradictorie opponuntur, non possunt dari simul in rerum naturâ: sed corruptio formæ opponitur cõtradictorie ipsi formæ, quia inuoluit carentiam ipsius formæ; & abscisio manus à corpore opponitur contradictorie vnioni ipsius manus cum corpore, quia abscisio man. est destructio, seu corruptio vnionis ipsius manus cum corpore: ergo non possunt dari simul in rerum naturâ. Si autem in vno loco daretur in corpore forma, & in alio daretur corruptio ipsius formæ in eodem corpore; forma, & corruptio formæ darentur simul in rerum naturâ, quia nõ potest esse in aliquo loco, quod reuerâ non habet esse in rerũ naturâ, atque adeò, si negatio, seu corruptio formæ est in vno loco; & forma ipsa in alio, necessarium est, vtranque habere esse in rerum naturâ: ergo simul erunt in rerũ naturâ forma, & corruptio, seu non esse eiusdem formæ: ergo simul erunt duo contradictoria.

84 Ex hoc infero 1. non posse hominem aliquem viuere in vno loco, & esse mortuũ in alio V. gr. Petrus non potest Romæ viuere, & esse mortuus Compluti. Ratio est clara ex dictis: quia tunc Petrus viuit, quãdo datur vnio inter materiã, & formam eius; tunc vero mortuus est, quando corrupta est talis vnio, cum autem non possint simul dari in rerũ naturâ vnio, & corruptio ipsius vnionis; sit, vt neq; possit dari simul Petrũ viuere, & esse mortuum, ac per consequẽs neq; Petr. poterit viuere in vno loco, & mortuus esse in alio.

85 Infero 2. diuerso modo philosophandũ esse, quãdo in propositione nomen loci præponitur, ac quãdo postponitur negationi. Vt, si dicã, *Petrus Romæ est non albus*: vel, *Petrus non est albus Romæ*: quia in primâ propositione de Petro existente Romæ affirmatur absolute negatio albedinis, & ideo de illo existente Matriti non poterit affirmari albedo: at vero in secũdâ propositione nõ affirmatur de Petro negatio albedinis simpliciter secũdũ se sumptæ; sed cũ restrictione, nempe negatio albedinis Romæ iuxta dicta pro soluẽda obiectione cõtra primã conclusionẽ, & ideo potest esse verũ, quod *Petrus non sit albus Romæ*, &, quod *sit albus Matriti*: quod obserua pro similibus propositionibus.

86 Rogas: ex suppositione, quod corpus aliquod in duplici loco miraculose cõstituatur, quid illi esset cõnaturalius, quod vtrobiq; comitẽtur illud sua accidẽtia, vel quod in vno tãtũ loco ipsi adsint? In primis ex entitates, quæ necessariæ sunt vel ad eius conseruationẽ, vt sũt dispositiones; vel ad proprias, & cõnaturales operationes, vt sũt proprietates, & passiones essentiã cõsequẽtes; vel ad cõplemẽtũ intrinseçũ in suo esse, vt est subsistẽtia, existimo magis naturę cõsonũ, ꝙ illud comitẽtur vtrobiq; Ratio est

est, quia hæc omnia exigit corpus ex naturâ rei tanquam perfectiones illud ex naturâ rei consequentes: ergo ex suppositione, quod in duplici loco constituatur, debent illud comitari; vt in nullo sua naturalis perfectio illi desit. Idem esto de qualitatibus secundis, quæ per se emanant ex temperamento proprio, & connaturali talis corporis, & de aliis accidentibus similibus.

87 Circa reliqua vero, cum quibus corpus secundum se non connectitur immediate, dicendũ est, cõnaturalius esse, quod in vno tantum loco corpus ipsum afficiant, quia nulla est ratio, cur istis dari debeant ex naturâ rei tot præsentiæ, quot corpori cõcedantur; præsertim si in conseruari dependeant ab agente aliquo extrinseco in vno tantum loco applicato, quia, cum istud non sit vtrobique approximatum corpori, non poterit in illo agere vtrobique.

88 In fine aduerte, corpus in duplici loco constitutum nõ posse simul recipere plures gradus cõtrariarum qualitatum, quam si in vno tantum loco existeret; neque enim in vno loco poterit habere octo gradus caloris, & in alio octo frigoris: quia calor, & frigus, in gradibus intensis non sunt opposita in ordine ad spatiũ, sed in ordine ad idem subiectum: vnde, cũ in vno loco non possit subiectum simul habere, nisi quatuor gradus frigoris, & quatuor caloris, in diuersis locis non poterit plures simul admittere, atque adeo si illi subiecto in vno loco applicaretur agens intẽse frigidum; &, aliud intense calidum in alio, non producerent plures gradus contrariarum qualitatum quam producerent, si in vno loco eidem subiecto ambo applicarentur. Eodem modo philosophandum est de agente in duobus locis existente; neque enim in passis sibi vtrobique approximatis plus posset producere, quàm produceret in eisdem si in eodem loco applicarentur.

SECTIO. IX.

An duplex corpus possit simul esse in eodem loco?

89 CErtum est, naturaliter nõ posse, vt quotidiana monstrat experientia, qua nouimus, vnum corpus alterius locum non peruadere, nisi illud è proprio loco trudat. Dices experientiâ nouimus, vas cinere repletum tantũ aquæ capere, ac si nihil cineris haberet. Deinde vas plenum aquâ, si in illud aurei nummi conijciãtur, ita eos admittit, vt nihil effluat aquæ. Nego vtrunque experimentum. Et, quod ad primum attinet, fateor, vas plenum cinere multũ aquæ bibere: tum quia condẽsatur cinis aquæ frigiditate; eiusque pondere comprimitur, quo fit, vt aër poros, & cauitates cineris occupans egrediatur, & locũ relinquat aquæ: tum etiam quia cinis habet vim exhalandi aquam, & ideo plures eius partes abeunt in subtilissimas exhalationes. Ad secundum experimentum dico, sæpe

sæpe contingere, quod vas reuera non sit omnino plenum aquâ, etiamsi videatur nobis esse plenũ: ideo nullam partem aquæ diffluí ad ingressum nummorum. Si vero sit omnino plenum vas, tantum aquæ diffluet, quantum nummi occupent, nisi labia vasis, ita sint bibula, vt aquam diffluxuram sibi arrogent. Solũ ergo procedit quæstio de potentiâ absolutâ Dei. Vt autem dirimatur examinandum prius, qua vi, seu ratione vnũ corpus aliud de proprio loco trudat, ne cum illo penetretur?

90 Nonnulli recentiores putant, corpora se expellere efficiẽter ab eodem loco, quatenus sibi ad inuicem impulsum imprimunt, vi cuius quodlibet impeditur ingredi alterius locum. Impenetrabilitatem itaque quantitatis constituunt hi authores in virtute quadam producendi impulsum in aliâ quâuis quantitate, vi cuius impulsus, quæuis impeditur alterius locum penetrare. Hæc tamen sentẽtia, difficilis mihi visa est: quia, si quæuis quãtitas habet virtutem hanc impellendi aliam, nescio cur magna quædam moles quantitatis quantitatem aliam paruam sibi applicatam non ab se proijceret mágno impetu? etenim multitudo agentium iuuat ad agẽdum: ergo, si quæuis quãtitas habet virtutem imprimendi impulsum quãtitati sibi applicitæ, ne in eius locum ingrediatur, necessarium est, quod quo plures quantitatis partes in vnum coniunguntur, intensiorẽ impulsum producant in quãtitate sibi proxima: ergo tot partes poterunt coniungi, quot sufficiant, vt quantitatem paruam sibi adiunctã, magno impetu à se proijciant: at constat experientia, nunquam id contingere: ergo non datur in quantitate talis vis impulsiua.

91 Dicent, esse conditionem necessariam ad hoc, vt vna quantitas alterã impellat, quod prius impellatur ab ipsa. Sed contrã: ergo si neutra alteram prior impelleret, non esset contra naturam quãtitatum penetrari. Vnde si Deus vtranque crearet simul in eodem loco, essent penetratę naturaliter, quia hæc nõ potest naturaliter impedire penetrationem illius, nisi per impulsum, quem quidem non imprimit in illa, nisi prius impellatur ab ipsa: sed in casu posito neutra alteram prius impelleret: ergo neutra naturaliter exigeret esse extra aliam. Adde, quod nunquam vna quantitas alteram impellit, nisi quando ipsa impellitur vel ab agente aliquo extrinseco, vel â grauitate, seu leuitate congenita formæ, cui est quãtitas cõiuncta. Vnde impulsus impressus alteri quantitati, non tam est tribuendus huic vt efficienti, quam impulsui in illa impresso ab alio agente: præcipue cum in his casibus nunquam vna quantitas plus alterã impellat, quam ipsa impulsa est ab agentibus prædictis.

92 Alij asserunt, in quantitate dari modum quendam, qui est naturalis impenetratio, quo posito, non potest penetrari quantitas ad-

adhuc de potentia Dei absoluta; potest tamen Deus illum modum tollere quantitatibus, quo ablato penetrabuntur. Non capio istum modum: quia impenetratio actualis est contradictorij penetrationis: sed penetratio est coniunctio duarum quãtitatum in eodem loco · ergo impenetratio debet esse contradictorium talis cõiunctionis · hoc autem nihil aliud est præter negationem illius coniunctionis: vt quid ergo erit ille modus positiuus additus vtrique quantitati? Deinde, vel quantitas petit ex natura sua talem modum positiuum, vel non petit. Si hoc vltimum, cur datur iste modus quantitati potius quam substantiæ, aut alijs accidentibus? Si primum: cur non dicemus quantitatem immediate petere negationem penetrationis, & ratione huius exigentiæ resistere penetrationi sine tali modo positiuo superaddito, cum hoc sufficiat, & non sint multiplicandi modi positiui sine necessitate?

93 Dico ergo, vnam quantitatem pellere aliam ab eodem loco ad modũ causæ formalis, quia, videlicet; ratione incõpossibilitatis, quam cum alia habet in eodem loco, petit, vt simul cum præsentiâ eius non conferret Deus præsentiam alterius in eodem loco. Ad cum modum, quo vna forma incompossibilis cum aliâ, eo ipso quod sit in aliquo subiecto, petit, quod Deus cesset a cõseruatione alterius ibidẽ præsentis. Ita P. Rub. hîc q. 6. n. 71. & P. Arria. sect. 7. & nonnulli recent. Probatur 1. quia vna quantitas petit, vt alia non sit in loco ipsius; & non ratione impulsus impressi: ergo ratione incompossibilitatis quasi formalis. Secũdo. quia lapis proiectus non minus produceret impulsum in materia nuda quantitate, quam in ipsa quantitate, (quia ex vnâ parte materia secũdùm se est capax recipiendi impulsum, & ex aliâ posset lapis proijci versus materiam nudã quantitate) & nihilominus penetraretur cũ materia, & non penetratur cũ alia quantitate: ergo id non prouenit ex impressione impulsus; sed ex exigẽtiâ quasi formali quantitatum.

94 Dices, impenetrationem non prouenire ex eo solum, quod hæc quãtitas imprimat impulsum alteri, sed etiã ex eo, quod altera imprimatur in hanc: materia autem, &si possit recipere impulsum à quantitate, non potest tamẽ in illã reagere; secus alia quantitas. Sed contra · sæpe contingit, quòd impulsus, quem imprimit quantitas proiecta sit multo maior, quã impulsus illi impressus ab alia quãtitate, vt contingit quando pila magno impetu proiecta paruam aliquã offendit quãtitatẽ, tunc enim pila imprimit ictu fisso mũ impulsum in paruâ quantitate, & parum recipit ab illa ergo impulsus impressus pilæ à paruâ quantitate nõ erit sufficiens ad impedienda impenetrationem pilæ cum ipsâ.

95 Ex his, facile colligitur, quid dicendum sit circa difficultatẽ propositã: Dico ergo, posse de po-

potentiâ Dei absolutâ penetrari duo corpora. Est communis omnium authorum (si Durandum excipias, qui in 4. dist. 44 q. 6. vtrâq. parte problematice detẽdit) Propter quam probatur 1. ex sacrâ Paginâ, ex qua constat Christum Dominum intemerato claustro sanctissimæ Virginis prodisse in lucem, obserato ostio ingressum fuisse ad discipulos; resurrexisse clauso sepulchro, & deinde cœlos penetrasse. Quæ loca, licet varie explicẽtur à Durando in alio sensu, intelligẽda a multis aliis sunt de penetratione propriâ, de qua hîc loquimur, quia in hunc sensum ea explicant interpretes sacri, & omnes Theologi, à quibus non licet recedere in rebus sacræ Paginæ sine magno fundamento.

96 Ratione etiam suadetur: quia vna quantitas est impenetrabilis cum alia vel ratione impulsus, quem in actu sibi imprimunt, vel ratione incompossibilitatis quasi formalis: quocunque modo contingat impenetrabilitas, possunt hæ quantitates penetrari de potentiâ Dei: Quia si primo modo, eo ipso quod Deus concursum non præbeat quantitatibus, vt se mutuo excellant, poterit vna se in alterius locum insinuare. Si secundo modo, sicut Deus potest duas formas contrarias in eodem subiecto conservare, vt communis philosophorum sententia fert, poterit etiam duas quantitates in eundem locum inducere. Et ratio est, quia licet quantitas hæc exigat, ne conseruet Deus præsentiam alterius in eodem loco, poterit Deus contra exigentiam huius, vel non cessare à conseruatione alterius; vel illam denuo inducere in eundem locum.

97 Aduertendum est 1. quod, si duo corpora miraculose penetrarentur, v. g. duo lapides, non possent naturaliter moueri; etiãsi in medio aere ponerentur: quia, vel vterque moueretur simul, & tũc naturaliter vterq; produceret præsentiã in eodẽ loco, quod non est concedendum; vel moueretur vnũ, & nõ alud & sic daretur etiã naturaliter penetratio, quia, dum successiue egredi deberẽt partes lapidis A. è loco lapidis B. ad hoc, vt posteriores partes lapidis A. egrederentur, necessariũ esset, quod percurrerẽt partes lapidis B relictas a prioribus partibus ipsius lapidis A. hoc autem fieri non posset sine nouâ penetratione illarum partium, vt constat. Aduerto 2. duo corpora penetrata videri posse naturaliter, si sint e tenuia; non tamen viderentur vt distincta, nisi diuersam figuram haberet vnumquodque.

98 Obijcies: ex suppositione quod corpus sit in duobus locis, dabitur illi connaturaliter cõcursus ad producenda sua accidentia in eisdẽ locis, vt diximus sect. præcedenti ergo ex suppositione, quod duo corpora sint in eodem loco, dabitur illis cõnaturaliter cõcursus, vt se moueant ad eundem locum. Nego consequentiam. Ratio disparitatis est: quia, in posita præ-

præsentiâ vnius corporis in duobus locis, datur aliquid, ratione cuius debeatur ipsi corpori existentia suorum accidentiũ in eisdem locis: nam, cum hæc sint propria illius, congruum est, quod illud comitentur vbicunque fuerit; atque adeo, si in secundo loco cõstituatur, congruum est, quod vtrobique habeat id, quod est propriũ illius. At verò in corporibus existentibus in eodem loco nihil inuenitur, ratione cuius debeatur illis motus ad eundem locũ · quia non ratione suarum entitatum secundùm se, vt constat: neque ratione duplicis præsentiæ, quam defacto habent in eodem loco, quia, cum hæ duæ præsentiæ sint incompossibiles in eodem loco, quælibet ex illis petit ex naturâ rei, quod altera non conseruetur in consortio illius: si autem id petunt ex natura rei, qua ratione fieri poterit, quod ratione illarum debeatur illis corporibus concursus ad duas alias acquirendas in vno, & eodem loco?

creationem, vel quam modo apprehendimus vltra cœlum esse vndequaque interminatam. Vacuum terminatũ definitur ab Arist. hìc, tex. 57. & 60. *Locus non repletus, seu carens corpore.* Addunt aliqui *aptum tamen repleri.* Sed immeritò hanc particulam appingunt definitioni Aristotelis, cum superflua omnino sit: etenim, eo ipso quòd in definitione ponitur *locus* denotatur aptitudo ad hoc, vt corpore repleatur, quia locus ex se est aptus continere corpus, ac per consequens illo repleri. Ponitur autem *locus* pro genere: in quo cõuenit *vacuum* cum loco continente corpora intra se, & per hanc particulam distinguitur à vacuo interminato, quod, cum nullis circunscribatur terminis, non potest esse locus. Additur *non repletus corpore*, vt distinguatur vacuum à repleto loco. Ex quo facile intelligitur vacuum esse concretũ quoddam accidentale, constans loco pro materiali, & pro formali, carentiâ corporis contenti.

3 Nonnulli existimant, id, quod proprie vacuum dicitur, esse potiùs intercapedinem illam, quæ interiacet inter latera loci extrinseci (hoc est, inter latera superficiei continentis) quàm ipsam superficiem continentem, quia ea distantia est, quæ caret corpore, & quæ repleri potest. Idque cõfirmant ex vacuo interminato, quod nihil aliud est, quam inanitas illa, quæ nullum finem habet vltra cœlum: ergo vacuum terminatum erit inanitas, quæ profunc, & termino

DISPVTATIO XXIII.

De Vacuo, & Centro.

SECTIO. I.

Quid sit Vacuum.

1 DVplex solet apud philosophos distingui vacuũ · vnũ terminatum; interminatum aliud. Hoc est inanitas illa, quam apprehendimus extitisse ante mundi

mino habet superficiem corporis locantis.

3 Ego verò existimo, quod, si proprie loquendum sit, *vacuum* dicendum est potiùs ipse locus extrinsecus, quam inanitas contenta inter eius latera. Ratio est: quia id proprie dici debet *vacuũ*, quod reuera, & propriè dicebatur repletum corpore, quo caret: atqui id, quod proprie dicitur repletum, non est inanitas, seu intercapedo illa; sed locus extrinsecus· ergo is est, qui proprie dicitur esse *vacuum*. Minor probatur quia id, quod reuera, & propriè repletur corpore, debet manere aduenientе corpore replente. inanitas verò non permanet aduenientе corpore replente; sed potius destruitur, quia talis inanitas non est aliud, quam carentia corporis ibi præsentis, carentia autem destruitur aduenientе termino, cuius est carentia· ergo &c. Hinc constat, *vacuum interminatũ* proprie loquendo non esse *vacuum*. appellatur tamen *vacuum*, quia apprehenditur à nobis ad modum cuiusdã tenuissimæ substantiæ, in quam se possunt insinuare corpora, quibus apprehendimus carere, quando nullum adest corpus.

SECTIO. II.

Quanam virtute impediatur vacuum?

4 TAm certum est, *vacuum* non dari ex naturâ rei, vt contra tum dici nequeat à cordato viro. Id enim confirmat quotidiana experientia, qua in tubus corpora frequenter, adhuc contra interum impetum moueri, et vacuum impediatur. Ob id, si ex fistula, cuius extremitas inferior attingit aquam, ore trahatur aer, confestim ascendit aqua contra impetum innatæ grauitatis. Deinde, si os phialæ intra se continentis aerem nimis calefactũ supra aquam ponatur immediatè, paulatim sursum commeat aqua, vt locum occupet, quem aer frigiditate aquæ condensatus deserit. Præterea, si latera follium sint plicata, nulla vi possunt explicari, nisi aperto foramine, quo aer interiectum spatium occupaturus subeat, ne, si aere non ingrediente, explicarentur folles, daretur *vacuum*. Denique propter eandem causam cucurbitulæ (hispane *ventosas*) carnem sursum attrahunt, quia, videlicet, aer, qui calore ignis rarefactus fuerat, extinctâ flammâ, paulatim condensatus, & in minorem locum redactus inane reinqueret spatium, ni caro eleuaretur ad illud replendum. Alia sunt innumera exempla, quibus id possemus comprobare.

5 Ratio autem, propter quam natura sedulo nititur vitare *vacuum*, est, quia corpora sublunaria, quæ ad sui conseruationem maximopere indigent cœlorum influxibus, nõ possent illis perfrui, si inanis aliqua intercapedo inter ipsa corpora interesset: quia, cum in illa vacuitate nulla qualitas posset produci ex defectu subiecti recipientis; neque vllũ sit agens naturale, quod in distans possit agere, nõ posset cœlũ suos influxus transmittere

cere ad ea corpora, quæ infra vacuum existerent. Huc facit quod Arist. lib. 1. Metheor. cap. 2. dixit: *Est autem necessario mundus iste superiis lationibus fere continuus, vt inde vis eius vniuersa regatur.*

6 Est ergo difficultas: quanam virtute moueãtur corpora ad impediendũ vacuum, cum sæpius cõtra natiuam inclinationem grauia sursum agantur, & deorsum leuia? P. Rub. & PP. Conim. hìc asserunt, in omnibus corporibus esse virtutẽ quandã innatam ad impediendum vacuũ propter bonũ vniuersi. Hæc sententia displicet primó: quia sine fundamento tribuit cuilibet corpori virtutẽ causatiuã motuum contrariorum. Secundò: quia, quando quis ore trahit aquã per fistulam, quo plus trahit aquę, necesse est maiorem imprimat impulsum: ergo ipse est, qui sursum mouet aquã: alioqui si ipsa sursum ascenderet natiua vi, vt quid opus esset, vt is, qui aquam trahit, maiorem imprimeret impulsum?

7 Existimo ergo, cuilibet corpori inditam esse virtutẽ quandam attractiuam, qua alia corpora, vel saltem ea, quæ supra ipsum existũt, ad se trahit, simulq, tracta retinet veluti glutino sibi affixa. Sequor P. Vazq. 1. 2. disp. 25. cap. 4. num. 29. & aliquos recentiores. Ratio est: quia quodlibet corpus tendit in proprium centrum, vt ibi fruatur cœlorum influxibus in eâ proportione, quæ magis illi congruit ad sui conseruationem: his autem non posset frui, nisi in spatio interiecto alia corpora darentur, per quæ cœlum posset trajcere suos influxus in corpora distantiora, & ideo congruũ est, quod sicut corporibus inferioribus indita est à naturâ vis, quâ tendant in propriũ centrum, aliâ quoque potiantur virtute, qua sibi affixa retinere possint corpora superiora, per quę cœlorum influxus illis communicari possint.

8 Hinc fit, quod, dum aerẽ ore trahimus ex fistulâ, trahamus & aquã infimæ parti aeris contiguã, si vim habeamus ad illã trahendã. Si autẽ vis grauitatis est maior ad resistendũ, quam impulsus ore impressus in aere ad aquã trahendã, nec aerẽ quidẽ trahimus: quia sicut in entitatibus, quæ ita sunt vnitæ, vt eorũ partes non possint facile abiungi, si agens non habet virtutẽ ad omnes mouẽdas, nullã mouet, sic in præsenti, dũ aer est aquæ cõtiguus per virtutẽ, quâ aqua illum sibi tenet affixum, fieri nõ potest, vt trahatur aer, nisi virtus sit ad aquam simul trahendã. Hinc etiam fit, quod, quo plus aquę ascendit per fistulã, maior sit impulsus adhibendus, vt tota illa moles aquę intra fistulam contineri possit.

9 Dicet vnio vnius partis quãtitatis cũ aliâ posse magno aliquo impetu dissolui, ita vt partes quãtitatis ab se inuicẽ separẽtur ergo vnio, seu alligatio, quã habẽt corpora per virtutẽ illã attractiuam, poterit magno aliquo impetu dissolui, & vnũ ab alio separari, etiãsi in spatiũ mediũ nullum aliud corpus subrogetur. Confirmatur: quia maior erit vis Angeli ad impri-

men-

mendum impulsum, quã corporis cuiusuis ad attrahendũ aliud · demus ergo, quod vnus Angelus in orificio fistulę detineret aquam, & quod alius magno impetu sursum impelleret aerem intra fistulã cõtentum. Certe in isto casu vnum corpus ab alio seiungeretur, ita vt spatium intra fistulam contentũ remaneret vacuũ: ergo poterit dari vacuum naturaliter.

10 Ad obiectionem concedo antecedens, & nego consequentiã. Et quidem experientia nouimus, facile dissolui vnionem inter duas quantitates, quãdo præsto est corpus, quod in mediũ interiectũ ingrediatur: deinde experientia docet, nulla vi humana posse latera folliũ constricta diduci, si orificiũ sit obstructũ, nisi forte rumpantur, vel alia via pateat aditus aeri ad occupandum spatiũ intermedium. Cuius rei nulla alia potest assignari ratio, nisi vis attractiua corporum ita efficax, vt nulla vi corporea vinci possit, quando aer non adest, qui in locũ relictum à lateribus follium subrogetur. Quando verò aditus patet aeri, cessabunt quidẽ latera folliũ a mutuâ sui attractione: quia ex vnâ parte vis attractiua illorũ, quatenus ex se est, nõ magis petit concursum ad hoc, vt latera se mutuò trahant, quã ad attrahẽdũ aerẽ & ex alia parte impulsus ipsis foliabus impressus exigit, quod latera ipsorũ folliũ ab se inuicẽ abiungantur, & idcirco potior datur ratio in hoc casu, vt vis attractiua folliũ cõcurrat in aerẽ, quam in sua latera attrahenda.

11 Ad confirmationem facile admittam, esse naturalẽ virtutẽ in Angelis ad causandũ vacuũ. Deus tamen ratione prouidentiæ generalis, qua vtpotè supremus naturæ moderator gubernat vniuersum, eos impediet, ne virtutẽ suam exerceant in maximũ totius orbis detrimentũ, sicut ratione huius prouidentiæ Angelis imperat, ne cessent à cœlorum motu; &, dæmones cohibet, ne omnia subuertant.

12 Instabis: etiãsi ex vna parte daretur vacuum dummodo ex alia parte corpora inferiora haberent alia contigua vsque ad cœlũ, recte possent participare influxus, quib⁹ & conseruarentur ipsa, & vniuersi bono prouiderentur: ergo nulla est ratio, quę probet, dari nõ posse vacuum, saltẽ ex aliquâ parte. Resp. hanc virtutem attractiuam vtpote naturalem non operari ex electione; sed necessariò semper, cum determinatione ad vnum: vnde si semel datur in corporibus infimis hęc vis attractiua ad coniungenda sibi superiora, suum munus exercebit semper versus quãlibet partem, etiamsi ex aliquâ dentur corpora, per quæ cœlorũ influxus participari possint. Nec cessabit finis agendi, quia influxus vndequaque percepti reuerà conducent, quatenus est ex se, ad ipsorum corporum conseruationem.

13 Ex dictis colliges, qua ratione repleatur spatiũ, quod corpus aliquod deserit, quando condensatum in minorem se reuocat locum, etiamsi denuo non producatur quantitas illud occupatura,

vt dicemus in libr. de Gener. Sic enim res se habent. Corpus condensatum imprimit per virtutem suã attractiuam impulsum in corpus sibi proximum, quo illud ad se trahit: si autem corpus attractum sit capax rarefactionis (erit autem capax, si dispositionem non habeat maxime repugnantem rarefactioni) vi illius impulsus rarefiet, quãtum aliud condensatum fuerat: sin verò capax non sit rarefactionis, attrahet aliud sibi proximum; & illud, aliud, donec occurrat aliquod obnoxium rarefactioni causandæ ab impulsu. Vnde fit, quod aliquando plura corpora moueri debeant, vt spatium relictũ à corpore densato occupetur; aliquando verò pauciora.

14 Hoc vnum est certum, taliter esse corpora in hoc vniuerso disposita, vt semper sit aliquod corpus, & quidem non maxime distans, obnoxiũ rarefactioni causandæ ab impulsu. Simili modo philosophandum est, quando corpus aliquod rarefit: tunc enim impulsum imprimit in corpore proximo, vi cuius illud, vel aliud remotius addensetur tantùm, quantùm corpus primum est rarefactum, ne detur penetratio, quia, cum corpus per rarefactionem maius occupet spatium, neque aliqua quantitas ex his, quæ antea intra cœli ambitum erant, corrumpatur; necessarium est, quod aliud condensetur, quantùm corpus illud rarefactum est.

SECTIO III.

De centro elementorum.

15 VT ea, quæ de motu corporum in vacuo dicturi sumus, melius intelligantur, oportet hìc agere de centro elementorũ, præcipue terræ. Omnia autem intra cœli ambitum continentur in eâ dispositione, quæ magis congruit cuiusque nobilitati, & aptior est cœlestibus influxibus pro cuiusque natura participandis. Ignis ergo vtpotè nobiliori naturâ prędituſ, vt ipsius tum perspicuitas, & subtilitas; tum efficacia in agendo monstrant, supremum, & nobilissimum locum iuxta cœlestes orbes sibi vendicat. Istum sequitur aer alijs duobus præcellentior obinsitam subtilitãtem, & perspicuitatem. Infra aerem succumbit aqua diffusa supra terræ faciem. Ac tandem terra, quę vtpotè grauis, crassæ, concretæque substantiæ, inter elementa infimæ dignitatis est, infimũmque locum possidet in vniuersi meditullio.

16 Terræ centrum, in quo omnes eius partes innato põdere vehuntur, est centrum totius vniuersi, illud videlicet punctum, quod æque distat ab omnibus partibus circumferentiæ cœli. Hinc nata terræ firmitas, & stabilitas: nam cum vndequaque eius partes in illud punctum incrementur, ibi impetus earum taliter sistit, vt vltra illud moueri non tentent: vltra illud namq; moueri non possent, nisi ascenderent: quia, si ex quâlibet

parte circunferentiæ terræ datur descensus vsque ad illud punctum, necessariũ est, quod ex eodẽ pũcto detur ascensus ad quamlibet partẽ circunferentiæ terræ: ascensus autem repugnat terreæ substantiæ.

17 Est vero non leuis difficultas an illi puncto, quod est centrũ vniuersi, sit semper præsens centrũ grauitatis terræ (centrum grauitatis terræ vocatur illud punctum, quod ita diuidit terræ partes, vt nulla grauitet præalia; sed omnes æquam habeant grauitatem) Rem explico. Ponamus, Deum in principio mundi ita disposuisse hunc globum terreum, vt centrum grauitatis eius responderet centro totius vniuersi tanquam proprio loco. Demus deinde, quod in superficie terræ, quæ est in nostro hemisphærio ingens aliquis mons denuo fabricetur. In hoc casu iam punctum illud terræ, quod in principio respondebat centro vniuersi, non erit centrũ grauitatis, quia cum in hoc hemisphærio magna aliqua terræ mõles sit superaddita, iam ex hâc parte magis grauitabit terra, atque adeo aliud punctum est assignãdum, quod sit centrum grauitatis terræ. Quærimus ergo: an in casu posito perseueret in centro vniuersi punctum illud terræ, quod ab initio mundi ipsum occupabat, vel potius illo puncto inde expulso denuo transeat ad occupandũ vniuersi centrũ punctum aliud, quod denuo incipit esse centrum grauitatis terræ?

18 Hoc vltimũ tuetur P. Vazquez 1. 2. disp. 81. cap. 3. num. 20. & 21. Probatur exemplo stateræ, seu bilancis, in qua centrum grauitatis est punctum illud examinis, quod ita bilancem discernit, vt neutra pars aliam grauitate superet; si verò alicui parti aliquid grauitatis denuo accrescat, descendit præ aliâ, & punctum æquè diuidens vtranque partem descendit ad occupandum spatium æque distans ab vtraque lance: ergo pari modo contingit in terrâ, nempè quòd, dum illi aliquid grauitatis accrescit ex vna parte, nativo pondere impellit alteram, vt punctum, quod incipit esse centrum grauitatis, occupet vniuersi centrũ, & sic maneat terra *ponderibus librata suis*, vt aiebat Ouidius ex Archimede.

19 Contraria sententia mihi placet. Probatur, quia, vt omnes admittunt, grauitas terræ nativo pondere inclinatur in centrum vniuersi, ibique tanquam in proprio, & connaturali loco quiescit; vltra vt vltra illum nullatenus moueri, intendat, iam enim sursum moueretur: ergo quantâuis grauitate polleat terra, ex hâc, vel illâ parte, nunquam impellentur eius partes, vt vltra centrum vniuersi ascendant: ergo idem punctum, quod ab initio creationis centrum vniuersi occupabat, ibi perseuerat modo, etiamsi ex hoc vel illo hemisphærio magna aliqua moles denuo accrescat.

20 Dices: omnes partes terræ, quæ non sunt immediatæ centro, nativâ grauitate conantur semper in ipsum centrum: vnde, si

centrum grauitatis sit in centro vniuersi, quiescit terra, quia, cum nulla pars pondere cæteras excedat, non potest illas à proprio loco dimouere; si verò ex vnâ parte, terræ grauitas sit maior, præualet aduersus oppositam, & ideo illã cogit sursum ascẽdere, vt punctum, quod denuo factum est grauitatis centrum, denuo occupet vniuersi centrum, quo facto quiescit tota terra *ponderibus librata suis*.

24 Multa hic continentur falsa. Et in primis, si partes, quæ non sunt immediatæ centro vniuersi, conarentur natiuâ grauitate in illud, omnes terræ partes præter eas, quæ sunt immediatæ centro, essent violentæ, cum contra naturium conatum non permitterentur descendere vsque ad centrum; imò necessarium esset, quod fere omnes essent violentæ; cum paucæ possint esse immediatæ centro vniuersi. Hæc autem quis credet? Secundò. ea pars terræ, cui accresceret maior grauitas, vel cogeret oppositam sursum ascendere imprimendo illi immediatè impulsum sursum, vel, imprimendo impulsum deorsum in ea parte, quæ sub ipsa est immediata centro, quo in pulsu illam cogeret centrum vniuersi transcendere, ac sursum pellere oppositam terræ partem, quæ antea erat vltra centrum. Nõ primum, quia grauitas non est immediatè productiua impulsus impellentis corpora sursum, vt omnes concedunt. Neque secundum, quia partes superiores terræ non grauitant in inferiores sibi cõtinuas imprimendo in illis impulsum deorsum, vt dicemus disp. vltima: ergo, &c.

25 Ex dictis infero, quod, si Deus annihilaret eam terræ partem, quæ est à centro vniuersi versus antipodas, reliqua pars, quæ ad nostrum protenditur hemisphærium, in eodem loco permaneret immobilis: grauitas enim, qua pollet, in centrum vniuersi inclinatur, & non vlterius, atque adeò in illo sisteret hæc machina. Neque exemplum ex bilance deductum alicuius est momenti: quia, cum vtraque bilancis pars sit grauis, & nondum acquisierit centrum, neque continua sit cum alia parte, quæ sit immediata centro, necessarium est, quod, si vna superet grauitate aliam, magis accedat ad centrum: at verò in terra res aliter se habent, vt iam diximus; & ideo debet semper immota permanere.

SECTIO. IIII.

De motu corporum in vacuo.

26 CErtum est, motum corporis in vacuo non fore instãtaneum; sed successiuum. neque enim successio motus localis tàm prouenit ex resistentia corporis existentis in medio, quam ex diuisibilitate spatij percurrendi, vt cõstabit ex dicendis disp. 25. Dupliciter tamen posset cõtingere motus in vacuo. Primò, si fieret in vacuo interminato vltra cœlum Empyreum. Secundo, si fieret in va-

vacuo terminato intra cœli circun ferentiam.

24 Dico primò: in vacuo interminato non posset moueri corpus graue, seu leue natiuâ vi; posset tamen ab extrinseco. Prima pars probatur: quia grauitas, & leuitas sunt virtutes ex se determinatæ, hæc ad causandum motũ sursum, illa deorsum: sed vltra cœlum nõ possent causari hi motus: ergo, &c. Minor probatur: quia motus sursum est ille, qui fit à centro vniuersi ad circumferentiam cœli; motus verò deorsum a circunferentiâ cœli ad centrum vniuersi: sed vltra cœlum non possent hac ratione peragi prædicti motus, cum illud spatium sit vltra cœli circumferentiam: ergo non possunt ibi causari â grauitate, & leuitate. Secunda pars facile probatur: quia corpora in vacuo interminato possent impelli ab Angelo, quid enim talem impulsum prohiberet? deinde impulsus in eo corpore impressus est causatiuus motus, nec ibi haberet aliquod impedimentũ ad illum causandum: ergo de facto illum causaret.

25 Dico secundò: homo, seu animal quodlibet posset in vacuo interminato moueri motu progressiuo. Ratio est, quia homo habet virtutem locomotiuã versus quãlibet partem, & nihil illi impedimento esset ad talem motum causandum: neque necessarium esset firmari alicui pauimentum, quo niteretur homo, quandoquidem ibi nõ grauitaret ergo moueri posset motu progressiuo.

26 Dico tertiò: in vacuo terminato (v.g. si omnia elementa, quæ intra cauitatem cœli continentur, in nihilum redigerentur) grauia, & leuia mouerentur ab intrinseco, si nullo applicata corpori constituerentur in vacuo; secus si applicata essent alij corpori fixo, ipsi cœlo verbi gratia. Prima pars probatur: quia grauia, & leuia habent virtutem, vt se moueant in proprium centrum: ergo, si non impedirentur, in illud tenderent innata vi (vt puta, si lapis poneretur in spatio, vbi media regio aeris est modo, innata vi impelleretur in centrum vniuersi) sed in eo casu nihil esset, à quo possent impediri, vt patet: ergo, &c.

27 Dices: in eo casu nõ mouerentur, quia cessaret finis agendi; grauia enim, & leuia mouentur in centrum, vt ibi melius participent influxus cœlestes sibi congruos: si autẽ totũ mediũ omnino esset vacuum, nullâ ratione possent frui talibus influxibus ergo cessaret finis mouendi se. Sed contrà est, quod finis motus grauiũ, & leuiũ non est, quod de facto fruantur in centro cœlestibus influxibus sibi magis congruis, sed quod constituãtur in loco ex se magis proportionato, vt cœlestes influxus sibi cõgruos participare possint, qui quidẽ finis nõ cessaret in vacuo, quia semper centrũ vniuersi esset spatiũ ex naturâ rei magis aptũ, vt lapis influxu sibi proportionato melius potiretur.

28 Secunda pars conclusionis, nempe, quod si lapis, v.g. esset applicatus cœlo, non posset mo-

uerti in centrum, si medium esset vacuum, facile probatur: quia lapis in eo casu per virtutem attractiuã esset affixus cælo taliter, vt moueri non posset nisi secũ traheret cœlum iuxta supra dicta: atqui, vt constat, nõ posset cœlum trahere: ergo neque mouere se in centrũ. Ex hoc infero, quod si medium, quod est iuxta pauimentum terræ, esset vacuum, nullatenus moueri possemus supra terram, quia vi sua attractiua nos detineret, ne in aliũ locum migraremus, quod facile constat ex dictis.

DISPVTATIO XXIV.

De Tempore.

NEmo est, qui iam dubitet, esse tempus; est tamen cognitu difficilis natura eius. Conabor, quoad possum, eam explicare in hâc disputatione.

SECTIO. I.

Quid sit tempus reale, & imaginarium?

1 NIhil communius, quam diuisio temporis in *reale*, & *imaginarium*. Explicabimus prius naturam eius, & inde facile natura imaginarij cognoscetur. Arist. ergo 4. Phys. tex. 101. sic tempus definiuit: *Est numerus motus secundum prius, & posterius.* Pro cuius explicatione noto 1. ex Arist. supra tex. 102. numerum esse duplicem. Alius dicitur *numerans*; alius *numeratus*. *Numerans* dicuntur vel actus intellectus, quibus partes motus, seu vnitates aliquas vnã post aliam recensendo, transimus; vel motus, quem ad alios numerandos, seu mensurandos assumimus. *Numeratus* vero dicuntur partes ipsius motus, seu vnitates, quę per intellectum numerantur.

2 Noto secundó, in motu posse considerari duo genera partiũ. Aliud earũ, quę coexistunt simul. Aliud earum, quæ sibi inuicẽ succedunt. Ex. gr. mouetur lapis ab hoc loco in illum: in hoc motu & sunt partes respondentes singulis partibus lapidis, quibus ita mouẽtur, vt, dum mouetur vna medietas per partem motus sibi respondentem, moueatur & alia per partem motus sibi etiam respondentẽ. Et sunt etiam aliæ partes motus, quibus totũ hoc mobile, postquã acquisiuit hoc spatiũ, trãsit ad aliud, & inde ad aliud, &c. Partes prioris generis dicuntur coexistere simul, & vocantur subiectiuæ, quia multiplicant pro multiplicitate partiũ subiecti, & simul dantur omnes in partibus subiecti sibi respõdentibus. Partes vero posterioris generis dicuntur successiuæ, quia, cum non possit corpus esse simul in duplici spatio, neq, potest simul moueri ad duplex spatium, atque adeò necesse est, quod prius moueatur ad vnum, & postea ad aliud per partes motus sibi succedentes.

3 Noto tertió, partes motus constitui actu priores, & posteriores per solam denominationẽ extrinsecam. Ratio est clara: quia esse

esse vnam partem priorem aliâ nihil aliud est, quam quod, hac existente, non existat alia, existat tamen postea, esse vero posteriorem nihil aliud est, quam quod, hâc existente, non existat alia, extiterit tamen anteà: atquî intrinsecũ non est huic parti, quod, ipsâ existente, non existat altera, seu quod posteâ existat; neque enim est de intrinsecâ ratione existentiæ huius partis negatio existentiæ alterius, vt patet, & multo minus quod altera posteâ existat, cum posset, fieri, quod non existeret, si cessaret motus: ergo partes motus cõstituuntur actu priores, & posteriores per solam denominationem extrinsecam. Id quod expresse docuit Aristot. hic, text. 10. vbi ait: *Prius autem, & posterius in motu re quidem ipsa, & subiecto idem sunt, quod motus: ratione vero diuersa sunt, & motus non sunt.* Docet autẽ ratione esse diuersa, quia supra motum addunt denominationem extrinsecam.

4 Ex his facile explicatur definitio Arist. *Tempus* enim dicitur *numerus*, non numerans, sed numeratus, vt expresse docuit Arist. hic, text. 102. explicans definitionem temporis, quam immediate antea tradiderat. *Tempus ergo* (inquit) *numerus quidem est; cum verò duplex sit numerus* (*nam, & id quod numeratur, ac numerabile est, &, id, quo numeramus numerum dicimus*) *tempus autem est, quod numeratur, & non quo numeramus.* Quibus verbis â ratione temporis excludit actus intellectus, qui bus partes motus numerantur, & dicit esse tempus ipsas partes motus numeratas per actus intellectus. Additur *motus*, vt denotetur, tempus non esse quas suis vnitates numerabiles; sed tantum partes motus. Neque intelligendum est esse numerum partium motus simul coexistentium; sed successiuarum, vt ostenditur per vltimã particulam *secũdũ prius, & posterius.* Etenim ex solum partes, quæ sibi inuicem succedunt, dicũtur priores, & posteriores.

5 Ex dictis infero 1. tempus non solùm includere essentialiter partes motus; sed etiam prioritatem, & posteritatem illarum. Vnde, si de potentia Dei fieret, quod præsentias, quas ab hoc angulo in illum successiue acquiro, simul acquirerem, ita vt simul fierem præsens per replicatas præsentias toti isti spatio, idem numero motus esse posset, ac quando naturaliter acquirebam successiue præsentias (quia est idẽ agens, & passum & idem spatium, ac per consequens produci possent de potentia Dei eædem numero præsentiæ per easdem numero actiones, & passiones) attamen non esset tempus, quia hæ partes motus non haberent prioritatem, & posteritatem. Infero 2 eundem numero motum, qui constituit diem hodiernum, posse constituere crastinum, perendinum, &c. Ratio est: quia eatenùs constituit hodiernum diem, quatenùs est immediate existens post hesternum: sed est per accidens isti motui esse

im-

immediate existentē post hesternum diem ergo, &c. Minor constat · tum quia id est illi denominatio extrinseca: tum etiam quia sicut Deus determinauit agens, vt modo eliceret hunc numero motum, potuit determinare, vt eliceret alium iuxta dicta suprà disp. 14. sect 4. ergo est illi per accidēs constituere hodiernū diem, ac per consequens sicut cōstituit hodiernum potuit crastinum, &c.

6 Infero 3. hoc tempus, seu hunc numero diem non inuoluere determinate hunc motum; sed vage hunc, vel illum: vnde, etiamsi modo daretur alius motus diuersus, daretur idem numero dies, qui modo datur. Hæc doctrina est consona illi, quam disp. 22. tradidimus de loco reali. Explicatur, & probatur: quia hic numero dies, v.g dies primus post millesimum annum â creatione mundi, est talis, quia per mille annos distat à creatione mundi, neq, enim in communi omnium existimatione aliud requiritur, vt numeretur iste dies, nisi prædicta distantia, ad hoc autem, vt per mille annos distet, per accidens est, quod hunc, vel illum motum contineat; siue enim hic, siue ille motus peragatur immediate post millesimum annum, dabitur eadē distantia. ergo hic numero dies non magis inuoluit hunc motum, quā illum: igitur hic numero dies vage dicit motum hunc, vel illum, determinatè verò hanc distātiam. Quæ quidem in eo consistit, quod inter hunc diem, & primū instans creationis mundi interpositi sint, vel potuerint interponi mille anni. Ad eum modum, quo philosophabamur de loco reali.

7 Ex hoc fit, quod, licet reproduci possit hic numero motus, non tamen potest reproduci hic numero dies: quia ad hoc, vt hic numero motus reproducatur, nihil aliud requiritur, nisi quod hoc numero agens producat has numero præsentias in hoc numero passo per hanc individuā actionem: at nulla est implicatio in eo, quod hæc omnia crastinâ die coniungantur, etiamsi hodie extiterint, & corruptæ fuerint, vt constat ex dictis disp. 14. sect 5 ergo &c. At verò ad hoc, vt hic numero dies reproduci posset, necessarium esset, quod transactus semel, posset iterum poni in eâdem distātiâ à primo instanti creationis mundi, quod quidem implicationem inuoluit: quia, si semel trāsactus iste dies iterum poneretur, iam non distaret mille annos tantū ab instanti illo creationis mūdi, sed supra mille annos distaret vnum diem ergo iam esset diuersus, dies quandoquidem distaret magis ab illo instanti.

8 Infero 4 quemlibet motum successiuū, siue sit localis, siue alterationis, siue augmentationis, inuere rationem temporis · quia in quolibet ex istis inueniuntur partes priores, & posteriores, quæ, quatenus est ex te, numerari possunt, si detur intellectus, qui eas numeret: ergo inuenitur tota ratio temporis. Motus vero primi mo-

mobilis sibi vendicat nomen temporis, quia, cũ sit semper vniformis, & maxime notus hominibus, aptior est, vt, & numerari possit, & eo vtantur ad mesurandas rerũ aliarum siue permanentium, siue successiuarum durationes.

9 Obijcies idem motus easdem continens partes priores, & posteriores potest esse tempus lõgum & breue, vt, si tardè moueatur per hoc spatium, fiet tempus longum, si vero velociter breue: ergo tẽpus aliquid addit supra partes priores, & posteriores motus. Hoc argumentum soluetur ex ijs, quæ dicemus disp. sequenti circa tarditatem, & velocitatem motus.

10 Iam erit facile naturam temporis imaginarij declarare tũ ex ijs, quæ hîc dicta sunt, tum etiã ex ijs quæ diximus disp. 22. sect. 2. circa spatium imaginarium. Est ergo tempus imaginarium secũdùm se sumptum possibilitas, seu non repugnantia partium motus sibi immediatè succedentium perenni fluxu ita tamen, vt pro materiali dicat non repugnantiam harum, vel illarum partium vagè; pro formali vero dicat tãtam, vel tantam distantiam determinatè ab aliquo instanti fixo. Ad eum modum, quo supra philosophati sumus de tempore reali, & disp. 22. de spatio imaginario. Vnde colliges, tempus imaginarium nõ esse ens rationis fictum: quia possibilitas, seu non repugnantia motus successiui non est quid fictũ; sed ens reale possibile. Concipitur tamen à nobis ad modum cuiusdam entitatis actu fluentis, & ideo vocamus illud imaginarium, quia sub hâc ratione non est à parte rei, sed tãtum fictũ per nostrum intellectum. Secundo colliges, tẽpus reale non esse realiter distinctum ab imaginario secundum se sumpto, cum possibilitas, & existentia non distinguantur realiter. Vnde fit, tempus imaginarium nõ destrui per positionem temporis realis, sed perfici eo modo, quo potest, videlicet quatenus fit existens, quod tãtùm erat possibile.

11 Hîc aduerte, nõnullos Thomistas apud P. Suar. disp. 5. Meta. sect. 2. nu. 7. existimasse, rationem formalem temporis consistere in ratione mensuræ actuæ, quia de facto illud sumimus ad metiendas reliquas durationes tanquã quid ad id maximè cõgruum. Similem sententiam proposui in Logica, cum agerem de ratione formali quantitatis, & eandem ibi refutaui, quia ratio mensuræ est mera denominatio extrinseca tam in tempore, quam in quãtitate, siue enim esset, siue non esset intellectus, qui eis posset vti ad alia mensuranda, nihil eis deficeret. Fateor, tempus esse tale, quo, fidetur, intellectus possit vti ad alias durationes mẽsurandas; sed hoc nihil aliud est in tẽpore, quam habere partes priores, & posteriores sibi immediate succedentes.

(.t.)

SEC-

SECTIO. II.

An duratio distinguatur realiter à re durante?

12 DVrare, si proprie loquendum sit, nihil aliud est, quàm in esse accepto perseuerare, atque adeo res in instanti, in quo primo existit, non dicitur durare, sicut nec res in instanti, in quo primo producitur, dicitur conseruari, sed in tempore sequenti. Vnde dura e supra hoc quod est, in tempore existere addit, quod præexiterit iam in aliquo saltem instanti, quod quidem nihil aliud est, nisi quæ dam extrinseca denominatio. In præsenti tamen sumitur duratio pro correspondentia ad tempus siue reale, siue imaginarium: siue hæc correspondẽtia sit in primo instanti productionis, siue in tempore sequenti. Quærimus ergo, an quælibet res tẽpori respõdeat per se ipsam, vel potius per aliquam formam intrinsecam illi superadditam, sicut corpus est in loco per præsentiam.

13 L. Bonauent, Bañez, & alij quos sequitur P. Rub hic q. 4. PP. Conimb. cap. 14 q. 2. art. 1. & 3. & P. Arriag. in Phys disp. 15 sect. 1. subsect. 1. docent, durationem esse formam intrinsecam realiter distinctam a re durante. Aliqui tamen ex his authoribus docent duarationem tam rerũ permanentium, quam successiuarum esse diuisibilem, & successiuam, sicut tempus. Alij vero docent, durationem rerum permanentium esse indiuisibilem quoad partes successiuas. Eorum argumenta infra soluam Scotus tamẽ in 2. dist. 2. q. 1. P. Suar. in Met disput. 50. sect. 1. n. 5. P. Vazq. 1. p. disp. 33. cap. 3. P. Hurt. in Met. disp. 17. & nonnulli è recentioribus docent, durationem non esse formam intrinsecam realiter distinctam â re durante. His subscribo. Pro maiori verò claritate.

14 Dico 1. duratio motus successiui non est forma intrinseca realiter ab illo distincta. Probatur: quia, eatenus motus successiue durat, quatenus partes eius sunt priores, & posteriores, vt negat nullus: sed non sunt priores, & posteriores per formam aliquã intrinsecam realiter distinctã ab ipso motu, vt ex Aristotele dicebamus sectione præcedente: ergo nõ durat motus successiue per formam aliquam intrinsecã realiter ab illo distinctam. Ex hoc infero, motum successiuum ad hoc, vt sit durans, nõ requirere præter prioritatem, & posterioritatem partiũ formã aliam extrinsecam, cui dicatur respondens (sicut dicemus de rebus permanentibus) sed se ipso durare per solam immediatã successionem partium; quia, cum hæc sine aliâ formâ extrinsecâ sufficiat, vt motus cõstituatur in ratione temporis, vt constat ex sect. præcedenti, necessarium est, quod sufficiat, vt in ratione durantis constituatur, quandoquidem tempus nihil aliud est, quam duratio motus successiui.

15 Dico 2. in rebus permanen-

mentibus duratio non est forma intrinseca positiua realiter distincta à re durante. Probatur: quia, eo ipso quod res permanès coexistit tempori extrinseco siue reali, siue imaginario, durat, vt constat ex communi omnium existimatione: sed coexistit tempori extrinseco sine forma intrinseca superaddita: ergo durat sine illa. Minor probatur 1. quia, eo ipso quod, existẽte tẽpore extrinseco, existat hæc entitas, dicetur hæc entitas coexistere illi, cũ coexistere duo nihil aliud sit, quam quod, existente vno existat aliud. Secundo: quia, si daretur hæc tua duratio intrinseca superaddita entitati Petri, v g. ipse Petrus produceretur priùs naturâ, quam duratio, vt pote qui esset causa materialis illius. Vel ergo Petrus prius productus determinatus esset ex naturâ suâ ad hanc durationem in hoc instanti; vel indifferens ad habendã hanc, vel quamlibet aliam. Primum dici nõ potest, quia certum est, Deũ potuisse Petrũ producere in quocunque tempore, quin aliquid faceret contra naturam eius. Si verò dicatur secundum: ergo, sicut, positâ existentiâ Petri, dedit illi Deus durationem in hoc instanti A potuit dare illi durationem in instanti B. post mille annos futuro. Ponamus ergo, quod hanc vltimam tribuerit. Vel ergo Petrus statim fieret respondens illi instanti B. vel non; sed expectaret, quo pertranseuntibus mille annis adueniret instans B. Si hoc vltimum. ergo productus Petrus perseueraret in suo esse (ac per consequens durat propriè; quia durare est in esse accepto perseuerare) per mille annos sine duratione aliquâ intrinsecâ superadditâ. Si dicatur primũ: ergo entitas, quæ producta in rerum naturâ est proximè capax durandi in hoc instanti, potest fieri respondens instanti futuro post mille annos, quin mille illi anni præterierunt, quod certe chimericum apparet ex ipsâ terminorum apprehensione.

16 Secundo probatur cõclusio: quia, sicut per præsentiam cõstituitur res distans, vel approximata huic, vel illi loco; ita etiam per durationem constituitur res distans, vel approximata huic, vel *illi* tẽpori: sed, eo ipso quod, existẽte hodie, producatur Petrus, distat ab anno præterito per vnũ annum, & approximatus est crastino diei: ergo eo ipso durat, etiãsi non addatur forma aliqua intrinseca. Minor probatur: quia nõ potest Petrus existere simul cum aliquo tẽpore, quin distet à reliquis eodem modo, ac tale tempus distat: sed, si, existente hoc tempore, producatur Petrus, necessario existet simul cum illo, quia iam tunc existet vnus, & aliud: ergo necessario distabit à reliquis eodem modo, ac illud tempus: ergo durabit per illud sine formâ aliquâ intrinsecâ.

17 Dico tertiò: duratio creata non est sola entitas durans, sed supra illam formaliter inuoluit tempus extrinsecum reale, vel imaginarium cum eadem distantia ab eodem

eodem instanti fixo. Itaque duratio Petri formaliter involvit tum ipsam existentiam Petri, tum etiã tempus extrinsecum reale, vel imaginarium, tum denique quod existentia Petri tantum distet ab instanti aliquo fixo, quantum distat tempus extrinsecum; & quod nõ magis distet Ita ferè P. Hurt. suprà sect. 4. subsect. 3. & aliqui recent. Et in primis, quod duratio Petri addat aliquid extrinsecum supra entitatem Petri, probatur: quia hodie duravit Petrus plusquam heri: ergo hodie aucta est duratio Petri: non ratione alicuius intrinseci, quia neque ratione entitatis secundum se, cum perseveret eadem, ac heri, neque ratione alicuius formæ intrinsecæ superadditæ, vt probatum est conclusione præcedente: ergo ratione alicuius extrinseci.

18 Quod verò id, quod additur, sit tempus extrinsecũ, & æqualis distantia modo suprà explicato, facilè probatur: quia eatenùs Petrus durat in hoc tempore, quatenus huic tempori coexistit: sed huic tempori coexistens cõstituitur per suam existentiam, per hoc tempus, & per æqualem distantiam: ergo, &c. Minor est certa: quia, eo ipso quod sit hoc tempus, & existat Petrus cum eadem distantia ab instanti creationis mũdi, & cum negatione maioris distantiæ dicentur coexistere Petrus, & hoc tempus extrinsecum reale vel imaginarium (dicetur coexistere tempori imaginario, non quia hoc habeat existentiam realem extra causas, cũ nihil aliud sit, quam possibilitas motus successiui in tantâ distantiâ; sed quia existit Petrus currente hoc tempore imaginario eo modo, quo potest de illo dici, quod currat) præciso quocunque alio, vt ex se constat: ergo, &c Hoc argumentum probat, existentiam Petri includi et.ã formaliter in durationе ipsius Petri, quia coexistentia Petri, & temporis extrinseci non solum dicit formaliter, quod sit tempus extrinsecum; sed etiã ipsam existentiam Petri, vt ex ipsis terminis patet.

19 Iam, quod tẽpus, & æqualis distantia sint extrinseca existentiæ Petri, est certum. Et quod ad tempus attinet nullus est qui dubitet. De distantia æquali constat: quia quod Petrus, & tempus, hoc extrinsecum æque distent ab instanti aliquo fixo, nihil aliud est, quam quod inter Petrum, & instans fixum (instans creationis mundi v.g.) tot interponi possint partes successiuæ motus, quot inter hoc tempus, ac illud idem instans, & non plures · atqui totum hoc est extrinsecum existẽtiæ Petri, vt constat· ergo. &c. Huc faciunt ea, quæ in Log. disp 19 sect. 2.4 &. 5. adduximus ad probandum relationem non distingui à fundamento, & termino.

20 Hîc aduerte id, quod sect. præcedente docui, nempe partes possibiles motus constituere tẽpus imaginarium non præcisè secundùm se sumptas, sed pro vt in hac, vel illa distãtia ab aliquo instanti

ſtanti determinato. Vnde, licet eadem pars motus poſsit poni hodie, & cras, diuerſam durationem imaginariam conſtituit hodie, ac cras, quia hodiernam durationem imaginariam cõſtituit, prout poteſt poni in hac diſtantia ab inſtãti creationis mundi; craſtinam vero conſtituit prout potens poni in maiori diſtantia ab illo inſtanti Ex qua doctrina facile ſolui poſſunt aliquæ difficultates, quæ opponi ſolent contra præcedentem concluſionem.

21 Sufficit autem ad actualẽ durationem Petri tempus imaginarium, nam, vt Petrus dicatur actu durare, neceſſarium non eſt, quod tempus extrinſecũ actu exiſtat; ſed ſufficit, quod ſit poſsibile. Ratio eſt: quia ad hoc, vt actu duret hac duratione, ſufficit, quod detur tanta diſtantia ab inſtanti aliquo determinato: ad hoc autẽ vt tanta diſtantia detur, neceſſariũ non eſt, quod de facto detur tẽpus extrinſecũ, ſed ſufficit, quod ſit poſsibile taliter, vt inter illud, & inſtans determinatum potuerint interponi tot partes ſucceſſiuæ motus. Etenim ſi modo ceſſarent omnes motus vſq; ad annum ſequentem, licerẽtur quidẽ ceſſare per vnum annum ex eo ſolùm, quod in hac intercapedine poſsibili fuerit motus ſufficiens ad conſtituendum vnum annum.

22 Dices. ad hoc, vt dicatur corpus aliquod eſſe actu in hoc loco, non ſufficit, quod præſentia ſit poſsibilis ſed neceſſariũ eſt, quod acta habeat talẽ præſentiam. ergo ad hoc, vt res aliqua dicatur actu durans, neceſſariũ eſt, quod de facto detur exiſtens tẽpus extrinſecũ. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt: quia, cũ ſimul ſint poſsibiles plures præſentiæ pro eodẽ tẽpore, non poteſt corpus eſſe determinate præſens per vnã potiùs, quã per aliã, niſi illa reducatur ad actũ reliquis perſeuerantibus in mera poſsibilitate. At vero in tẽpore imaginario nõ ſunt poſsibiles produci ſimul plures partes tẽporis prout tales, ſed quæuis eſt poſsibilis produci poſt alteram; atq; adeo, vt Petrus dicatur actu diſtans ab inſtanti aliquo fixo per hãc potius, quã per illam, ſufficit, quod actu cõſeruetur in eâ diſtantiâ, quâ hæc eſt poſsibilis, & nõ in diſtantiâ, quâ altera eſt poſsibilis.

SECTIO. III.

Soluuntur argumẽta oppoſitæ ſententiæ.

23 NOnnulla aduerſariorũ argumẽta probant durationẽ non eſſe ſolam entitatẽ durantẽ, quę quidẽ nobis nõ aduerſãtur, quia ſupra entitatẽ durantẽ diximus, durationẽ inuoluere tempus extrinſecũ, &c. Huc facit D. Th. adductus ex 1 p.q.10.art.2. Propterea ea ſolũ argumẽta ſoluenda ſunt, quæ directe adſtruere conãtur durationem intrinſecam diſtinctam realiter ab entitate.

24 Obijciũt 1. hoc quod eſt Petrũ hodie durare, ſeparari poteſt ab exiſtẽtiâ Petri, & exiſtẽtia hodierni diei. ergo duratio Petri aliquid addit ſupra vtramq, exiſtẽtiã præ-

prædictam. Antecedēs probatur: quia Petrus potuit existere heri, & hodie mortuus esse: ergo iam datur in rerum natura existētia Petri secundum se, & existentia hodierni diei, quin Petrus duraret hodie. Hoc argumentum ita efficax putat P. Arriaga suprà, vt affirmare audeat, euidenter probare suam sententiam; sed meo iudicio nihil ponderis habet. Distinguo primū antecedens: hoc, quod est Petrum hodie durare, separari potest ab existentiâ Petri, & existentiâ hodierni diei in diuersa, aut inæquali distantiâ ab instanti creationis mundi, concedo. in distantia æquali, nego antecedens. Et concedo consequentiam: quia in meâ sententiâ duratio hodierna Petri nō est sola existentia Petri, & hodierni diei, sed inuoluit etiam æqualem vtriusque distantiam ab instanti creationis mundi.

25 Instat P Arriaga: Antichristus absolute, & simpliciter erit in rerum natura, & etiā crastina dies absolute, & simpliciter erit; & tamen non erunt simul. ergo hoc, quod est, fore simul, aliquid addit supra hoc, quod est esse futurum: hoc autem erit duratio intrinseca. Distinguo antecedēs. Antichristus, & dies crastinus absolute, & simpliciter erunt in eadem distantiâ ab hoc instanti, nego antecedens: erunt in diuersa distantia, concedo antecedens. Et similiter distinguo cōsequens: hoc, quod est fore simul, aliquid addit supra hoc, quod est esse futurum in eadem distantiâ ab hoc instanti, nego: supra hoc, quod est esse futurum in diuersa distantia, concedo. Ad hoc autem, vt duæ res dicantur productæ in eâdem distantiâ ab aliquo instanti determinato, sufficit, quod inter productionem vtriusque, & illud instans eædem partes successiuæ motus possint interponi: &, vt dicantur productæ in diuersa distātia, sufficit, quod inter vnam rem, & illud instans possint interponi plures partes successiuæ motus, aut diuersæ rationis; ac inter aliam rem, & idem instans, vt constat ex dictis sect. præcedente.

26 Obijcies secundò: vt Petrus distet localiter ab aliquo loco, indiget præsentiâ intrinsece superaddita: ergo vt distet ab aliquo tempore, indiget duratione intrinsecè superadlita. Nego consequentiam. Ratio disparitatis est clara: quia, existente Petro, sunt simul in rerum natura plura spatia, à quibus potest magis, vel minus distare, & ideo indiget aliquo superaddito, quo fiat de facto magis, vel minus distans ab illis: at vero tempus, cum consistat in perenni fluxu partium motus, non potest habere plures partes simul: vnde, vt Petrus isti parti temporis, & non alteri respondeat, nihil aliud necessarium est, nisi, quod ista fluente, existat. dicetur autem ista fluente existere; si æqualem habeat distantiam ab instanti aliquo fixo, vt dictum est.

27 Obijcies tertio Petrus durans hodie est indifferens, vt duret

ret, vel non duret cras. ergo durare hodie est quid distinctum à dure cras. Concedo consequentiam; quia hodie durat Petrus per suam entitatem, & hodiernum diem cum eadem distantiâ, ac dies hodiernus; cras verò durabit per suam entitatem, & diem crastinum cum eadem distantia, ac dies crastinus. Est autē indifferens hodie, vt duret, vel non duret cras; quia transacto hodierno die potest Deus pro suo libito cessare, vel non cessare à conseruatione illius. Si autem Deus cesset ab illo conseruando, deficiet crastino die existentia Petri, quæ est vnum ex his, quæ inuoluit duratio crastina ipsius Petri. Hinc fit, nullatenus nos aduersari sanctis Patribus asserentibus, durationem creaturæ habere esse præteritum, præsens, & futurum, quia, cum asseramus, durationem creatam includere tempus extrinsecum, & in hoc tres illæ differentiæ reperiantur, necessarium est, quod & in duratione creata reperiantur.

SECTIO IIII.

Varia species durationis.

28 DVratio diuiditur in creatā & in increatā. Increata est propria Dei, & dicitur æternitas. *Estq; attributū Dei, quo ita est ex se determinatus respondere cuilibet tempori actuali, vel potentiali, si detur, vt implicationem inuoluat illi non respondere.* Per To, *attributum*, conuenit æternitas cum reliquis attributis Dei; differt tamen ab illis per partículas sequentes, quia sicut rationem formalem immensitatis explicare non possumus, nisi per hoc, quod est Deum ex se esse determinatum respondere omni spatio, ita etiam non possumus explicare rationem æternitatis, nisi per hoc, quod est Deum ex se esse determinatum respōdere omni tempori. Per quod etiam denotatur Deum non habere principium, & finem, si enim hæc haberet, alicui tempori saltem possibili non responderet.

29 Additur *actuali, vel potentiali, si detur*, quia, cum omnia attributa Dei intrinseca absoluta sint à creaturis (vt probant rationes, quibus id probauimus de omnipotentia diput. 10 à nu. 38. debent esse talia, quæ, si deessent, & essent impossibiles omnes creaturæ, ipsa nihilominus in suo esse persisterent. Vltimo additur, *vt implicationem inuoluat ipsi non respondere*, vt distinguatur æternitas Dei à duratione hominis, vel Angeli, qui createtur ab æterno, etiamsi esset aliquis possibilis (ego impossibilem iudico) qui peteret esse ab æterno, quia quælibet creatura ita esset ab æterno, vt posset non esse, cum a Deo non necessario; sed libere producantur.

30 In idem recidit definitio æternitatis tradita à Boetio, & ab omnibus admissa: *Interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio. Interminabilis*, dicitur;

quia non habet principium, & finem. Est præterea *tota simul*; quia, cum sit intrinseca perfectio Dei, non potest partim esse, & partim non esse in Deo. Additur denique, *& perfecta possessio*, quia per illam est Deus determinatus, vt totum suum esse possideat simul cum suis perfectionibus quocunque tempore succedente.

31 Est autem difficultas primò: an æternitas sit conceptus positiuus, vel inuoluat negationem? Respondeo, esse conceptum positiuum adæquate. Sequor P. Hurt. disp. 17: Meta. sect. 3. numer. 87. contra P. Suar. in Metaph. disput. 50. Ratio est: quia, si aliquam negationem inuolueret, maximè negationem principij, & finis (hanc adstruunt aduersarij) sed iste est, conceptus positiuus: ergo, &c. Minor probatur: quia id, quod immediate opponitur negationi est, conceptus positiuus; vt probaui disput. 4. sect. 3. sed habere principium, & finem est conceptus negatiuus; habere nanque principium est, quod res, quæ modò existit, non exister it in instanti aliquo præcedentis, &, habere finem est, quod non existat postea id, quod antea existebat: ergo non habere principium, & finem est còceptus positiuus, nempe extitisse semper, & semper esse extiturum. Neque contra hoc esse potest, quod æternitas explicetur per negationem; plures enim perfectiones Diuinas explicamus per negationem, etiamsi positiuæ sint, quia nobis non suppetunt verba, quibus per affirmationem, omnem illarum perfectionem explicemus: vel, si suppetunt, longâ oratione opus est.

32 Secundò est difficultas: vtrum æternitas sit proprie duratio, & Deus sit proprie dicendus durare? Respondeo affirmatiue: quia durare propriè est in esse perseuerare, Deus autem nũquam non perseuerabit in suo esse: ergo proprie durat. Est tamen aduertendum, Deum non esse dicendum (si proprie loquendum sit) plus hodie durasse, quam heri, quia, cum dies hodiernus, & hesternus non pertineant ad durationem Dei, neque ipsa Dei duratio per se habeat connexionem cum tempore extrinseco; sed sit omnino absoluta ab illo, dici non potest maior, vel minor, etiamsi defacto respondeat maiori, vel minori tempóri: sicut neque cognitio Diuina dicitur esse maior, seu perfectior ex eo, quod de facto cognoscat plures creaturas existentes, quas non cognosceret, si non essent creatæ, vel creandæ a Deo.

33 Duratio creata diuiditur in æuum, & tempus. Tempus est duratio motus successiui, cuius naturam explicuimus sect. 1. Ex qua constat tempus esse quid reale, & nihil inuoluere fictum. Videantur ibi dicta. Ad tempus reducuntur durationes omnes rerum corruptibilium, quia illud inuoluunt. Æuum apud philosophos dicitur duratio creata rei ex

natu-

naturâ suâ incorruptibilis; qualis est duratio Angelorũ. Anima rationalis, & Cælorum. Hæc non est sola entitas durans, sed involuit etiam tempus extrinsecum quia, si Deus annihilaret modo aliquem Angelum, reliqui dicerentur durare magis, quam ille: ergo in duratione reliquorum debet involui aliquid, ratione cuius sit maior: atqui id non potest esse sola entitas illorum, quia entitas vnius Angeli non est maior entitate alterius: ergo debet esse tempus extrinsecum, cui respondent. Ad æuum reduci potest duratio, quam haberet homo, seu Angelus ab æterno creatus, etiãsi corrumpendus esset in tempore: quia sicut æuum est duratio rei ex natura sua incorruptibilis per æternitatem à parte post, ita etiam ea res, quæ producta esset in æternitate à parte antè, semel producta non posset non durare per totam æternitatem à parte antè.

34 Rogabis: Angelus creatus ab æterno duraret ne per suã solum entitatem? vel esset illi addendum aliquid aliud extrinsecum, per quod constitueretur formaliter durans? Respondeò, non duraturum per solam suam entitatem, quia potest dari in rerum naturâ entitas Angeli, quin durauerit per totam æternitatem: ergo duratio æterna distinguitur ab entitate Angeli. Duratio ergo Angeli in eo casu coalesceret ex propria entitate, & æternitate Dei non præcedente illam; nam, eo ipso quod æternitati coextitisset, quin hæc præcessisset vnquam, durasset ab æterno. Neque esset aliquod inconueniens, quod in eo casu constitueretur formaliter durans per æternitatem Dei: tum quia non cõstitueretur durans per illã tanquam per formam adæquatamcũ duratio coalesceret ex entitate Angeli, & æternitate; tum etiam, quia duraret Angelus per illam tanquam per formam extrinsecam.

35 Hic aduerte, quod, adueniente tempore, iam duraret Angelus per suam entitatem, & tempus extrinsecum: quia, postquam aduenisset tempus, esset verum, quod magis hodie duraret, quam heri: ergo aliquid deberet involui in eius duratione, ratione cuius hæc esset hodie maior, quam heri: id autem non potest esse entitas ipsius Angeli, quia est eadem semper; neque æternitas intrinseca Dei propter eandem rationem: ergo deberet esse tempus extrinsecum. Hæc de hac disputatione, & toto libro quarto. Hinc gradum faciam ad sextum, quia ea, quæ ad quintum pertinent, explicata sunt tertiò libro.

LIBER SEXTVS PHYSICORVM.

AGgredimur explicatio nem continui, quam quidem nullus nō horret propter eximias hinc illinc insurgētes dificultates, quas, si complanare velis, tot, ac tam graues denuo insurgunt, vt eorum pondere obruaris. Id arbitror ingenijs hominum permissum in propriæ hebetudinis demonstrationem, vt qui nec paleæ compositionem possunt percipere, obstrusa, & incomprehensibilia Diuinitatis mysteria non tentent perscrutari.

DISPVTATIO XXV.

De *Compositione continui.*

1 Continuum est res ex pluribus partibus integralibus vnitis resultans. Talis est aqua resultans ex pluribus partibus participātibus rationē aquæ; &, homo compactus ex brachijs, pedibus, capite, &c. Monui iam supra disput. 2. num. 29. in quo distinguantur partes integrales, & essentiales. Porrò continuum est duplex. Aliud permanens, cuius partes simul sunt in rerū natura successium aliud, cuius partes sibi succedunt; ita vt nulla simul cum aliâ producatur. De vtroque agitur in hac disputatione.

SECTIO I.

Aristotelis sententia proposita, non nulla supponuntur pro eius declaratione.

2 Est ergo difficultas præsēs: an cōtinuū cōponatur ex partibus, quæ in alias possint diuidi in infinitū? vel an potius deueniendū sit in aliquas partes, quæ in alias diuidi nō possint? Circa quā Arist. hoc lib. 6. & alibi sæpe docet, cōtinuū cōponi ex partibus diuisibilibus in infinitū; ita vt nulla possit dari ita minima, quæ in alias diuidi non possit. Aristot. secuti sunt hucusq; Philosophi, & Theologi, paucis exceptis, quos infra subijciā pro contrariâ sentētiâ. Multis probant Aristot. suam sententiā, ante quorū discussionē suppona aliqua, quæ, licet inter Arist. sectatores non omnino sint certa, nonnulla tamen expresse tradita sunt à Philosopho; alia vero magis cōsona ipsius doctrinæ.

3 Suppono primò, continuum non solùm in potentiâ; sed etiam in actu continere partes. Hoc est: de facto non est simplex entitas, quæ

quæ potestate solú contineat partes, in quas possit dissecari, vt nõnulli asseruere; sed actu habet plures partes realiter distinctas. Est adeo certa hæc propositio, vt vel cæcis nota esse possit · quia continuum de facto diuiditur in plures partes . ergo eas continet de facto, antequam diuidatur. Patet consequentia: neque enim, qui lignum diuidit, partes eius denuo producit; sed eas, quæ in illo continebantur, separat; quis enim dicat, eum, qui brachium seiungit ab homine, per ipsã diuisionẽ producere hominem truncatum brachio, & brachium ab ipso separatum? Si autem has partes nõ producit per diuisionem, dubitari nequit, quod antea continerentur in homine. Plura alia possem afferre pro hac sententia, quibus abstineo, quia opposita exoleuit omnino. Qui plura velit, adeat P. Hurtad. sect. 1. & P. Arriaga sect. 2.

4 Suppono secundò, has partes non esse se ipsis vnitas; sed mediâ vnione superadditâ. Id probant eædem rationes, quibus suprà disput. 5. sect. 1. probauimus, materiã, & formã vniri per vnionem superadditam. Neque hic dici potest, partes cõtinui vniri solum per contactum, seu contiguationẽ earum inter se: Primò, quia Aristoteles expresse distinguit cõtinua à contiguis; hæc enim dicit esse, *quorum vltima sunt simul*, illa vero, *quorũ vltima sunt vnum*. Secundò, quia ex duabus partibus contiguis resultat vnũ compositum, vt concedũt omnes; secus vero ex contiguis; neque enim, quando vna tabulã tangit aliam, dicitur resultare ex illis vnũ compositum. Ex hoc infero, continuum esse vnum per se, si vnum per se sumatur, prout opponitur aggregato, quod proprie dicitur vnum per accidens: quia vnum per se hac ratione est id, quod cõstat partibus inter se vnitis per veram vnionem: sed tale est continuum, vt probauimus: ergo, &c.

5 Suppono tertiò, vnionem istam carere diuisibilitate, quam habent partes vnitæ. Explico: in continuo sunt partes profundæ, quæ quidem vniuntur inter se per continuatiua indiuisibilia quoad profunditatem; diuisibilia tamen quoad latitudinem; quia non potest hæc pars profunda integrè vniri alteri, quin vnitiuum habeat latitudinem, vt dictum in Logica disput. 17. num. 77. Hoc vnitiuum est *superficies*. Deinde, cum hæc habeat partes latas, debent vniri per continuatiuum, indiuisibile quidem quoad latitudinem; diuisibile tamen quoad longitudinẽ, quod vocatur *linea*. Præterea, cum hæc habeat partes, quæ diuisibiles sunt tantùm secũdùm longitudinem, debent vniri per *punctum*, quod est omnino indiuisibile.

6 Probatur ergo, quòd hæc vnitiua debeant carere eâ diuisibilitate, quam habẽt partes vnitæ. Primò ex Aristot. hìc text. 1. vbi dicit, *Continua esse quorum vltima sunt vnum*. Si autem id,

quo continuantur esset diuisibile, vltimum vtriusque partis non esset vnũ, quia tale cõtinuatiuum secundũ vnam partem sui esset terminus, & vltimũ vnius partis cõtinui, & secundũ aliam terminus alterius. Dices: tale continuatiuum secundũ omnes suas partes attingeret quanlibet partem ex his, quas cõtinuat. Sed cõtrà est, quod superfluæ essent tot partes in eo cõtinuatiuo; quia, si quæuis attingit vtranque partem continui, ad quid rẽliquæ essent necessariæ? Dicamus ergo, continuatiuũ esse indiuisibile modo supra explicato. Neqûe est aliquod inconueniens, quod indiuisibile attingat partẽ diuisibilem; quia in sententia Arist. sæpe est id admittendũ. Attinget vero *illã indiuisibiliter, seu* inadæquatè, hoc est, in minori, & minori parte, ita vt nulla pars ità minima assignari possit, quâ indiuisibile illud minorẽ aliam nõ attingat.

7 Præter hæc indiuisibilia dãtur in continuo alia, quæ terminatiua dicuntur; illa scilicet, quę hinc inde terminant, & finiunt totũ continuum tanquam finis, & vltimum ipsius. Debẽt etiam hæc terminatiua esse indiuisibilia, hoc est, carere diuisibilitate partiũ, quas terminãt: quia, si partibus constarent in infinitum diuisibilibus, nihil esset in illis, quod dici posset vltimũ continui, cum nulla pars foret in illis, vltra quam non posset alia vlterior assignari.

8 Suppono quartò, quodvis indiuisibile continuatiuum, quando continuat partes localiter extensas, debere occupare diuersum locum, ac partes, quas continuat. Probatur: quia in spatio diuisibili debet esse aliquid (iuxta Arist.) quod per motũ locãlem acquiratur in tempore, & aliquid, quod acquiratur in instãti, alioqui motus localis non esset continuus, cum in quouis instãti interrumperetur. si autẽ indiuisibile cõtinuatiuum non esset in diuerso loco, ac partes; sed penetratum cum illis, nihil esset in spatio diuisibili, quod acquireretur in instanti: ergo, &c. Minorẽ probo: quia, cum instans sit indiuisibile, necessarium est, quod simul acquiratur, quidquid in ipso acquiritur: sed nihil esset in spatio, quod non esset acquirendum successiue, quãdoquidem semper pars succederet post partem, in quibus semper sunt partes priores, & priores in infinitum.

9 Secũdò probatur: quia indiuisibile terminatiuũ est in diuerso loco, ac pars terminata: ergo & cõtinuatiuũ. Consequentia est bona; quia nõ est maior ratio vnius, quã alterius. Antecedẽs probatur primò ex Arist. hìc text. 1. docente, contigua esse, *quorum vltima* (hoc est, quorũ termini) *sunt simul*, ideſt in eodem loco: sed si indiuisibilia terminatiua essent in eodẽ loco, ac partes terminatæ, nõ possent esse simul, quando corpora fiunt cõtigua: ergo debẽt esse in diuerso loco. Minor est certa: quia, si essent in eodem loco, ac partes non possent esse simul inter se, quin ipsæ partes essent etiã simul: at hæ non possunt

possunt esse simul; quia sunt impenetrabiles ergo, &c.

10 Secundo probatur idē antecedens ratione; quia indiuisibile terminatiuū cōtinui extensi est finis, & terminus totius extēsionis, quæ de facto datur in eo continuo: ergo illo indiuisibili claudi debet tota extēsio talis cōtinui Consequentia probatur: quia in cōmuni omnium acceptione terminus alicuius rei dicitur id, intra quod res tota continetur, & extra quod nihil est ipsius rei. Pergo. Sed si indiuisibile terminatiuum non esset in diuerso loco, ac pars terminata, non clauderetur illo tota extensio continui; quia saltem illa pars in cuius spatio esset, illo non claderetur, vt per se patet: ego, &c. Idē argumentū potest fieri de indiuisibili continuatiuo; quia hoc est terminus, & vltimū partiū, quas cōtinuat, vt suprà dicebamus ex Arist.

11 Suppono secundò, duo esse genera partiū in continuo iuxta Arist. sententiā. Quædā sunt partes *determinatæ*, id est, certæ magnitudinis, quæ includūt in se partes alterius certę magnitudinis à se distinctæ: vt in vinâ vnus palmus, qui non includit in se partes alterius palmi, sed quatuor dātur in vinâ adæquate inter se distincti Hæ partes dicuntur aliquotæ, quia aliquoties sumptæ, seu repetitę componunt totum continuū. Hæ dicuntur esse finitæ in quolibet continuo; sed qua ratione dicemus infra.

12 Aliæ dātur partes, quæ *proportionales*, *inæquales*, *indeterminatæ*, & *cōmunicantes* vocantur *Porportionales*; quia pal mus v.g. seruata proportione minoris, & minoris quanticatis diuiditur in plures partes, vt in duos semipalmos, & in quatuor medietates semipalmorum &c. *Inæquales* dicuntur, quia nulla datur certa magnitudo, in qua illæ partes cōuenīāt, & sint æquales; sed semper sunt minores, & minores. *Cōmunicantes*, quia semper vna est aliquid alterius, vt semipalmus medietas palmi, &c. *Indeterminatæ*, quia nullū habēt terminum paruitatis; sed, quālibet assignatâ, potest dari alia minor, vt dicebam.

113 Ex his fit 1. partes proportionales vt tales nō esse cōparandas cū alijs adæquate distinctis ab ipsis; sed cū ijs, quæ in ipsas diuiduntur, & in quas possunt diuidi, vt medietas palmi est proportionalis, non quatenus cōponit cū alia medietate integrū palmū; sed prout diuisa à palmo potest diuidi in alias, &c. Ratio est; quia cum illis partibus debent cōparari partes vt proportionales, in quibus non inuenitur vltima: sed tales sunt partes, quæ in illis includuntur, prout subsunt diuisionibus: ergo, &c. Fit 2. quod in magnitudine duorum palmarū possunt inueniri mille palmi cōmunicantes, imò & infiniti etenim erunt tres palmi, si cōiungatur secūda medietas primi palmi, cū prima medietate secūdi, quatuor vero, si deinceps quarta pars primi copuletur cum tribus prioribus secūdi, & sic de alijs. Est amen aduertendum, quod isti non

poterunt dici mille, seu infiniti palmi simpliciter; sed tantum secundùm quid; quia non ita dantur mille palmi, vt vnus sit omnino ab altero distinctus; sed singuli præter duos primos includunt partes aliquas aliorum.

14 Circa prædictam doctrinam duplex insurgit difficultas. Prima est, quod ex dictis videtur inferri partes aliquatas, seu determinatas non minus dicendas esse infinitas, quam proportionales: nã hæ dicuntur infinitæ, quia inter illas non datur vltima: sed neque inter aliquotas datur vltima: ergo, &c. Minor probatur: quia quælibet pars aliquota diuiditur in duas alias aliquotas, cum quælibet ex illis, in quas diuiditur, sit determinatæ magnitudinis: deinde quælibet ex illis duabus potest diuidi in alias duas determinatas propter eandem rationẽ: præterea quælibet ex illis potest in alias duas determinatas, & sic in infinitum, ita vt nulla possit diuidi in duas determinatas, quarũ quælibet in alias duas etiam deteminatas non possit dividi: ergo nulla datur vltima inter partes aliquotas.

15 Respondeo, partes aliquotas non esse tales in ordine ad diuisionem, sed in ordine ad cõpositionem quia, cum hæ dicantur aliquotæ, quia aliquòties sumptæ totum componunt, semper referendæ sunt ad componendum totum aliquod cum alijs eiusdem magnitudinis. Hinc est, quod, licèt minores, & minores in infinitum possint assumi ad totum aliquod cum alijs æqualibus cõponendum, nihilominus, semper assumenda est aliqua determinata (quia, cum non possimus assignare, nisi determinatam, neque possumus assumere ad componendũ, nisi determinatã) ex qua incipiat compositio à nobis construenda, quæ quidem de facto erit prima in ordine ad hanc compositionem: deinde, cum quantitas, quæ de facto datur in rerum naturâ, sit finitæ magnitudinis, necessariò deveniendum est in eâ compositione partium aliquotarum ad aliquam magnitudinem, vltra quam de facto non possit addi alia, ac per consequens talis compositio habebit primam, & vltimam partem determinatam, quo fiet, vt partes aliquotæ semper euadant finitæ. Partes vero proportionales vt tales cõparantur cum alijs, in quas possunt diuidi: cum autem nulla possit esse diuisio partium, vltra quam non sit possibilis alia, fit, quod non detur vltima pars in diuisione; ac per consequẽs sint actu infinitæ partes diuidendæ.

16 Secunda difficultas est an partes proportionales sint infinitæ simpliciter, vel solum secundùm quid? Respõdeo, esse simpliciter infinitas. Ratio est quia partes, quæ de facto dantur in continuo, ita se habent, vt quælibet possit diuidi in duas mutuo se excludentes, & adæquate distinctas ab se inuicem, & illæ in alias duas adæquate etiam distinctas inter se, & sic in infinitum: ergo de facto

&o sunt simpliciter infinitæ. Antecedens est certum in sententiâ Arist. quia diuiso palmo in duos semipalmos, quilibet semipalmus potest diuidi in duas medietates adæquate distinctas tum à se inuicem, tum à pluribus alterius semipalmi · deinde quælibet medietas potest diuidi in alias duas similiter distinctas adæquate tum ab se inuicem, tum à partibus alteri⁹ medietatis, & sic in infinitū: ergo dantur in continuo partes, quæ, licèt in alijs includantur, nihilominus sunt adæquate distinctæ interse, ita vt in infinitum aliq, atque aliq accipi possint, quæ ab alijs, à quibus separatæ sunt per diuisionē, adæquate distinguātur: ergo dicendæ sunt simpliciter infinitæ. Patet consequentia: quia ad hoc, vt dicantur simpliciter infinitæ, sufficit; quod ita dentur partes adęquatè distinctę ab alijs, a quibus diuiduntur, vt nulla possit dari, vltra quam non detur alia adæquate distincta ab illa, à quâ diuiditur · neque enim vlla potest assignari ratio, cur tales dicendæ non sint simpliciter infinitæ.

17 Dices: infinitū simpliciter non potest claudi terminis: sed continui partes clauduntur duobus terminis, vt constat experiētiâ: ergo nō sunt infinitæ simpliciter. Distinguo maiorem non potest claudi terminis sub ea ratione, qua infinitum est, concedo: sub alia, nego maiorem. Rem explico · Potest dari infinitum Angelorum intra hoc gymnasiū, quod quidem, cum sit infinitum vnitatum, non potest claudi inter duas vnitates, quarū vna sit prima, & alia vltima, potest tamen claudi intra determinatum locum; quia non est infinitum quo ad extensionem · Sic res euenit in præsenti: infinitum enim partium proportionalium, non est infinitum quoad extensionem; sed quoad vnitates partium minorum, & minorum in infinitum; & ideo non potest in illo inueniri aliqua ita minima, vltra quam non detur alia minor, quod est nō habere terminum paruitatis partium; potest tamen in hoc infinito inueniri terminus extensionis, quia quo ad extensionem est finitum.

SECTIO II.

Discutiuntur philosophica argumenta, quæ pro sententia Aristot. adducuntur.

18 ARistot. suam sententiam probat primò: quia indiuisibile immediatè additum indiuisibili non facit maius: ergo continuum non potest constare ex solis indiuisibilibus. Antecedēs probatur: quia indiuisibile immediatè additum indiuisibili tangit illud secundùm se totum, cum enim partes non habeat, nequit tangere illud secundùm vnam partem tantum: sed ea, quæ se tangunt secundùm se tota, debent esse in eodem loco: ergo non possunt facere magnitudinem. Minor videtur certa: quia non aliâ de

de causâ vna manus dicitur esse extra aliam, quando ad inuicem applicantur, nisi quia non tanguntur secundùm se totas. Hoc argumento putant actum esse de Zenone, qui oppositam sententiam tuetur, mihi tamen adeo imbecillum videtur, vt licet Aristotelis sententiæ adhæream, eo nullatenus vtar ad eam comprobandã.

19 Et quidem non minus pugnat contra Aristotelem; quia indiuisibilia terminatiua, & cõtinua tua secundùm se tota attingũt partes, quas continuant, & terminant; & nihilominus iuxta Aristotelis sententiam hæc indiuisibilia sunt in diuerso loco, ac partes, vt constat ex dictis numer. 8. ergo bene potest dari, quod vnum indiuisibile secundũ se totũ tãgat aliud, & nihilominùs non sit in eodem loco, cum illo. P. Hurtad. hìc sect. 3. num. 49. docet, indiuisibile tam terminatiuum, quam continuatiuum esse in eodem loco cum parte proportionali, quam immediate tangit. Sed in primis id iam refutatum est loco citato. Secundo, vel continuatiuum est in loco vtriusque partis, quam continuat; vel tantum in loco vnius. Non primum: quia nõ admittis in entitate materiali virtutem naturalem, vt sit in duplici loco, vt constat ex tuâ sect. 5. sub sect. 4.: Si autem dicas secũdum, sequitur, quod continuatiuum nõ tangit vtranque partem, quia per te contactus est simultas in eodẽ loco: sed continuatiuum non est simul, nisi cum vnâ parte, vt tateris: ergo non tangit aliã: qua ergo ratione illã cũ alterâ continuabit?

20 Dices: continuatiuũ attingit vtranq; partem inadæquate; quia vtraq; est inadæquate in eodem loco cum indiuisibili, nõ vero secundum se totam neque hoc pugnat cũ impenetrabilitate quãtitatis, quia hæc non petit esse extra aliam secũdum quanlibet partem proportionalem, sed tantùm secũdùm partes determinatas. Id docet P. Hurt. supra sect. 5. num. 79 ad confirmandã similem doctrinã in successiuis. Hic est error peior priore. Primò: quia partes determinatæ non sunt diuersæ rationis à proportionalibus; imò pars determinata nil aliud est, quã infinitæ proportionales simul sumptæ: sed per te non est cõtra rationem vnius partis proportionalis penetrari cum alia: ergo neq; contra rationem partis aliquotæ, præsertim cum partes omnes quantitatis sint homogeneæ interse, & cum toto.

21 Secundò: quia, si partes immediatè continuatæ per indiuisibile A. sunt in eodem loco cũ illo, sequitur, quod omnes partes illis subsequentes debeant esse in hoc eodem loco: quia ideò per te hæ partes debent esse in eodem loco cum indiuisibili A. quia continuãtur per illud: sed partes istis immediatæ continuantur etiam illis per alia indiuisibilia: ergo tam partes immediatè, quam indiuisibilia cõtinuantia debent esse in eodem loco cum istis partibus: deinde idẽ erit de subsequentibus: ergo omnes

nes partes cuiuslibet quantitatis erunt semper in eodem loco: Id clarius vigebitur infrà, dùm agamus de successiuis.

22 Ad argumentũ ergo respõdeo, punctum immediate additum puncto illud tangere secundùm se totũ, nec propterea esse penetratum cum illo: quia cõtactus duorum nihil aliud est, quã quod immediate collocetur vnum post aliud; ita vt nihil mediet inter vtrũque, cum autẽ indiuisibile nullas habeat partes, eò ipso quod est alteri immediatũ, tangit illud secũdũ se totũm. Id autẽ aliter cõtingit in manibus mutuò applicatis quia cum quælibet habeat partes, non potest secundum se totam tangere aliam, quin omnes illius partes sint alteri immediatę, quod fieri nequit sine penetratione omnium partium cuiuslibet manus.

23 Secundò argumentantur Aristotelici: ex non quantis non potest resultare quantum. sed pũcta non sunt quanta: ergo non potest resultare ex illis continuum, quod est quãtum. In primis maior propositio est falsa, quia ex his, quæ nõ sunt homo, vt ex materia, & forma potest resultare homo: cur ergo non posset ex non quantis resultare quantum? Deinde; admissâ maiori propositione, nego minorem, quia, vt docuimus in Logica, essentia quantitatis consistit in impenetrabilitate: atqui pũctum quodlibet est impenetrabile cum alio iuxta sententiã Zenonis: ergo habet rationem quantitatis.

24 Tertiò argumentantur ex definitione continui: continua enim sunt, *quorũ vltima sunt vnita*: sed duo puncta nõ habent vltima: ergo non possunt continuari. Negant maiorẽ Zenonistæ: continua enim in sententiâ eorum sunt ea, quæ vniuntur interse, tanquã partes integrales, contigua vero sunt in horum sententia, quæ cum sint localiter proxima, non sunt vnita.

SECTIO III.


Examinantur mathematica argumenta.

25 NOn nulli ex authoribus, qui Philosophum sequuntur parum fidentes argumentis philosophicis, quibus vsus est ipse Aristoteles, ad Mathematicam confugiunt, & inde sibi videntur suam sententiam demonstrare. Mihi vero vel ex eo non faciunt fidẽ hęc argumenta, quod Aristoteles Mathematices peritissimus ea hic non adduxerit ad suam sentẽtiam comprobandam, ratus forsan vel nullam vim habere contra Zenonem, vel si quã, æque pugnare cum sententiâ ipsius.

26 Argumentantur ergo primò ponamus circulum sedecim punctorum, cuius centrum erit punctus æque distans ab omnibus punctis illius circuli: ab hoc centro potest duci recta linea ad quodvis punctum circumferentiæ circuli, vt demon-

strant

frant Mathematici; vnde cum circumferentia circuli sit sedecim punctorum, sedecim lineæ rectæ duci poterunt à centro in ipsam circunferentiam. Deinde, ponamus alium circulum intra primum in ea distantia à centro, in qua sit duplo minor, quã ille primus: eo modo, quo hìc conspicitur



In hoc casu vel aliquæ ex lineis ductis à circulo maiori in centrũ penetrãtur in circulo minori, vel nõ. Si primũ: ergo datur naturaliter penetratio duarum linearũ, quod nõ admittunt Zenonistæ. Si secundũ: ergo cuilibet ex illis lineis respondet diuersum punctũ in circulo minori; atque adeo continebit sexdecim puncta, eritque æqualis cum circulo maiori, quod est ridiculum. In sententia vero Aristotelis non videtur habere, vim hoc argumentum, quia, cum in quouis circulo sint infinitæ partes proportionales, tot puncta erunt in vno, quot in alio, quandoquidem vnum infinitum nequit esse maius alio.


27 Cæterum, certum mihi est, rationem prædictam non minus, quam Zenonem, Aristotelem impetere: quia, licèt in quolibet ex illis circulis sint partes infinitæ, negari nequit, in circulo maiori esse partes, quæ adæquatè respondeãt omnibus partibus circuli minoris, & præterea alias: vel ergo lineis ductis à punctis harum partium respondent noua puncta in circulo minori; vel non? Si primũ, non solum habet circulus minor puncta, quibus adæquatur vni medietati circuli maioris; sed alia etiam, quibus adæquatur alteri medietati: quod quis non videat esse falsum? Si secundum: ergo aliquæ lineæ circuli maioris penetrãtur in circulo minori. Agnosce tuas consequentias.

28 Respondeo ergo, quodlibet punctum circuli minoris, esse quasi terminum, in quem terminantur duæ lineæ circuli maioris, ex quo puncto vsque ad centrum vna tantum ducitur linea, quæ per ipsum punctũ minoris circuli cõtinuatur cum duabus lineis ductis à circulo maiori. Ratio huius est: quia ita ducuntur lineæ à circunferentia circuli in centrũ, vt quando sunt proximæ centro, non tantum distent inter se, quantum distabant iuxta ipsam circunferentiam, vt patet experientia: sed lineæ ductæ ex duobus punctis immediate vnitis erant contiguæ iuxta circunferentiã: ergo ita poterunt approximari centro, vt iã non sint contiguæ; sed terminentur in aliquo puncto, in quo vtraque continuetur cum vnica linea inde in cẽtrum deducta: Nec propterea hæ lineæ erunt curuæ, quia ad hoc, vt sint rectæ sufficit, quod à circunferentia in centrum ducantur breuiori via, qua possint,

quod

quod quidem ita contingit in istis lineis: dum enim rectæ ducuntur à circunferentiâ in centrum, ita debent procedere, vt, quando sunt proxima centro, non tantú distent interse, quantum distabant iuxtà circunferentiam, vt paulo ante dicebamus; & ideo iuxta centrũ terminari debet vtraque in vno puncto circuli interioris, ex hoc autẽ fiet, breuiorẽm viã, qua duci possunt ad centrum, esse punctum illud, atque adeo rectà procedent per illud.

29 Argumẽntantur secundò: ponatur quadratum cuius quælibet linea lateralis constet octo pũctis deducatur alia diametralis ex vno angulo in alium eo modo, quo apparet in hac figura.




Si sententia Zenonis esset vera, sequeretur, quamlibet lineam lateralem esse æqualem cum diametrali, quia à qualibet costa in oppositam possent duci octo lineæ, quæ cum diametralem lineam intersecent, necessarium est, quod cũlibet respondeat vnum punctum in linea diametrali: ergo, cũ lineę sint octo, octo tantum puncta erunt in lineâ diametrali: quod aduersatur experientiæ ostendenti lineam diametralem esse maiorem, quauis laterali.

30 Proresponsione aduerto, sæpe sæpius contingere, quod propter certam punctorum, seu linearum dispositionem duo puncta, seu duę lineæ attingant vnum tantum punctum. Id cernitur in centro circuli, quod est terminus omnium linearum, quæ ducuntur à circunferentia in illud propter dispositionem ipsius centri, & linearum. Plura alia possem adducere exempla; sed hoc sufficiat. Ex quo ad argumentum respondeo, non per quæcunque puncta diametri duci posse distinctas lineas ab vna costa in aliam; nam, cum linea diametralis non rectà descendat à costa superiori ad inferiorem; sed aliquantulum obliquè, necessarium est, quod linea ducta ab vna costa laterali in aliam oppositam sæpè attingat duo puncta lineę diametralis, & sæpè vnũ tantum, quo fiet, vt linea diametralis sit aliquantulo maior, quam lateralis.

31 Tertiò argumentantur: ex sententia Zenonis sequitur, lineã ductam supra basim trianguli inter latera ipsius trianguli esse maiorem ipsâ basi, quod aduersatur Euclidi oppositum demonstranti, lib. 2. propositione 21. Sequelam probant: contineat basis quatuor puncta, & totidem quælibet linea lateralis: si à superiori puncto vnius lateris ducas lineam ad superius punctum alterius lateris, illa linea constabit saltem duobus illis punctis superioribus; deinde, si ducas aliam lineam à puncto immediate inferiori ad aliud alterius lateris,


lateris, cõstabit tribus punctis talis linea, quia debet esse maior ahâ superiori: præterea, tertia constabit quatuor punctis, & quarta quinque; ac per consequens linea, quæ immediatè est supra basim, erit maior ipsâ basi, quia hæc, vt suppositum est, tantum habet quatuor puncta.

32 Respondeo, illas tres lineas dupliciter disponi posse. Primò ita, vt perfectum triangulum constituant. Secundò ita, vt non faciant triangulum perfectum, sed in modum pyramidis protendantur supra basim. Vtriusque typum habes in figuris hìc positis.



Si primo modo disponantur, quælibet ex illis lineis non constabit quatuor punctis adæquate distinctis à punctis alterius, quia punctum angulare in triangulo perfecto est commune duabus lineis, vtpotè quod illas terminat, atque adeo quælibet ex illis lineis habet duo tantum puncta propria, & alia duo communia; illa videlicet, quæ in vtraque extremitate faciunt angulum cum lineis illi proximis. Ex quo fit, non posse ab vtroque latere in aliud duci quatuor lineas supra basim, vt contendebat argumentum; sed duas tantum: vnam, quæ sit immediata post supremam cuspidem, & duo tantum habeat puncta (ea videlicet, quæ in lineis lateralibus immediatè, terminantur punctõ angulari superiori.) Alia vero linea erit immediata basi trianguli, & continget tria tantum puncta. Deinde basis habet quatuor puncta. Ex quo fit, nullam lineam existentem supra basim in triangulo perfecto esse maiorem ipsa basi. De lineis hoc modo dispositis procedit demonstratio Euclidis, quia in perfecto triangulo, quo magis distant à centro puncta linearum lateralium, magis distant inter se. cum autem puncta, inter quę cõtinetur basis, plus reliquis distent à centro superiori trianguli, magis distabunt inter se, ac per consequens linea inter illa contenta, erit maior reliquis in illo plano contentis. Si verò lineæ illę disponantur in modum pyramidis, necessarium non erit, quod quo magis distant puncta illarum à cuspide superiori, magis distent inter se; sed puncta vtriusq, lineæ, quæ inæqualiter distant à cuspide possunt æque distare inter se: vndè licet plures lineæ ducantur inter basim, & cuspidem superiorem, quam in triangulo perfecto, nulla tamen erit basi maior.

33 Quarto argumentantur: si in diametro alicuius quadrati fiũdetur aliud quadratum, hoc vltimum erit duplo maius illo primo, vt constat ex Euclide, & hæc figura demonstrat: sed, si lineæ cõstẽt



solis

folis punctis finitis, non poterit tale quadratum esse duplò maius alio: ergo; &c. Minor probatur: quia quocunque modo supputentur puncta vnius, & alterius, semper inuenietur, quod quadratum maius vel non habeat tot punctā, quæ sufficiant ad hoc, vt sit duplo maius, vel plura habeat supra duplam partem. Audiui à præceptoribus mathematices, hoc argumentum præ alijs rem planè euincere contra Zenonem. Cæterum facile me expedio ab illo: dico enim, quadratum illud maius non debere necessario, ita explere duplam partem alterius, vt illam non excedat, aut, ita illam non excedere, vt illā expleat. Neque aliquod potest esse argumentum, quod opositū cōuincat. Et, vt clarius pateat, finge tibi quadrangulū, cuius singulæ lineæ sint quinq; punctorū, totūplanumillius constabit viginti quinq, punctis. deinde linea diametralis erit septē pūctorum (neq, enim plures habere poterit) & ideo quadrangulus in illa fundatus constabit quadraginta nouem punctis: ergo vnum illi deerit, vt duplam partem expleat prioris quadranguli: ergo non est de ratione posterioris quadrāguli, quod duplā partē prioris ita expleat, vt illā nō superet; vel ita nō superet, vt omnino expleat.

34 Quinò argumentantur: sequitur ex sententiâ Zenonis, nō posse quāmbet lineā diuidi in duas partes æquales contra Euclidem. Sequelam probant quia, si linea constet finitis punctis, demus aliquam constare quinque: qua ratione diuidetur hæc in duas partes æquales? Vna enim tria, altera vero duo tantum continebit puncta. Respondeo, non posse quamlibet lineam in duas æquales partes diuidi, si in vtraque parte conseruanda sint omnia puncta, quæ continebantur in linea diuisa; neque id potest demōstrari. Poterit tamen linea continens puncta non paria diuidi in partes, quæ sint æquales, si punctum aliquod in lineâ ipsâ anteà contentum ab vtraque parte separetur. In hunc sensum intelligenda est demonstratio Euclidis. Ex dictis solui possunt alia argumenta mathematica, quæ adduci solent pro Aristotele. Plures vero demonstrationes Euclidis expliari possunt de lineis imaginarijs, quas nos possumus fingere, non de realibus, quæ de facto continentur in quadratis, seu alijs figuris mathematicis, ex quibus deduci solent similia argumenta.

SECTIO IIII.

Examinatur argumentum de velocitate motus?

35 Aliâ viâ tentant Aristotelici euertere Zenonis sentētiā ex velocitate motus. Sic igitur argumentantur: si continuū constaret ex solis indiuisibilibus, nō posset dari vnus motus velocior alio hoc antē est cōtra experiētiā: ergo Maio. prob. moueantur testudo, & aquila per dimidiam horam. Aquila non acquiret plus spatij, quam testudo, nam testudo in singulis instātibus tēporis acquiret singulā

singula puncta spatij; aquila vero non potest in quolibet instanti tẽporis acquirere, nisi vnum punctum spatij, cum non possit transire ad secundum punctum, quin prius acquisierit primum: ergo aquila non plus spatij acquiret in dimidiâ horâ, quam testudo. Hoc autem quis non rideat?

36 Difficile quidem argumentum, sed quod eandem vim planè habet contra Aristot. Quia, licet in qualibet hora, seu quadrante dentur infinitæ partes, ac instantia temporis, &, in quolibet spatio infinitæ partes, ac puncta; si testudo, & aquila moueantur simul per vnum quadrantem horæ, testudo in qualibet parte proportionali temporis acquirit partẽ proportionalem spatij; & in instanti punctum spatij; aquila vero in qualibet parte proportionali tẽporis non poterit acquirere, nisi vnã partem proportionalem spatij, & in quolibet instanti non acquiret nisi vnum punctum spatij: ergo aquila non acquirit plus spatij, quam testudo, si in eodem spatij, quam testudo, si in eodem tempore mouentur. Eadem argumentum contra tuam sententiam.

37 Respondent aliqui ex Aristotelicis, motum aquilæ esse velociorem, quia partes eius magis comprimuntur inter se. Sed nescio, qua ratione ista compressio intelligenda sit: quia nulla datur pars proportionalis temporis seorsim sumpta, in qua aliquam partem proportionalem spatij non acquirat testudo: deinde nulla datur pars proportionalis temporis seorsim sumpta, in qua aquila duas partes spatij acquirat simul: qua ergo ratione comprimuntur magis inter se partes motus aquilæ?

38 Dicent: in qualibet parte temporis acquirunt partem aliquam spatij testudo, & aquila; cum hoc tamen discrimine, quod aquila acquirit maiorem partem spatij in eâdem parte temporis. Sed contrà: hanc partem spatij, quam vocas maiorem, ita acquirit aquila, vt successiue omnes eius partes percurrat viam post aliã, nec duas simul quantumuis minimas acquirat: atqui testudo in quâuis parte temporis, quantumuis minimâ nouam partem spatij acquirit: ergo non plures partes spatij acquirit aquila, quàm testudo, neque maiores.

39 Nonnulli tam ex Aristotelicis, quam ex Zenonistis, vt singuli in sua sententia argumento præfato satisfaciant, viam aliam satis difficilem inuenere. Dicunt enim, motum localem intercipi quibusdam morulis, per quas mobile quiescit in spatio, eòque motum velociorem fore, quò pauciores morulis intercipitur, quia citius percurrit spatium. eo vero tardiorem, quò plures admittit morulas, quæ longiori tempore percurrit idem spatium. Has morulas dicunt aliqui prouenire ex naturâ corporum, quæ mouentur, seu causarum à quibus mouentur. Alij vero dicunt prouenire à resistentiâ corporis existentis in medio, in quo peragitur motus, eoq; plures

plures fore, quò maior fuerit resistentia medij, & minor actiuitas mouentis; eò verò pauciores, quò maior fuerit actiuitas mouentis; & minor resistẽtia medij. Hãc sententiã tradiderunt Galen. lib. 1. de dignoscendis pulsibus cap. 10. & Vallesius lib. 3. controu. medicar. cap. 8. Quibus nonnulli recentiores subscribunt.

39 Semper mihi displicuit hæc sentẽtia. Primò, quia demus, manum ita velociter moueri, vt in dimidiâ horâ leucã percurrat, eodem tẽpore percurrit Sol plusquam centum quinquaginta mille leucas, atque adeo eo tẽpore, quo manus vnum punctum spatij acquirit, necesse est acquirat cælum centum quinquaginta mille puncta spatij: ergo post quodlibet instans, quo manus acquirit vnum punctũ spatij, debet quiescere per centum quinquaginta mille instãtia, quæ consumit Sol in acquirẽdis centum quinquaginta mille punctis spatijs. Est certũ. Ex hoc infero, quod post quenlibet instantaneum motum manus, esset oculis percipiẽda quies centum quinquaginta mille instantiũ: atqui hanc quietem non percipimus: ergo non datur talis quies. Hæc ratio videtur mihi aperte demonstrare falsitatem oppositæ sententiæ. Neque responderi potest, eam quietem videri, ita tamen imperfectè, vt clare distingui nequeat. Hoc, inquam, nullius est momenti; quia, si discernitur motus instantaneus per cẽtum quinquaginta mille instãtia interceptus, cur non discernetur interruptio illa totidem lõgior ipso motu?

40 Secundò quia, dum mouetur rota, certum est, velocius moueri partes, quæ sunt in extrema parte circunferentiæ, quam illę, quæ sunt prope cẽtrum ipsius rotæ, plus enim spatij percurrunt priores partes: sed in hoc casu partes existentes prope centrum non faciunt plures morulas, quã partes procul existentes à cẽtro: ergo tarditas, & velocitas motus non est explicanda per plures, aut pauciores morulas. Minorem probo, & claritatis gratiã ponatur linea viridis recta à centro vsque ad circunferentiam rotæ. In hoc casu si pars A. existens in extremitate rotæ moueretur, quiescente parte B. quæ est prope centrum, linea viridis eâ parte, qua attingit partem B. quiesceret; eâ vero parte, qua attingeret partem A. mutaret locum: ergo vel discontinuarentur partes lineæ viridis, vel saltem fieret curua talis linea, vt ex se patet: atqui neque discontinuantur eius partes, neque ipsa fit curua, vt constat experiẽtiâ: ergo non mouetur extrema pars circunferentiæ quiescente illâ, quæ est prope centrum. Infra explicabo, qua ratione sit soluendum hoc argumentum in vtrâque sententiâ.

41 Aliud adducitur argumentum ex Concilio Constantiens. vbi videtur damnata sententia Zenonis. Etenim sess. 15. inter alias propositiones Vuicle-

phi refertur. *Linea aliqua mathematica componitur ex duobus, aut quatuor punctis immediatis, aut solum ex punctis simpliciter finitis.* Post quam propositionem subditur *Prima pars est error in philosophia*. Damnatur ergo in Concilio sententia Vvicleffi, quæ est eadem, ac Zenonis. Cæterũ Concilium hoc nihil fauet Aristotelicis; quia, vt constat ex præfatione ad Lectorem, quæ est in tom. 3. conciliorum, ea verba non sunt Concilij, sed appendicis additæ Cõcilio operâ cuiusdam Canonici Colonienſis, quam quidẽ appendicem Typographus fatetur esse mendosam, ideoque non in omnibus editionibus reperitur, vt testatur P. Arriaga hìc sect. 8. subsect. 3: Adde, quod inter triginta propositiones, quas Martinus V. Concilij illius confirmator refert ex Vvieleffo, & Husio sess. 45. vbi illorum errores damnauit, non cõtinetur propositio suprà adducta. Neq; video, qua ratione opinio mere philosophica ad Concil. pertinere posset, cum ad Concilia, tantum pertineat agere de rebus Fidei, vel ad Fidem pertinentibus.

42 Denique obijcitur August. tom. 1. lib. de Quant. animæ capit. 11. & 12. Sed ibi neutri sententiæ fauet August. Deinde si faueret Aristotelicis, posset explicari ita, vt non loquatur ex propriâ; sed ex Aristot. sententiâ, quę tunc temporis forsan erat õnibus inter philosophos Hæc sunt, quæ pro Aristot. sententiâ adduci possunt. Videamus modò, quid habeat ponderis sententia Zenonis.

SECTIO V.

Zenonis sententia ponitur, & probatur.

ZEno magni olim habitus apud philosophos docuit contra Arist. continuum ex solis indiuisibilibus finitis componi. Consenserunt illi Democritus, Leucippus, ac vniuersa Stoicorum familia, quos secuti sunt postea maior, & Gerard. deinde P. Tolet. lib. 6. Physic. text. 23. quæst. 1. testatur, aliquos authores hanc sententiam tutatos fuisse eo tempore, quo ipse suam philosophiam scribebat. Eandem sententiam fatetur se tradidisse in suâ philosophiâ P. Herice in 1. part. tractat 4. dist. 43. cap. 2. Et ita inualuit hâc nostrâ ætate, vt triginta ab hinc annis plures Magistri ex nostris in Prouintia Castellana eam defenderint, quos iam sequuntur nonnulli ex hâc nostrâ Toletanâ. Probatur 1. hæc sententia: quia non potest continuum infinitis partibus constare: ergo debet constare indiuisibilibus. Antecedens probatur: quia, si Deus omnia indiuisibilia, quibus hæ partes vniuntur, corrumperet, nihil ibi remaneret diuisibile, seu compositum; quia compositum, seu diuisibile essentialiter dicit vnionem, media qua partes totum componant, & per cuius destructionem totũ in ipsas par-

partes diuidatur: ergo quæ remanerent essent indiuisibilia : ergo continuum defacto componitur ex indiuisibilibus.

44 Respondeti solet id repugnare, quia, cum de essentiâ cuiuslibet continui sit esse diuisibile in semper diuisibilia, non possunt indiuisibilia ita separari, vt partes maneant sine illis. Sed cõtrà : in primis hæc videtur manifesta petitio principij quia argumentum oppositum intendit probare, continuum non esse diuisibile in semper diuisibilia, & respondes, non posse Deum omnia indiuisibilia à partibus separare, quia continuum est diuisibile in semper diuisibilia : ergo reddis tuam conclusionem pro ratione. Secundò: ita includuntur in continuo partes, & indiuisibilia, vt reuerà distinguantur realiter ab illis tanquam modi illarũ cur ergo non poterit Deus cessare à conseruatione omnium indiuisibilium, quin cesset à conseruatione partium.

45 Sed age iam: demus, quod non possint adhuc de potentiâ Dei manere in rerum naturâ partes sine indiuisibilibus. Certe negari nequit continuum ita includere partes, & indiuisibilia, vt Deus cognoscat, omnia indiuisibilia realiter esse à partibus distincta. Vel ergo eas partes, quas cognoscit distinctas realiter ab indiuisibilibus, videt esse indiuisibiles, vel diuisibiles. Si primũ, habeo intentum. Secundùm, non potest dici: quia, si cognoscit Deus eas realiter distinctas ab indiuisibilibus omnibus, non potest eas cognoscere vt includentes indiuisibilia sub ea ratione, qua eas cognoscit vt distinctas ab omnibus indiuisibilibus. ergo neq, potest eas cognoscere vt compositas: ergo, neque vt diuisibiles: ergo vt indiuisibiles.

46 Confirmatur: quia, dum pars A. vnitur parti B. per indiuisibile continuatiuum vtriusq, videt Deus has partes immediate attingi per illud indiuisibile continuatiuum taliter, vt nullum indiuisibile ex his, quæ in istis partibus includuntur, immediate attingatur ab illo continuatiuo ; quia nullum indiuisibile attingit in cõtinuo immediate aliud; sed semper mediat pars inter illa : ergo videt Deus, eas partes immediate attingi à suo continuatiuo secundum aliquam rationem, quæ adæquate distinguatur ab omnibus indiuisibilibus, quibus constat vtraque : hoc autem non potest esse diuisibile: ergo, &c.

47 Probatur secundò sententia Zenonis: quia, si continuum constaret infinitis partibus, & punctis, actu haberet extensionem simpliciter infinitam, quod est contra manifestam experientiam, nam ita continerentur hæ partes in continuo, vt nulla esset cum alia penetrata, vt constat ex sectione. 2 ergo quælibet occuparet diuersum locum, ac alia, ac per consequens componeret extensionem, quæ non posset successiue percurri : ergo con-

nuum haberet infinitam extensionem simpliciter.

48 Respondent, continuum no habere infinitam extensionem simpliciter; quia partes proportionales sunt indeterminatæ, & inter se communicantes, & inclusæ in partibus determinatis. Sed cõtra. in primis nescio, cur hæ partes dicendæ sint indeterminatæ, & inassignabiles; quia ita videt Deus hanc partẽ A. vniri immediate cum hac parte B. proximâ, vt etiã videat vnionẽ partis A. nõ attingere immediate aliquod ex indiuisibilibus, quibus cõstat pars B. cui vnitur; sed aliquid antecedens ea omnia indiuisibilia: ergo recte potest Deus assignare, & determinare partem, quam attingit vnitiuum partis A. quæ quidem sit ante omnia indiuisibilia, quæ in ipsâ parte B. continentur. Vel, si id non concedas, teneris fateri; Deum non cognoscere illud, cui immediate vnitur pars A. qui est error peior priore. Deinde, licèt hæ partes includantur in aliquotis, nihilominus quælibet est in diuerso loco, ac alia: ergo si infinitæ sint, infinitam component extensionem.

49 Confirmatur: quia, si continuum constaret ex solis indiuisibilibus, quorum quodlibet esset extra aliud (vt docet Zeno) & ea essent infinita, nullus est, qui dubitet, tale continuum fore infinite extensum: sed nulla est pars proportionalis, quantunuis indeterminata, quæ maiorem continuo non addat extensionem, quam addaret quodlibet indiuisibile: ergo, si dentur infinitæ partes proportionales, cum quælibet debeat esse extra aliam, infinitam constituent extensionem, neque contineri poterunt in partibus determinatis finitis.

SECTIO VI.

Probatur eadem sententia in successiuis.

50 Difficilia sunt ea argumenta, quæ hucusque formata sunt in continuo permanente cõtra Arist. sed multo difficiliora, quæ formari possunt in cõtinuo successiuo, quale est tẽpus, quibus ita opprimuntur Aristotelici, vt ingenue fateantur nulla ratione posse illis satisfieri. Cæterum antequam argumenta proponã, suppono id, quod docui disp. præcedenti sect. 1. nempe in motu esse quasdam partes simul coexistentes, & quasdam successiuas; tempus vero ex his vltimis coalescere. Hoc supposito, probandũ est, tempus non posse constare partibus successiuis in infinitum diuisibilibus, sed ex solis instantibus componi.

51 Argumentor 1. vel id, quod immediate succedit post hoc instans, est diuisibile, vel indiuisibile (loquor de diuisibilitate partium successiuarum.) Si indiuisibile, habeo intentum. Si diuisibile, vel habet suas partes omnes simul immediate post hoc instans; vel omnes successiue vnam post aliam. Si omes simul: ergo est indiuisibile quo ad successionẽ, ac per consequẽs non constituit partes

tes temporis; sed instans. Si verò habet successiuè omnes vnã post aliam: ergo omnes partes sunt vltimo diuisæ, ac per consequẽs omnes erunt indiuisibiles. Consequentia non potest negari: quia si, quando est vna pars, nulla alia coexistit cum illâ, non poterit in plures partes diuidi, atque adeo erit indiuisibilis: igitur quocunque modo philosopheris, teneris admittere tempus componi ex solis indiuisibilibus.

52 Respondent aliqui, immediate post instans succedere partes ita, vt non existant secundum se totas; sed in transitu, & successiue per aliquid sui. Sed contrà: illud aliquid sui, per quod existunt partes immediate post instãs, aut est diuisibile, aut indiuisibile. Si indiuisibile: ergo tempus nihil aliud est, quam instantia sibi succedentia. Si diuisibile: vel habet omnes suas partes simul, & sic erit duratio instantanea, vt supra dicebamus: vel omnes partes habet successiuè vnam post aliam, & sic erunt vltimo diuisæ, ac per consequens quælibet seorsum se erit indiuisibilis, & instans.

53 Thomistæ aliã viã inierunt: dicunt enim, partes temporis nunquam existere ratione sui; sed ratione instantis, ita vt partes temporis sint præteritum, & futurum, quæ ratione tantùm instãtis, quod mediat inter vtrunque, dicuntur existere. Sed cõtra vel pars præterita habuit existentiam ante instans, & futura illam habebit post instans, vel nullam aliam existentiam habere possunt, nisi existentiam instantis. Si primum: ergo non dicuntur existere ratione instantis, sed ratione sui. Patet consequentia: quia pars præterita reuerà habuit existentiam ante instans; pars futura reuerà illam habebit post instans: ergo, quando pars præterita habuit existentiã, non erat instans; & quãdo pars futura existentiã habebit, non erit instans: ergo neq; pars præterita habuit existentiã, neq; pars futura illam habebit ratione instantis. Si verò dicatur secundũ: ergo, quãdo existit instãs, neq; vna est præterita, neque altera futura. Patet consequentia: quia præteritũ dicitur, quod, cũ fuerit, non est modò, & futurũ, q., cũ modò non sit, erit postea; sed per te nulla pars existit ante instãs, neq; vlla existeret post illud: ergo neque vlla est præterita; neque vlla futura erit. Præterea, si existentia partium est ipsa existentia instantis, cũ id neque modò sit præteritũ, neq; futurum; sed præsens, necessarium est, quod neq; pars vna sit præterita, neque alia sit futura; sed vtraque præsens modò.

54 P. Hurtad. hic sect. 5. à num 79. parum fidens prædictis solutionibus aliam adhibet, nescio an tutiorem. Docet ergo, partem præteritam, & futuram temporis coexistere cum instanti intermedio secundum partes proportionales indiuisibiliter, hoc est, non secundum aliquam partem integram, sed tantum secundum aliquid illius. Docet autem

hanc coexistentiam duo præstare. Primũ, quod partes temporis sint præsentes in instanti. Secundum, quod vniantur medio instanti. Putat enim perdoctus Pater, vniri non posse partes temporis, nisi simul coexistant secũdùm eas partes, secundùm quas immediatè vniuntur.

55 Multa mihi displicent in hac solutione. Et in primis, si partes proportionales coexistunt cũ instanti, nescio, qua ratione possint esse partes temporis secundũ id, per quod coexistunt cũ instanti: quia partes temporis vt tales dicunt successionem: sed illæ duæ partes secundùm illud aliquid sui non sibi succedunt; sed sunt simul cum instanti: ergo secundùm illud non sunt partes tẽporis. Cõfirmatur: quia noua pars tẽporis etiam indeterminata augeret durationem saltem indeterminate: sed per te illæ partes proportionales secundũ id, per quod coexistunt cũ instãti, non augent durationem, quia sunt simul cum ipso instanti: ergo non sunt partes temporis.

56 Secundò: ex tuâ doctrinâ sequitur, in vno instãti esse quidquid hucusq; fluxit temporis à primæuâ mundi conditione. Sequelã probo: quia per te, vt hæc pars proportionalis A. vniatur cum parte sequenti B. est, necessariũ, quod vtraque coexistat in instãti intermedio; deinde, cum hæ partes vniri debeant cũ sequentibus, necessariũ erit, quod pars proportionalis B. vnienda cum parte sequenti C. coexistat cum illâ in instanti intermedio; & rursus pars C. cũ parte D. & sic de reliquis. Ex his sic argumentor: quidquid coexistit cũ parte B. debet coexistere cũ toto illo, cũ quo coexistit ipsa pars B. sed per te pars C. & instans illam antecedens coexistunt cũ parte B. ergo debent etiã coexistere cum parte A. & cũ instanti illi adiuncto, cum quibus fateris, etiam coexistere partem B. & idem argumentum potest fieri de reliquis partibus subsequentibus: ergo omnes partes temporis erũt simul in eodẽ instanti. Vide in quot angustias te conijcias.

57 Secundò sic argumentor contra infinitudinẽ partium temporis argumento, quo vtebatur Zeno cõtra Arist. quia, si in quâlibet horâ essent infinitæ partes sibi succedentes, nunquam posset elabi vna hora: hoc non est concedendum: ergo neque illud, ex quo sequitur. Maiorem probo: quia infinitum non potest successiuè pertrãsiri: sed per te in qualibet horâ sunt infinitæ partes sibi succedentes: ergo non potest vna hora pertransiri, seu finiri. Idem est in motu locali, quia, si mobile omnes partes proportionales spatij acquireret successiue vnã post aliã, cũ hæ sint infinitæ per te, nunquã poterit mobile ab illo angulo in istum transire.

58 Dicunt, eas partes esse indeterminatas, & inclusas in partibus determinatis, & ideo posse pertransiri. Sed contrà: etiamsi partes proportionales, quæ sunt in continuo permanente, sint indeter-

terminatæ, & inclusæ in partibus determinatis, nihilominus nequeũt successiuâ diuisione omnes separari ; non alia de causa nisi quia sunt infinitæ: ergo, cum partes tẽporis, & motus sint infinitæ, etiãsi indeterminatæ sint, nõ poterunt successiuè elabi, seu transiri.

SECTIO VII.

Explicatur continui compositio in sententiâ Zenonis.

159 IN sententiâ ergo Zenonis continuũ componitur ex solis indiuisibilibus finitis, ita inter se dispositis, vt ex pluribus punctis inter se vnitis resultet linea: Deinde, si duę lineæ ita disponantur, vt vna vniatur cũ aliâ ad latus resultabit superficies. Præterea, si super has duas sic vnitas aliæ duę eodẽ modo vnitæ collocentur, resultabit corpus. Hinc fit primò, quod continuũ quodlibet sit diuisibile, videlicet, linea secundùm longitudinem, quia cõponitur ex punctis, quorum quodlibet potest ab alio seorsim separari, superficies vero est diuisibilis secundùm latitudinem, quia resultat ex lineis, quarum quælibet potest ab alia seiungi, corpus denique est diuisibile secundùm profunditatem, quia constat superficiebus, quæ adinuicem diuidi possunt.

160 Fit secundò, duplex genus partium posse distingui in quovis continuo. Aliæ sunt indiuisibiles, quæ ex partibus alijs non resultant, qualia sunt puncta singula respectu lineæ, quæ nullam patiũtur diuisionem: partes huius generis dicuntur primæ, quia sunt primæ, ex quibus incipit compositio continui. Aliæ vero partes sunt diuisibiles, & dicuntur secundæ; vt, in linea quatuor pũctorũ quælibet medietas dicitur pars diuisibilis, quia quæuis potest diuidi in duo puncta; dicitur etiam pars secũnda, quia ita concurrit quælibet medietas ad cõponendam lineam quatuor punctorũ, vt ipsa ex alijs partibus cõponatur, nẽpe ex duobus punctis. Vniuntur autem hæc puncta inter se per vnionẽ superadditam, vt constat ex dictis sectio. 1. nu. 4. An verò linea, superficies, & corpus specie distinguantur iuxta hanc sententiam constat ex dictis in *Logica* disputat. 17. num. 70. & 71.

161 Est tamen nonnulla difficultas circa naturam vnionum, per quas puncta copulantur. Aliqui enim existimant, puncta vniri medio quodam alio indiuisibili interiecto, quod diuersũ occupat spatium, ac ipsa puncta vnita, & est impenetrabile sicut illa. Vide in hâc sententiâ solum distinguuntur pũcta vnita ab vnione in eo, quod vnio est modus, puncta vero res: in reliquis tamen eandem subeunt fortunam, quia, cum omnia sint impenetrabilia secundũ se, secundum se participant rationem quãtitatis. Eodem modo dicunt, lineas vniri mediâ aliâ lineâ modali ad constituendam superficiem, & superficiem ad constituendum corpus vniri mediâ aliâ superficie modali.

86 Ego verò non video, cur iſtæ vniones participare debeant naturâ quantitatis, ſicut res vnitæ per illas Neque eſt aliquid, quod probet, tales vniones diuerſum occupare locum, ac res vnitas. Et ideo exiſtimo, eſſe modos quoſdã penetrabiles cũ punctis, quæ mediis ipſi vniuntur, ita tamẽ, vt neceſſarium non ſit, quod quælibet vnio penetretur cũ vtroq; puncto quæ conjungit, ſed ſufficiat cũ vno ſolũ penetrari, cũ illo videlicet, quod Deus determinet Præterea ponendi non ſunt alii modi, quæ lineam terminent, quia ad terminandum lineam ſufficit vltima vnitas ipſius

63 Rogabis, in quo recipiantur iſtæ vniones? Reſpondeo ſi ſint vniones punctorũ materiæ primæ, in nullo ſubiecto recipiuntur, quia creantur tales vniones, vt probauimus diſ 2, ſect 10. n. 144 Si vero ſint vniones punctorũ quãtitatis, ſeu alterius formæ, quę recipitur in ſubiecto, tunc, vnio vel horũ duorũ punctorũ quantitatis vel recipitur in puncto materiæ primæ, in quo recipitur punctu quãtitatis, cũ quo ipſa vnio eſt penetrata, vel recipitur in vnione punctorũ materiæ primæ recipientiũ puncta ipſius quãtitatis Ex dictis facile deducitur, continuum non cõſtare de facto infinitis punctis, quia cum puncta occupent diuerſum locũ, conſtituunt magnitudinem ſi autem eſſent infinita, neceſſariũ eſſet, quod conſtituerent magnitudinem infinitam Hæc de continuo permanente

64 Continua vero ſucceſſiua ſunt in duplici differẽtia Quædam enim ſunt ſolu ſucceſſiua fieri, ſemel tamen producta perſeuerãt ſimul, vt contingit in productione caloris, ſeu alterius qualitatis habentis contrarium diuiſibile Hæc etſi ſucceſſiue fiant, re tamen ipſa ſunt permanentia, & ideo de illis loquendũ, vt de permanentibus Alia verò ita fiunt ſucceſſiue, vt prior pars non perſeueret, aduenientе ſecundâ, ſed ſtatim effluat, tales ſunt partes motus localis, & partes temporis Hæc exiſtimo non continuari per veram vnionem vnius partis cum alia, ſed ſolũ per immediatam ſucceſsionẽ Ratio eſt clara, quia nõ poteſt dari actu vnio eorum, quæ actu non ſunt ſed aduenientе vno inſtanti temporis, no eſt aliud actu ergo non poteſt vniri cum illo per veram vnionem Tempus ergo nihil aliud eſt (& idem eſt de motu locali ſuo modo) niſi plura inſtantia immediate ſibi ſuccedentia Dicitur autem eſſe vnum, quando non interrumpitur ea ſeries inſtantium immediate ſuccedentium. Ex quo fit, tempus proprie, & ſtricte non eſſe vnum, cum eius partes non vniantur propriè inter ſe

SECTIO VIII

Explanatur difficultas de velocitate motus iuxta ſententiam Zenonis.

65 NOn parum commendatur Zenonis ſenten tia

tis ex eo, quod difficilius, quam fecit 4 tetigimus de velocitate motus, alias insuperabilis facile vincitur in hac sententia Hanc difficultatē diuersis modis soluunt Zenonis sectatores, quos neque vacat referre, neque lubet impugnare Vnum etiam, quē proposuerunt docti recentiores Complutenses nostræ Societatis (licet ipsi in aliud climauerint) eundemque insinuat Card Tolet lib 6 Phys text 23 in appendice ad q 1 §

Præterea reliqua argumenta Pro cuius explicatione noto 1 quod, sicut agēs naturale nō potest agere in passo, cui non est approximatum, ita etiam mobile corporeum non potest per motum localē acquirere præsentiam in spatio, cui non est approximatum Vtrunque constat experientia Est tamē hoc discrimen, quod agens naturale nō aget in spatio, nisi sit illi approximatum in eodem instanti, in quo elicit actionem circa illud vt fatetur communis sententia mobile vero, vt præsentiā acquirat in hoc spatio, necessarium non est, quod in hoc instanti sit illi applicatum, sed sufficit quod immediate antè fuerit applicatum. Ratio est quia necessarium non est, quod in hoc instanti sit applicatum per præsentiam, quam immediatè antè habebat, hæc enim cum incompossibilis sit cum eâ, quam in hoc instanti acquirit, non potest dari in hoc instāti, vt patet sed neque est applicatum per præsentiam, quam in hoc instanti acquirit, applicatio enim mobilis ad spatium requiritur ad hoc, vt hanc præsentiam acquirat in ipso spatio fieri autē quia ex ea præsentia applicet mobile ad se ipsam acquirēdam, quia applicatio agentis ad aliquē effectum producēdum diuersum quid debet esse ab ipso effectu, vt nemo non concedit sufficit ergo, quod immediate ante fuerit mobile applicatum huic spatio

66 Noto secūdo, quod, vt mobile secundūm se totum acquirat præsentiam in spatio sibi proximo, non est necessarium, quod præcesserit illi immediate applicatū secundū omnes suas partes, sed sufficit, quod aliqua pars illius fuerit immediate applicata spatio, & reliquæ media illâ Rem explico Ponatur *mobile* quatuor punctorum applicatum spatio vnius palmi, ita vt quartum punctum mobilis sit applicatum immediate spatio, & alia tria sint extensa suo ordine ante illud quartum Vt primū punctum huius mobilis trāseat ad occupandum primum punctū spatij palmaris, necessarium non est, quod fuerit illi immediate applicatū ratione sui, sed sufficit, quod quartum punctum eiusdem mobilis fuerit immediate applicatū illi spatio, & ratione quarti puncti fuerint mediate applicata alia tria puncta mobilis

67 Id probatur à paritate agētis naturalis quia strictior approximatio requiritur in agente naturali cum passo, in quo agit, quam in mobili cum spatio, in quo acquirit præsentiam, vt constat ex n 65 & nihilominus, vt omnes partes agen-

agentis immediatè agant in passo, non requiritur, quod immediate sint illi applicatę omnes; sed sufficit, quod vna sit immediate applicata, & reliquæ mediate ratione illius, vt docet experientia, & facile probabo in lib. de Generat. ergo ad hoc, vt pars, seu punctũ aliquod mobilis transeat ad aliquod spatium occupandũ, necessarium nõ est, quod fuerit applicatum immediate per se ipsum, sed sufficiet, quod remote medio aliquo pũcto sibi vnito applicatum fuerit.

68 Ex his absq; magna difficultate explanatur velocitas, & tarditas motus. Dico ergo, velocitatem in eo cõsistere, quod in instãti, in quo vltimum indiuisibile mobilis tardi transit ad occupandum primum punctum spatij immediate illi applicatum, in eo ipso instanti punctum penultimũ, seu ante penultimum mobilis velocis transeat immediate ad occupandum primum punctum spatij, cui vltimum punctum mobilis immediate erat applicatum. Ponatur ergo mobile quatuor continens puncta ita disposita, vt constituant lineam rectam, cuius quartum pũctum sit immediate applicatum spatio palmari, & reliqua mediate suo ordine ratione ipsius quarti puncti. Si istud mobile ita moueatur continue, vt in primo instanti quartum punctum eius transeat ad primum spatij, & in secũdò instanti idem quartum transeat ad secundum spatij, & in tertio ad tertium, & sic in reliquis, iste motus erit tardus; & quidem tardior, qui dari possit, si motus sit continuus, quia in quolibet instanti non potest minus spatium acquiri, quam vnum punctum spatij.

69 Si autem in primò instanti tertium punctum mobilis transeat immediate ad primum punctum spatij; & in secundo instanti idem tertium punctum mobilis transeat ad tertium spatij, & in tertiò instanti ad quintum; & sic in reliquis, iam motus non erit ita tardus, ac præcedens, quia cum in eodem instanti, in quo tertium punctum mobilis transit ad primum spatij, debeat quartum punctum mobilis transire ad secundum spatij quãdoquidem non discontinuantur per motum, fit, quod in quolibet instanti denuo acquirat mobile duo puncta spatij simul, & ita breuiùs percurrat spatium. Quod autem mobile trãseat in quolibet instanti ad acquirendum vnum vel duo, vel tria puncta spatii, proueniet ex maiori vel minori impulsu impresso illi à mouente.

70 Ex his fit primò, quod, si magnus aliquis impulsus imprimatur mobili quatuor punctorum v. gr. transibit primum punctum mobilis immediate ad occupandum primum punctum spatij denuo acquirendi, quin prius fiat præsens alijs tribus punctis spatij, quæ occupabant secundum, tertium, & quartum punctum ipsius mobilis. Ratio est: quia, si aliquid obstaret, maxime, quod primum punctum mobilis

non

non fuerat immediate applicatum primò puncto spatij denuo acquirendi; palmaris v. gr. at hoc non est necessarium; sed sufficit, quod præcesserit applicatum mediate, hoc est, medio quarto puncto ipsius mobilis ergo ita efficax potest esse impulsus, vt illud immediate transferat ad occupandum primum punctum spatij palmaris.

71 Dices: non potest primum punctum mobilis trãsire in vno instanti ad occupandum primum punctum spatij, quin quartum ipsius mobilis transeat in eodem instanti ad occupandum quartum punctum illius spatij: atqui quartum punctum mobilis non potest in eo instanti transire ad occupandum quartum spatij · ergo neque primum punctum mobilis potest transire ad occupandum primum spatij. Maior est certa iuxta doctrinam, positam. Minor probatur, quia quartum punctum mobilis non præcessit immediate applicatum quarto spatij, vt constat, neque mediate, quia inter illud, & quartum punctum spatij non mediat aliqua pars illius mobilis: ergo non potest moueri ad illud quartum punctum spatij occupandum. Patet consequentia: quia, vt supra dictum est, nulla pars mobilis potest moueri ad spatium, cui in instãti antecedente non erat mediate saltem applicata.

72 Docti recentiores nostri respondent, quod quamuis quartum illud punctum mobilis, non præcesserit in instanti antecedenti applicatum quarto puncto spatij, in eo tamen instanti supponitur prius natura applicatum, quia primum punctum mobilis prius naturâ transit ad primum spatij, quàm secundum mobilis ad secundum spatij, &, secundum prius naturâ, quam tertium, &, hoc prius naturâ, quam quartum, & ideo primum punctum mobilis applicat secundum ipsius mobilis ad acquirendum secundum spatij; & secundum applicat tertium; & hoc denique applicat quartum.

73 Hæc solutio mihi displicet: quia in probabiliori sententia, cui subscribunt isti recentiores, vt vnum dicatur esse prius naturâ quàm aliud, est necessarium; quòd ita conducat ad positionem alius, vt hoc aliud non conducat ad positionem illius · atqui, suppositâ continuatione illorum quatuor punctorum mobilis, sicut non potest moueri quartum, quin primum moueatur, ita nec potest moueri primũ, quin moueatur quartum · ergo non minus requiritur motio quarti ad motionem primi, quâm è contra, ac per consequens nullum poterit dici moueri priùs naturâ, quam aliud.

74 Respondeo ergo: sicut quartum punctum mobilis applicat mediatè primum ipsius mobilis ad primum spatij, ita mediate applicat se ipsum ad quartum spatij · quia, cum suppositâ hâc continuatione partium mobilis non

non posſit moueri primum punctum mobilis ad primum ſpatij, quin quartum ipſius mobilis moueatur ad quartum ſpatij, eo ipſo quod primum punctum mobilis eſt mediate applicitum primo ſpatij ratione quarti ipſius mobilis, cenſeri debet hoc mediate appliectũ quarto ſpatij ratione ſui

75 Fit ſecundo, prædictũ motum fore velociſsimum omnium, quibus moueri poteſt mobile quatuor punctorũ. Ratio eſt quia inter motus, qui dari poſſunt in aliquo mobili, ille erit velociſsimus, qui quolibet inſtanti denuo acquirat ipſum mobile omnia indiuiſibilia ſpatij, quæ poteſt ſimul acquirere ſed mobile quatuor punctorum nõ poteſt denuo ſimul acquirere in vno inſtanti pluſquam quatuor punctũ ſpatij ergo motus, quo ea ſimul denuo acquirit in quolibet inſtanti, eſt omnũ velociſsimus. Minor patet probo quia primũ punctum mobilis non poteſt moueri ad ſpatiũ, cui non ſit applicatũ vel immediate per ſe, vel ſaltem mediate per aliquod punctũ eiuſdem mobilis, ſed ex punctis ſpatij illius palmaris, nulli alteri eſt applicitum primum punctum mobilis, niſi primo, cui non ratione ſui immediatè, ſed ratione quarti punctũ ipſius mobilis eſt applicatum; ergo ad nullum aliud vltra illud poteſt tranſire in primo inſtanti. Deinde, cum in hoc inſtanti occuper hoc mobile quatuor tantum puncta ſpatij illius palmaris, primum punctum mobilis applicatur tãtum quinto ſpatij ratione quarti ipſius mobilis & ideo in inſtanti ſequenti poterit primum punctum mobilis tranſire ad quintum ſpatij & non ad aliud vltra illud & ſic in reliquis inſtantibus

76 Obijcies totum mobile nõ poteſſe Compluto immediate ſe conſtituere Matriti abſque tranſitu per medium ergo neque primum punctum huius mobilis poterit immediate poni in primo punctõ ſpatij illius palmaris abſque tranſitu per medium, hoc eſt, abſq; tranſitu per illa tria puncta ſpatij, quæ ſecundum, tertium, & quartũ punctum eiuſdem mobilis occupabãt anteâ Nego conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt clara ex dictis quia mobile nõ poteſt acquirere præſentias in ſpatio, niſi illi fuerit applicatum ratione alicuius partis, ſeu puncti ſui, cum autẽ in hoc inſtanti homo exiſtens Cõpluti ratione nullius puncti ſui ſit applicatus Matrito, non poteſt in inſtanti ſequẽti ſe ibi conſtituere, ſed opus eſt, quod prius moueatur ad ſpatium immediatum, cui eſt applicatum per vltimum punctum ſui, & inde moueatur ad ſpatium immediatum, vt paulatim percurrendo ſingula ſpatia, Matritum denique perueniat. at vero in noſtro caſu punctum primum mobilis eſt applicatum primo puncto ſpatij palmaris, ſaltẽ mediate ratione quarti puncti ipſius mobilis, & ideo poteſt tranſire ad illud occupandum, quin prius ſe ſiſtat in tribus punctis ſpatij, quæ occupabant tria alia puncta ipſius mobilis

77 Inſta-

77 Instabis ergo iam primum punctum mobilis transit de extremo ad extremū, quin tra seat per medium, vel quin prius fuerit in medio Distinguo consequens transit de extremo ad extremum, quin sit in medio perse, vel per aliud punctum eiusdem mobilis, nego: quin sit in medio immediate perse, concedo cōsequentiam Sicut enim actio potest immediate oriri à partibus agentis distantibus à passo, si aliqua pars eiusdē agentis sit immediate applicata ipsi passo, ita etiam punctum mobilis distans ab aliquo spatio poterit immediate transire ad illud, si aliquod punctum eiusdem mobilis sit immediate applicatum tali spatio

78 Vt autem prædicta doctrina de mediata applicatione punctorum mobilis magis commendata maneat, neque ab Aristotelicis vt Zenonistarum commentum reputetur, ostendan, & meo iudicio clare, eam necessario amplectendam ab Arist in motu locali continuo: quia iuxta Arist quando corpus aliquod mouetur cōtinue, ita mouetur, vt in parte temporis acquirat partem spatij, & indiuisibile spatij in instāti Ponamus ergo corpus adæquate præsens huic spatio ita vt pars corporis parti spatij, & indiuisibile indiuisibili respondeat deinde incipiat moueri per spatium sibi proximum. Ita quidem mouebitur, vt indiuisibile terminatiuum mobilis transeat in parte temporis, ad partem spatij, qui transitus ex eo fiet in parte temporis, & non in instanti, quia, cum pars spatij acquirenda adhuc mobilis sit, habet partes priores & posteriores, quæ acquiri debent successiue iuxta sententiam Arist In instanti vero sequenti iam illud terminatiuum mobilis transit de parte spatij ad punctum immediatum ipsius spatij, quia, cum punctum illud sit indiuisibile, non potest non acquiri totum simul, & ideo in instanti debet acquiri Eodem modo mouetur mobile in reliquis partibus, & in instantibus temporis Hac ratione coordinatur cōtinuatio motus localis apud politiores Aristotelis discipulos.

79 Ex hâc ergo doctrinâ sic argumentor in eo instanti, in quo terminatiuum mobilis transit ad indiuisibile spatij relinquit aliquā partem spatij, eam videlicet, quæ immediata est ipsi indiuisibili spatij, quod denuo acquiritur ergo in eodem instanti occupat eam partem spatij pars mobilis immediata ipsi terminatiuo. Antecedens est certum quia, cum indiuisibile terminatiuum mobilis tēpore antecedenti acquisierit illam partem, necesse est, quod in instanti hoc eam deserat, si trāsit ad alium locum Consequentia non potest negari: quia, dum indiuisibile terminatiuum mouetur ad indiuisibile spatij, non separatur à parte mobilis, quam terminat, sed, sicut ante motum immediate illam attingebat, sic & post motum, vt experientiâ eo stat Si autem in eo instanti, in quo terminatiuum mobilis transit ad occupandum indiuisibile

bile spatij, pars illi immediata non occuparet partem spatij, quã deserit terminatiuum, necessarium esset, quod separaretur ab illa, cum pars illa spatij mediaret inter partem mobilis, & eius terminatiuum. Pergo · sed pars spatij, quam in eo instanti deserit terminatiuum mobilis, quantunuis minor, & minor sit, habet duas medietates occupandas ab alijs duabus medietatibus partis mobilis: ergo in eo instanti duplex medietas partis mobilis transit ad occupandum duplicem medietatem illius partis spatij. Quod quidem sic fiet, vt prima medietas partis mobilis transeat ad occupandam primam medietatem partis spatij, & secunda medietas partis mobilis ad secundam medietatem partis spatij.

80 Hinc fit, quod, cum prima medietas partis mobilis non præcesserit immediate applicata primæ medietati partis spatij (inter vnam enim, & alteram media erat secunda medietas partis mobilis) necessarium sit, quod prima illa medietas partis mobilis transeat in eo instanti ad partem spatij, cui non præcesserat immediate applicata, sed tantum media alia secunda medietate eiusdem partis mobilis. ergo in sententia Aristot. admitti debet, quod vna pars mobilis immediate trãsit ad spatium, cui non erat antea immediate applicata; sed tantum mediate, hoc est, mediâ aliâ parte, cui ipsa est vnita. Non ergo existimetur prædicta doctrina Zenonistarum cõmẽtum, imo ex eo debet cũ plausu recipi, quod difficultatem alias insolubilem clare explicat, & absorbet omnino.

SECTIO IX.

Nonnulla Corollaria.


81 EX dictis constat 1. quo maius fuerit corpus, eo posse velocius moueri iuxta sententiam Zenonis, si imprimatur impulsus proportionatus. Ratio est clara: quia, quo maius fuerit corpus, eo distantiori spatio applicabitur primum punctum illius medio vltimo: ergo ad maiorem distantiam poterit moueri in quolibet instanti. Antecedens est certum quia, si corpus fuerit longitudinis palmaris, primum punctum eius medio vltimo applicabitur spatio distanti ab eodem primò puncto per vnum palmum; si vero mobile fuerit longitudinis vnius vlnæ, primum punctum eius ratione vltimi applicabitur spatio distanti per vnam vlnam ab eodem primò puncto · ergo, si quodlibet moueatur velocissime, dum corpus palmare percurrit vnum palmum spatij, corpus vnius vlnæ percurret vlnam spatij. Constat 2. si dentur duo puncta separata à reliquis, & interse, non posse vnum moueri velocius alio, si motu cõtinuo quodlibet moueatur: quia, cũ quodlibet ex illis sit applicatum tantũ puncto spatij sibi immediato, illud tantùm potest acquirere in vno instanti, atque adeo neutrum ex illis potest plus spatij acquirere in eodem tempore.

Constat

82 Constat tertiò qua ratione fieri possit, quod, dum moueatur circulariter rota, punctа circuli existentis iuxta centrum moueantur tardiùs, quam puncta circunferentię, quin detur aliqua discontinuatio partium in rotâ. Ratio ergo est quia in instanti, inquo punctum circuli existentis propè centrum transit ad occupandum punctum spatij sibi proximum, punctum circunferentiæ directè respondens puncto illi concentrico transit ad occupandum punctum spatij ab ipso distans per dimidiũ, seu vnum palmum (iuxta maiorẽ, vel minorem circunferentiam rotæ) quia, cum in circunferentia rotæ plura dentur puncta, quam in circulo concentrico, plura puncta spatij percurrenda sunt per circumferentiam, & ideo non poterint moueri simul omnia puncta rotæ, nisi in instanti, in quo punctum concentricum acquirit spatium sibi proximum, punctum circunferentiæ acquirat spatium à se distans magis, vel minus; quo maior, vel minor fuerit circunferentia rotæ. Neque enim concedendum est, quod aliquando, immotis punctis circuli concentrici, moueatur circunferentia rotæ, nam; si id contingeret, linea viridis recta ducta â centro in circunferentiam frangeretur, vel saltem curuaretur; quod est contra experientiam.

83 Constat quartò: cur vnus motus esse possit velocior alio, &, vnum tempus velocius alio dici nequeat, etiamsi tempus realiter includat motum successiuum. Ratio ergo est quia, vt supra dixim s disp precedenti, tempus sunt partes motus immediate sibi succedentes, quæ quidem partes in sententia Zenonis singulæ seorsim sumptæ sunt indiuisibiles quoad successionem. Potest autem contingere, quod vnũ mobile per quatuor partes motus sibi immediate succedentes multum percurrat spatij, aliud verò parum, quia, vt ex dictis constat, potest vnum mobile transire denuo ad simul occupandum vnum palmum, dum aliud transit ad vnum vel duo tantũ puncta spatij acquirenda. Hinc fiet, quod quilibet ex his motib' æquale tempus constituat, quatuor videlicet instantium, quorum neutrum citius elabatur, quam aliud, quia in vtroq; immediate sibi succedunt quatuor illa instantia, & nihilominùs vnus motus velocior dicetur, & erit, quàm alius, quia maius spatium percurrit cum câdem successione partium. Poterit tamen vnum tempus esse longius alio, si vltra instantia, quæ vnum cõtinet immediate sibi succedentia, aliqua alia addantur alterius.

84 Hìc soluenda est obiectio, qua Aristotelici videntur sibi euertere totam doctrinam traditam in hâc sectione pro explicanda velocitate, & tarditate motus. Arguitur sic. detur virga in cuius medietate clauus aliquis pronear, deinde immittatur in ferreum anulum, per quem, licet possit virga; clauus tamẽ trajici nõ possit, deinde



deinde impellatur virga impulsu valde intenso, vi cuius punctum A. virgæ transire debeat immediate ad punctum B. spatij. In hoc casu, si doctrina supra tradita esset vera, cum clauus sit affixus puncto A. immediate transiret simul cum illo ad spatium B. quin detineretur ab anulo: at experientia constat semper detineri ab anulo: ergo, &c. Maior probatur: quia in tua sententia clauus affixus puncto A. immediate transiret ad spatium B: quin fieret præsens spatio intermedio: ergo non esset, cur ab anulo *detineretur, cum non esset transiturus per ipsum.*

85 Hæc obiectio male torsit recentiores quosdam Zenonistas. Nihilominùs respondeo, quod, vt punctum A. immediatè transeat ad punctum B. necessariũ est, quod clauus illi affixus secundum partes prominentes fiat in illo instanti præsens per replicatas præsentias toti illi spatio intermedio. Ne te terreat *hoc assertum*, expecta probationem. Ratio ergo est: quia ex vnâ parte punctum A. virgæ ratione alterius puncti ipsius virgæ, quod immediatum est spatio B. est applicatum mediatè eidem spatio, vt, si impulsus proportionatus imprimatur, immediate transeat ad illud occupandum, vt probatum est tota hac sectione: Ex alia vero parte, partes claui prominentes supra punctum A. nõ possunt ratione pũcti virgæ, quod immediatum est spatio B. mediate applicari ipsi spatio, quia illud punctum virgæ solum applicat mediate isti spatio ea puncta, quæ illud possunt occupare: atqui partes prominentes claui in casu posito non occupabunt spatium illud B. sed aliud prominens supra illud, & ideo ad hoc, vt moueatur clauus ad illud spatium prominens occupandum, necessariũ est, quod aliter applicetur illi vel tempore antecedenti, vel in eodem instanti, in quo fit motus: tempore autẽ antecedenti non est applicatus, quia, cum inter partes prominentes claui, & spatium prominens supra spatium B. nihil mediet mobilis, nõ est aliud, ratione cuius mediate applicetur clauus illi spatio: vnde necessarium erit, quod in illo instanti applicetur per præsentias replicatas in toto illo spatio intermedio.

86 Neque videatur absonũ, q res corporea in aliquo casu habeat plures præsentias simul per spatium aliquod continuum, quia in sententia valde probabili Thomistarum asserente, animas perfectorum brutorum esse indiuisibiles, necessario est admittendum, animam corpoream esse præsentem spatio diuisibili per præsentias replicatas, quandoquidem tales animæ informant corpus diuisibile. Secundò, quia in sententia Arist. quando indiuisibile terminatiuum alicuius mobilis in parte temporis transit de indiuisibili spatij ad partem, reuera fit præsens illi

illi parti, & non aliter nisi per replicatas præsentias, quia, cum ipsum sit indiuisibile, non potest esse in parte diuisibili spatij quantumuis minori, & minori, nisi sit præsens omnibus eius partibus, hoc autem qua ratione fiet nisi per præsentias replicatas? nulla ergo repugnantia erit in eo quod in instanti, in quo punctum A. virgæ transit ad punctum B. spatij, partes prominentes clauj fiant simul præsentes in illo spatio intermedio prominenti supra spatium occupatum à virgâ.

87 Addo, non solùm non repugnare tales præsentias replicatas, sed necessario esse concedendas in casu posito: quia ex vnâ parte clauus ille debet moueri ad motum virgæ, cui est affixus, vt per se patet, atque adeo cum impulsus impressus virgæ sit talis vt ratione illius debeatur ipsi virgæ immediatus transitus de puncto A. ad punctum B. necessarium est, quod clauus immediate transire debeat ab spatio prominente supra punctum A. ad spatium prominens supra punctum B. ex alia vero parte, cum clauus non præcesserit, neque immediate, neque mediate applicatus illi spatio, est necessarium quod saltem in eo instanti applicetur: atqui hoc aliter fieri non potest, nisi simul fiat præsens toti illi spatio intermedio ergo concedenda est illa talis præsentia. Transacto vero momento pereunt ex præsentiæ replicatæ, vel quia non perseuerat impulsus, qui eas producebat; vel quia si perseuerat transfert mobile ad spatium immediatum, in quo alias replicatas præsentias producit, vel denique, quia cessat iam finis conseruandi eas præsentias: neque enim ex alia causa productæ sunt nisi vt clauus in eo instanti applicetur spatio B. cui præsens fieri debet hìc & nunc: cum autem iam acquisierit præsentiam illo spatio, ad cuius conseruationem non sunt iam necessariæ cæteræ præsentiæ, cessabit conseruatio earum.

88 Ex dictis apparet ratio, cur in casu posito detineatur clauus ab anulo existente in medio illo spatio. Ratio enim est: quia, cùm clauus, vt immediate transeat à puncto A. ad punctum B. debeat fieri præsens simul toti illi spatio, & ab anulo immediatur, ne fiat præsens illi parti spatij, quã occupat ipse anulus, quia penetrari non potest cum illo, fit, vt illic detineatur mobile, neque vltra progrediatur, etiamsi impulsus sit talis, qui, si non esset illud impedimẽtum, produceret mobile ad spatium distantiùs. Ex quo possunt solui alia similia argumenta.

89 Hæc sunt, quæ adduci possunt pro tuenda Zenonis sententia, quæ quidem & intelligibilem eam reddunt & valde probabilem. Nihilominus, quia Magistri nostri semper adhæserunt Aristoteli, in re præsenti eidem adhæreo, & ideo breui subijciam, qua ratione defendi possit eius sententia.

SECTIO X.

Qua ratione tueri debeat Aristotelis sententia.

90 EIus roboris sunt argumenta, quæ cõtra successionem partium infinitarum continui successiui obijciunt Zenonistæ, vt insolubilia esse fateatur maior, & nobilior pars sectatorum Aristotelis, neque mihi appareat via, qua, vel apparenter solui possint iuxta communem philosophandi modum, ideo alia est nobis iucunda, quæ licet non trita, expeditior tamen est. Dico ergo in continuo successiuo, quale est tempus, & motus localis, non esse concedendas partes, quæ de facto sint priores; & posteriores *in infinitum*, & ideo non dari de facto infinitas partes proportionales sibi succedentes; sed tantum dari partes sibi succedentes, quæ licet de facto sint finitæ, virtualiter tamẽ sunt infinitæ. In hoc assertum facile consentient hi authores, qui in continuo permanente asserunt non dari infinitas partes actu; sed solum in potentiâ: *hos impugnat P. Hurtad. hic sect. 1.* Pro eo etiam adduci possunt sapientissimi recẽtiores, qui, vt testatur P. Arriaga hìc numer. 102. etiam si admittant continuũ permanens ex partibus infinitis, successiuum tamen ex solis indiuisibilibus constituunt, qui quidẽ in re à nobis non dissentiunt.

91 Sic rem explico: motus localis, ex quo tempus coalescit (& ideo quidquid in hac parte de illo dixerim, dictum puta de tempore), etiamsi spatium infinitis cõstet partibus proportionalibus, non potest ita peragi vt successiue vnã post aliam omnes percurrat, vt probant argumenta facta sect. 6.; atq; adeo ita statuendus est, vt plures partes simul transiliat eo modo, quo sect. 8. philosophati sumus iuxta sententiam Zenonis ad explicandam velocitatem, & tarditatem motus. Itaque mobile sic spatium in infinitũ diuisibile percurrit, vt semper denuo acquirat aliquam partem aliquãtam totam simul, maiorem vel minorem pro maiori vel minori impulsu, quo agitatur.

92 Declaratur exemplo: detur mobile palmare, in quo quatuor partes æquales numeremus, & quarta illius sit applicata spatio alteri palmari, in quo alias quatuor partes numeremus. Hoc mobile potest taliter impelli vt quarta pars illius fiat simul præsens secundum se totam primæ parti spatij: deinde immediatè post fiat simul præsens secundum se totã secundæ parti spatij, & sic in posterum, donec totũ spatium percurrat. Ita tamen hoc fieri debet, vt, quo tempore transit quarta pars mobilis secundum se totã ad simul occupandã primã partẽ spatij, trãseat etiam immediate tertia pars mobilis ad partẽ spatij, quã reliquit quarta pars ipsius mobilis, & sic de reliquis. Si autẽ impulsus sit minor, alia pars mobilis fiet præsens simul secundũ se totam alteri parti minori spatij, & cũ nulla sit

sit pars determinata spatij, ita minima, infra quam non possit assignari alia minor, nulla potest acquiri tota simul, infra quam non potuisset alia determinata minor, tota simul acquiri.

93 Hinc fit, quamlibet ex istis partibus motus non habere actu partes sibi succedentes, quia quælibet ex illis est simultaneus transitus ad partem aliquotam spatij, siue magnam, siue paruam, & ideo quæuis ex illis reuera est formaliter instantanea, & indiuisibilis secundum partes successiuas; virtualiter vero quælibet est diuisibilis in infinitum, quia quæuis simul transit ad partem spatij, ad quam posset esse transitus secundum partes minores, & minores in infinitum, ita vt nulla pars determinata spatij denuo acquiratur tota simul, quâ nō potuisset acquiri alia determinata minor, v.g medietas illi⁹ prioris: deinde medietas illi⁹ medietatis, & sic in infinitū. Iuxta hunc autem philosophandi modum rectè potest dici quod aliqua producantur in tempore, & aliqua in instanti: ea enim dicentur produci in instanti, quæ secundum se tota producuntur simul, in tempore vero dicentur produci ea, quorū partes successiuè de facto producuntur, quia, cum tempus vt tale in infinita necessario partes motus immediate sibi succedentes, nō dicentur de facto produci in tempore, nisi quæ de facto producuntur successiue. Hæc de continuo successiuo, ex quibus constat, qua ratione componenda sit velocitas & tarditas motus iuxta Iunctinodum philosophandi, eodem enim modo componenda est, ac in sententia Zenonis.

94 Circa continuum permanens est minus difficilis sententia Aristot.: quia licet nullum habeat argumentum quod illam conuincat, ea tamen, quæ cōtra illā obijciuntur, non difficile solui possunt. Ad primum argumentum adductū sect. 5. respondetur, vt ibi. Ad id vero, quod primo adducitur contra solutionem, respondeo, non esse petitionem principij, quia ibi assignatur continui definitio tradita ab Arist & admissa ab Scholasticis, quâ positâ necessarium est, quod Deus non possit separare à partibus omnia indiuisibilia. Vndè si aliunde non sumatur medium ad eandem definitionem debellādam nullius momenti erit argumentatio. Ad secundum eodem numero adductum contra eandem solutionem, dico, quamlibet partem posse comparari, & cum indiuisibilibus, quæ in se continet; & cum indiuisibilibus, per quæ continuatur cum alijs partibus à se distinctis. Ab his distinguitur adæquate, & ideo potest ab eis actu separari, ab illis vero non distinguitur adæquatè, nisi tanquam includens, & inclusum; & ideo non potest dari sine illis, quia, cum sint de intrinsecâ ratione totius partis, illis ablatis non potest non auferri hæc pars.

95 Ad id verò, quod adducitur ultimo q. respōdeo, Deū cognoscere omnia indiuisibilia esse realiter di-

ſt neta à partibus, attamen non cognoſcit omnia eſſe eòdem modo diſtincta. Quædam enim videt diſtingui à partibus tanquam inclusum ab includente v. g. indiuiſibilia, quibus copulantur partes palmi interſe, diſtinguuntur ab ipſo palmo tanquam incluſum ab includente alia vero videt Deus diſtingui à partibus adæquatè tanquam quid illis extrinſecum, ea videlicet, quibus hæc pars cum alterâ copulatur. Hinc fit, Deum nullam partem agnoſcere omninò indiuiſibilem, quia nullam videt, quæ non includat aliqua indiuiſibilia. Ad confirmationem reſpõdeo, Deum cognoſcere quanlibet partem vniri immediatè cum altera, non ſecundum ſe totam; ſed ſecundum aliquid ſui, diuiſibile quidem, non tamen adæquate diſtinctum ab omnibus indiuiſibilibus, quia, cum Deus cognoſcat res, vt ſunt in ſe, rectè cognoſcit, hanc partem vniri cum aliâ ſecũdum aliquid ſui tali ratione, vt nulla poſsit aſsignari, ita minima, quæ ſecundum ſe tõtam vniatur; ſed ſemper ſecundum aliquid ſui. Nec propterea dicenda eſt hæc pars vniri alteri ratione indiuiſibilium, quæ in ſe continet; ſed ratione alicuius diuiſibilis minoris, & minoris, &c. quod tamen in ſe contineat aliqua indiuiſibilia.

96 Ad ſecundum argumentum Zenonis adductam ibi numero ſequenti reſpondetur, vt ibi, nempè partes proportionales infinitas non conſtituere extenſionem ſimpliciter infinitam, quia ſunt indeterminatæ, & incluſæ in partibus aliquotis finitis, & licet ſingulæ diuerſum locum occupent, ita vt non poſsint pertranſiri, ſi quælibet ſeorſim vna poſt aliam ſucceſſiue percurratur, tamen quia hæ partes loci ſunt etiam indeterminatæ, & incluſæ in alijs partibus determinatis, & finitis, poſſunt percurri ratione partium determinatarum eo modo, quo diximus loquentes de ſucceſsiuis. Ad inſtantiam ibi adductam contra hanc ſolutionem fateor, Deum videre vnionẽ partis A. & nõ attingere immediatè aliquod ex indiuiſibilibus incluſis in parte B., cui vnitur, ſed aliquid antecedens ea omnia indiuiſibilia; videt tamen illud non eſſe determinatè aſsignabile ſeorſim ab omnibus indiuiſibilibus, & ab omnibus alijs partibus, quia Deus debet videre illud, vt eſt in ſe, & in ſe eſt inaſsignabile vt conſtat ex dictis.

97 Ad confirmationem fateor, quod, ſi continuum ex ſolis indiuiſibilibus conſtans haberet actu infinita, eſſet infinite extenſum ſimpliciter loquendo. nego tamen eſſe infinite extenſum continuum conſtans ex partibus proportionalibus infinitis. Diſcrimen eſt: quia in primo caſu quodlibet punctũ additũ reliquis redderet continuum determinate maius, & ideo ſi ea eſſent infinita conſtituerent extenſionẽ ſimpliciter infinitam, at vero partes proportio-

portionales singulæ seorsim sumptæ non reddunt continuum determinatè maius; sed indeterminate, & ideo non constituunt extensionem infinitam simpliciter. Neque est verum id, quod ibi additur, nempè, quod quælibet pars proportionalis seorsim sumpta maiorem addit extensionem continuo, quam adderet indiuisibile determinatum: quia hoc quod est esse maius, & minus non potest dari nisi inter extrema, quorum quodlibet est determinatum: maius enim alio dicitur, quod excedit terminum alterius; non autem potest dari talis excessus inter illa, quorum magnitudo non est determinata, neque assignabilis vllo modo.

98 Obijcies: si ponatur corpus perfectè sphæricum supra perfectè planum tangit illud in puncto, si enim in parte tangeret, iam ea pars, vt potè quæ adæquaretur cum parte plani, haberet aliquam planitiem, & ideò corpus non esset perfectè sphæricum: deinde si tale corpus sphæricum circumuoluatur motu continuo supra perfectè planum, semper illud tanget in puncto propter rationem proximè tradtam: ergo necessarium est, quod tale corpus constet punctis, quorum quodlibet sit immediatè post aliud. Respondetur, quotiescunque quiescit corpus illud rotundum supra planum, tangere illud in puncto at vero quando mouetur, illud tangere aliquando in parte inadæquate; & indiuisibiliter, vt aiunt Aristotelici. Est dicere: ita tangit pars corporis sphærici partem plani, vt nulla possit assignari pars ita minima, quæ tangat illud adæquate secundùm se totam; sed tantum inadæquate secundum aliquid sui.

99 Duo hìc aduerterim. Primum est; in sententia Arist. nunquam concedendum esse dari posse aliquam partem proportionalem, & indeterminatam non inclusam in aliquotâ; alioquin iam illa esset indeterminata, & determinata. Indeterminata, vt supponimus. Determinata, quia, cum esset seiuncta ab alijs partibus, posset determinari, & assignari magnitudo eius, nam Deus rectè cognosceret hucusque peruenit hæc pars, & non vlterius, quod est proprium partis determinatæ. Secundum est, ea, quæ hucusque dicta sunt tam in sententia Zenonis, quam Aristotelis intelligenda esse non solum de quantitate, materiâ primâ, & formâ substantiali diuisibili; sed etiam de accidentibus diuisibilibus, siuè quoad intensionem, siuè quoad extensionem. Hæc enim omnia in sententia Zenonis constant punctis; in sententia vero Aristotel. constant partibus in infinitum diuisibilibus. Deinde, quod dictum est in vtrâque sententiâ de motu locali, intelligendum est de reliquis motibus successiuis eâ ratione, quâ successiui sunt.

DISPVTATIO XXVI.

De terminis magnitudinis,& paruitatis: ac de inceptione, & desitione rerum.

HÆc omnia facile expediuntu in sententia Zenonis, dicam tamen, quid dicendum sit iuxta Aristotelis sententiam.

SECTIO I.

An viuentia habeant terminos magnitudinis,& paruitatis?

1 TERmini magnitudinis & paruitatis viuẽtis dicuntur illi,quos trãsilire nõ potest ipsum viuẽs. Rogamus ergo in presenti: an viuens ex natura rei certam magnitudinem requirat, vltra quam in maiori quantitate nõ possit conseruari? & , an ad eam possit peruenire paruitatem, infra quam in minori quantitate nõ possit conseruari? Pro cuius declaratione.

2 Noto, duplicem esse terminũ tam magnitudinis,quam paruitatis: intrinsecum videlicet,& extrinsecum. *Intrinsecus magnitudinis* est illa quantitas, in qua res ita potest conseruari, vt in maiori nõ possit: *intrinsecus veroparuitatis* illa quantitas, in qua ita res conseruatur, vt nequeat in minori. Ille dicitur *maximum quod sic*, qua est maxima quantitas, in qua potest conseruari res: iste vero nempè terminus intrinsecus paruitatis, dicitur *minimum quod sic*, quia est minima quantitas earum, sub quibus res potest conseruari, ita vt si aliquid decrescat quantunuis minimũ, statim res pereat. *Terminus extrinsecus magnitudinis* est ea quantitas, quam præ magnitudine non potest res attingere; ita tamen, vt quantlibet minorem possit. Iste terminus dicitur, *minimum quod non*, quia earum quantitatum, ad quas præ magnitudine non potest res peruenire, hæc est minima. *Terminus extrinsetus paruitatis* est ea quantitas, in qua, ratione paruitatis non potest conseruari res, bene tamen in quauis maiori: dicitur *maximũ quod non*; quia earum quantitatum, in quibus res non potest cõseruari ratione paruitatis, ea est maxima. Rogamus ergo: an viuẽs habeat terminos, & quos?

3 Conueniunt Doctores apud P.Rub.lib 1.Physic. cap.4.q.1: viuentia in prima sui generatione petere sibi terminos aliquos tã magnitudinis,quã paruitatis. Huius non leue fundamentum est experientia; qua constat; nullum vnquam hominem natum fuisse formica minorem, neque ingenti saxo maiorem (Et idem est debita proportione in reliquis animalibus,& viuentibus) Signum ergo est,hæc omnia certam magnitudinẽ,& paruitatẽ requirere ex natura sua. Ratione facile suadetur primò de *terminis paruitatis*: quia viuentia eas habent operationes, ad

quas

quàs determinata exigũt organa, & instrumẽta, sine quibus suas operationes nõ possunt exercere: potest autem adeo parua esse quantitas, vt in illa non possint tot instrumenta compingi: qua enim ratione in quadam athomo formari poterunt caput, brachia, pedes, stomachus, & alia plura, quæ ad exercendas operationes homini necessaria sunt? Deinde debent habere *terminos magnitudinis*: tũ quia viuentia ex natura rei formari debent intra vterum maternum, à quo capi non possunt in maiori, & maiori magnitudine, vt constat: tum etiam, quia omnia membra opem sibi mutuo ferunt ad exercẽdas proprias operationes, quam quidem ferre ad inuicẽ non possent, si propter nimiam lõgitudinem multum distarẽt inter se: ergo viuentia requirunt ex natura rei terminos *magnitudinis* & *paruitatis*.

4 Sed quid? erunt ne hi termini *intrinseci*, an *extrinseci*? In sententia Zenonis asserentis continuum ex solis indiuisibilibus resultare, facile soluitur hæc difficultas: quia, eo ipso quod sint determinati, erũt determinati *intrinsece*, & *extrinsece*. Ponamus enim *terminum extrinsecum paruitatis* esse decem puncta, ita vt in illis non possit conseruari viuens, bene tamen in quauis maiori quantitate: poterit quidem cõseruari in vndecim punctis, quæ erunt *terminus intrinsecus paruitatis*, quia ita in illis potest conseruari viuens, vt nullatenùs possit in minori quantitate ergo in habebit viuens decem puncta, quę sint *terminus extrinsecus paruitatis*, & vndecim, quæ sint *terminus intrinsecus*. Eodem modo potest fieri argumẽtum circa magnitudinem.

5 In sententia vero Aristotel. componente continuum ex infinitis partibus non possunt hi duo termini coniungi. Nam ponamus, *terminum extrinsecum magnitudinis* esse vlnam, ita vt in illa non possit viuens produci; possit tamen in quâlibet quantitate minori. In hoc casu nulla potest determinari quantitas intra vlnam, quæ sit *terminus intrinsecus magnitudinis*: quia viuens potest produci in qualibet minori quantitate infra vlnam: sed, qualibet parte assignatâ infra vlnam, restant infinitæ partes supra illam partem assignatam vsque ad complementum vlnæ: ergo in illis poterit conseruari viuens, dummodo non perueniat ad integram vlnam: ergo pars illa prafixa, & assignata non est *maximum quod sic* viuentis; ac per consequens, neque *terminus intrinsecus magnitudinis*. Idem argumentum potest fieri circa terminos paruitatis.

6 Est ergo difficultas: vtrum in sententia Arist. viuens requirat terminos *extrinsecos*, vel potiùs *intrinsecos* tã *magnitudinis*, quam *paruitatis*? Circa quã existimo, viuens requirere *terminos intrinsecos magnitudinis, & paruitatis*. Moueor, quia, si requireret ex-

trinsecos, ponus, *termin extrinsecũ magnitudinis* ad productionẽ viuentis esse vlnam, & eam applicari visceribus maternis: certè mater, vt potè quæ ad actionem concurrit vt agens naturale, quod operatur in quantum potest, ita introducet animam fœtus in eâ vlnâ, vt solum pars aliqua indeterminata illius maneat non animata, quandoquidem, licèt non possit animare totam vlnam, potest tamen quantlibet minorem quantitatem. Vel ergo illa pars indeterminata materiæ manet cum aliqua forma, vel non. Si hoc: ergo contra omnes concedis, dari naturaliter aliquam partem materiæ absque vllâ formâ. Si dicas primũ: ergo illa pars indeterminata materiæ informatur aliquâ parte indeterminata formæ, quia forma proportionari debet cum subiecto: ergo datur de facto aliqua pars indeterminata, & proportionalis formæ, quæ non includatur in aliquâ determinatâ, seu aliquotâ. Probo hanc consequentiam: quia ibi nulla alia pars illius formæ datur nisi ea, quæ informat partem illam indeterminatam materiæ: ergo non datur aliqua pars determinata formæ, in qua illa indeterminata ipsius formæ includatur. id autem est contra omnes Aristotelicos, vt notauimus infine disp. præcedentis.

7 Si autem dicas, necessariò relinquendam esse sine animâ in eo casu partem aliquam determinatam. Hinc fiet, viuens non posse animam introducere nisi in reliquis partibus præter illam: ergo cum reliquæ partes constituãt determinatam magnitudinẽ, iam requiret ad introducendam animam *terminos intrinsecos magnitudinis*. Prædictum argumentum probat; viuens in primâ sui productione requirere *terminos intrinsecos magnitudinis*. Potest veto eodem modo probari eosdẽ terminos requirere post primam productionem. Nam, si iam deuenisset homo ad magnam aliquam quantitatẽ, & applicaretur illi alimentum, quod, si vniretur cum viuente præexistente, constitueret *terminum extrinsecum magnitudinis*; tunc viuens per nutritionem posset conuertere in propriã substantiã totum illud alimentũ præter partem aliquam indeterminatã illius, vt cõstat ex ratione proxime facta circa primam productionem ipsius viuentis.

8 De *termino paruitatis* probatur, quod nõ possit esse *extrinsecus*: quia demus, digitalem quãtitatem esse *terminum extrinsecũ paruitatis* viuentis, in qua nõ potest produci, potest tamen in qualibet maiori: vel ergo ista quantitas est sufficiens, vt in ea formentur determinata organa, & instrumẽta viuẽtis; vel no est sufficiens. Si primum: ergo poterit in eâ introduci forma viuentis (intellige in materia extensa per hanc quãtitatem) & erit *terminus intrinsecus illius*. Si nõ est sufficiens: ergo neq; fiet sufficiens per quodcũq; augmentum, nisi fit determinatum, quia quantitas determinata non

non potest per augmentum indeterminatum euehi ad cõstituenda organa determinata, quæ ipsa, sine augmẽto illo indeterminato non poterat constituere, nam indeterminatum additum determinato non potest facere cum illo nouum determinatum, vt per se patet. Si autem id, per quod fit sufficiens quantitas digitalis ad determinata organa, est determinatum, ex illo, & quantitate digitali resultabit *terminus intrinsecus paruitatis*; quia in illa quantitate, & non in minori poterit produci viuens. An vero in primâ viuentis generatione omnes partes animæ introducantur simul in materia iam dispositâ ad omnes; vel successiue vna post aliã? dicemus, in lib. de Gen. disp. 7. sect. 2.

SECTIO II.

An non viuentia habeant terminos magnitudinis & parui-tatis.

9 CErtum est apud omnes, non viuentia nõ habere *terminos magnitudinis*; quatenus est ex se nam, licèt de facto omnia intra cæli ambitum contineantur, nihilominus, si igni (& idem esto de alijs) applicaretur pabulum vltra cælum sine termino, cresceret sine termino, vt ex ijs, quæ vidimus, possumus colligere. Et ratio est quia, cum singulæ partes non egeãt mutuâ ope aliarum, vt proprias eliciant operationes; sed quælibet, si sint certæ magnitudinis, possint se ipsis suas functiones obire, non est necessarium, quod non multum inter se distent.

Difficultas ergo ad *terminos parvitatis* reuocatur: an videlicet sit aliqua quãtitas, seu materia adeò exigua, vt in illa non possit ignis produci, aut conseruari? vel potius possit in quâlibet quantumuis minimâ?

10 Prima sententia asserit, non viuentia habere terminos parvitatis. Ita Durand. Capreolus, & alij, quos referunt PP. Cõimbr. lib. 1. Phisic. cap. 4. quæst. 1. artic 7. Probatur 1. quia omnis forma substantialis petit determinatas dispositiones ad sui productionem, & conseruationem: sed vna ex dispositionibus est quantitas: ergo petit determinatam quantitatem. Secundò: quia vnũquodque est propter operari, vt docet Arist. 2. de cælo cap. 3. text. 17. sed ignis non potest operari in quauis minimâ quantitate: ergo neq; esse.

11 Vera sententia est, non viuentia ad habere terminos intrinsecos parvitatis. Ita Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 9. Ocham, in 2. distin. 18. & nonnulli recentiores. Probatur: quia ignis in quâuis minimâ quantitate potest operari ex naturâ rei: ergo & conseruari. Probatur antecedens quia ignis quãtunuis minimus habet virtutem intrinsecam, quæ, si coniungatur cum alio igne maiore; operabitur simul cum illo: sed non repugnat ex naturâ rei; quod coniungatur cum alio maiori; quia naturaliter fieri põtest, quod iuxta hunc minimum ignem, alius producatur maior, vel aliunde adducatur: ergo,

non

non repugnat ex naturâ rei, quod ignis quantunuis minimus operetur: ergo nullum est caput, ex quo non possit conseruari ignis in minori, & minori materiâ: nam, si aliquod esset, maximè, quia non posset operari ex natura rei.

12 Dices: ex hac doctrina sequitur, quod in prima generatione viuentis (ad quam non disponuntur simul omnes partes materiæ) pars animæ respondens parti materiæ primo dispositæ, possit introduci in illa, antequam disponantur reliquæ respondentes reliquis partibus animæ: hoc non admittimus in lib. de Gen. ergo, &c. Sequela probatur; quia ea pars animæ primò producta posset ex natura rei coniungi cum reliquis ad operandũ: ergo posset operari ex natura rei, ac per consequens produci, vt constat ex dictis. Antecedens probatur: quia generans potest ex natura rei disponere in durationibus sequentibus reliquas partes materiæ, & in eas inducere reliquas partes animæ ad operandum, etiamsi vna producatur sola.

13 Hic sunt duo distinguẽda, & quod ea pars animæ, quæ primo produceretur, possit coniungi cũ reliquis in ea duratione, in qua disponitur pars materiæ illi respondens; &, quod possit coniungi in duratione aliqua sequenti. Hoc secundum fieri potest ex naturâ rei, & ideo ex naturâ rei potest produci ea pars animæ, quando reliquæ partes materiæ sint dispositæ ad reliquas partes animæ recipiendas. Primũ vero non potest contingere ex naturâ rei; quia, cũ reliquæ partes formæ non possint introduci, nisi in materiâ dispositâ, & hæc ex naturâ rei non possit disponi simul secundùm omnes partes, fit, vt in ea duratione non possit ea pars animę ex natura rei coniungi cum reliquis, sine quibus operari nequit, ac per consequens neque possit produci ex natura rei iuxta dicta. At non viuentia in quacunque duratione producantur, possunt ex natura rei coniungi cum agente, cum quo operentur, vt cõstat ex probatione nostræ conclusionis, & ideo possunt produci ex natura rei in quantunuis minima materia.

14 Instabis: potest contingere, quod, quãdo parua materia disponitur ad generationẽ ignis, longe distent alij, cum quibus coniungendus esset ad operandum: ergo iam in eo casu no poterit generari ignis in ea parua materia pro ea duratione, quia pro eâ duratione non possunt ex natura rei appropinquari illuc reliqui ignes. Fateor, id posse cõtingere; at id continget non quidem ex vi naturæ (neque enim vlla est causa naturalis ex se petens, quod, quando parua illa materia disponitur, procul sint reliqui ignes, aut alia agentia, cum quibus coniungi posset ille denuo generãdus) sed omnino per accidens continget distantia reliquorũ agentium, & ideo non repugnat ex natura rei absolute loquẽdo, quod tũc operetur ille ignis in parua materia. At vero quod attinet ad viuentia ex propria natura agen-

agentis naturalis oritur, quod in ea duratione, in qua disponitur pars prima materiæ, non possint disponi reliquæ requisitæ atque adeo per se est impossibilis ex natura rei operatio partis animę pro ea duratione.

15 Ad primam rationem oppositæ sententiæ respondeo, distinguendo maiorem · omnis forma substantialis petit dispositiones determinatas quoad intensionẽ, concedo. quoad extensionem, nego maiorem. Alioqui etiam requireret quantitatem determinatam secũdum magnitudinem. Quod non admittunt aduersarij. Ad secundam rationem distinguo minorem: ignis in quâuis minimâ quãtitate nõ potest operari se solo, cõcedo: in cõsortio alterius, nego minorẽ. Et deinde nego consequentiã: quia ad hoc, vt conseruari possit ex naturâ rei, necessarium non est, quod se solo possit operari; sed sufficit quod naturaliter possit coniungi cũ alio, cũ quo possit operari. Id nobis constat ex potentia visiuâ, quæ licet se solâ non possit elicere visionẽ ine specie obiecti; nihilominus cõseruatur in rerũ naturâ, quia naturaliter potest coniungi, cum specie obiecti, in consortio cuius elicit visionẽ ipsius obiecti.

SECTIO III.

De inceptione, & desitione rerum.

16 IN sententiâ componente continuũ ex solis indiuisibilibus, imo & in sententiâ Arist. si successiuâ cõponantur eo modo, quo diximus disp. præced. sect. 9. nullã difficultatẽ habet præsens dissceptatio· quia, si tẽpus solũ ex indiuisibilibus coalescit, necessarium erit, quod quæcũq, incipiunt, incipiant in instanti, &, quæ desinunt, desinãt in instãti. Est tamẽ hoc discrimẽ inter permanẽtia, & successiua, q̃ successiua nõ incipiũt in vno instãti secundũ omnes suas partes; sed in diuersis instantibus diuersas obtinent partes: permanẽtia vero incipiunt in instanti secundũ se tota. Idẽ dicito quoad desitionẽ: successiua enim non possunt desinere secundũ se tota in vno instanti; sed in pluribus, vt per se constat. Permanentia vero, si sint omnino indiuisibilia, desinent secundũ se tota in vno instãti, vt patet; si vero fuerint diuisibilia: vel partes eius sunt talis naturæ, quæ nõ possint singulæ sine alijs conseruari, quales sunt partes viuentis; & in tali casu omnes desinunt simul in vno instanti: vel sunt talis naturæ, quæ seorsim conseruari possint; &, in hoc casu aliquando desinant in pluribus instantibus, sicut successiua, vt contingit in calore, qui successiue corrumpitur à frigore; aliquando vero desinunt in vno instanti, quod tunc contingit, quando causa corrumpens petit, quod simul pereant secundũ se tota. Id quod aliquando contingere, dicemus in lib. de Generat. disput. 5. Hæc iuxta sententiam Zenonis.

17 Si vero continuũ successiuũ, vt est tempus, componatur ex infinitis partibus proportionalibus sibi succedentibus, & per instantia copulatis, est magna difficultas circa inceptionem, & desitionem rerum

rerum. Pro cuius declaratione nota, inceptionē (iuxta hanc sententiam) aliam esse in instanti; aliam in tempore. Quæ incipiunt in instanti, dicuntur incipere per *primum sui esse*, quia in eo instanti est verum dicere: *Nunc est res, & immediate antea non erat.* Dicuntur etiam incipere *intrinsece*, quia illud instans, in quo determinate potest primo assignari eorum existentia, est intrinsecum durationi rei (sumo durationem non præcise pro perseuerantia in esse; sed pro quacunque coexistētia, cum tempore) Quæ incipiūt in tempore, dicuntur incipere *per vltimum sui non esse*, quia, cum in tempore nulla pars detur prima, ante quam alia non fuerit, non potest determinate assignari eorum inceptio in tempore; sed solūm in instanti immediate antecedente, in quo est verum dicere: *Nunc non est res; & immediate post erit.* Id autem dicitur per *vltimum sui non esse*, quia inceptio rei assignatur determinate in instanti, quod est vltima duratio non esse, seu carentiæ ipsius rei Præterea hic dicitur modus incipiendi *extrinsece*, quia eius inceptio determinate assignatur in instanti, quod est extrinsecum durationi rei,

18 Deinde modus desinendi est etiam duplex. Alius in instanti; alius in tēpore. Quod desinit in instanti dicitur desinere *per primum sui non esse*, quia in eo instanti est verum dicere: *Nunc primò non est res, & immediate antea erat.* Dicitur etiam desinere *extrinsece*, quia eius desitio determinate assignatur in instanti, quod non pertinet intrinsece ad durationem rei. Quod desinit in tempore dicitur desinere, *per vltimum sui esse*, quia eius desitio determinate assignatur in instanti, quod est vltimum durationis rei, in quo est verum dicere: *Nunc est res, & immediate post non erit*; & ideo iste dicitur modus desinendi *intrinsece*, quia desitio determinate assignatur in instanti, quod pertinet intrinsece ad durationem rei desinentis.

19 Isti termini incipere, & desinere *Intrinsece*, & *extrinsece*: *Per primū sui esse*, & *Per vltimū sui non esse*, &c. inuenti sunt ad rem alias claram obtenebrandam omnino, neque explicant omnes modos incipiendi, & desinendi, vt probabo in lib. de Generat. disput. 5. sect. 3. Vide, quæ ibi dicimus. Res bene explicatur per hoc, quod est incipere, & desinere *in instanti*, & *in tempore*, & ideo istis terminis vtemur

20 Aduertendum tamen est, non, eo ipso quod res aliqua incipit, vel desinit in tempore, esse necessarium, quod incipiat, vel desinat successiuē (loquor in sententia Arist) bene enim potest tota simul incipere, & desinere in tempore, si non adæquate; sed inadæquate desinat, vel incipiat. Tunc autem res dicitur desinere, seu incipere adæquate in tēpore, quando

do singulæ partes eius desinunt, vel incipiunt in singulis partibus temporis. Tunc vero dicitur incipere, seu desinere inadæquate in tempore, quando ita incipit, seu desinit in parte temporis, vt post instans immediate antecedens, in quâius parte temporis est verum dicere · *Iam incipit seu desinit res secundum se totam*, ita vt non possit vlla pars temporis assignari post illud instans, antequam non inceperit, vel desierit res. Hac ratione dicitur instans desinere in parte temporis sequentis, quia in illâ ita desinit, vt nulla possit assignari postipsum instans, antequam non desierit. Eâdem ratione existimo posse Deum creare Angelum in tempore; quia non est cur non possit illum creare immediate post instans taliter, vt nulla possit assignari pars temporis post illud instans, antequam non fuerit productus Angelus. Etenim, si instans potest hac ratione desinere, cum sit omnino indiuisibile, cur non poterit Angelus hac etiam ratione incipere, etiamsi sit omnino indiuisibilis. Alio modo possunt res incipere inadaquatè in tempore, qui videri potest in lib. de Gen. loco supra citato. His positis.

21 Certum est successiua, quoad suas partes iuxta sententiam Aristotel. incipere in tempore, & desinere in instanti. Quod non ita intelligendum est, vt omnes eius partes simul incipiant esse immediate post primum instans, & omnes simul desinant in vltimo instanti, sed ita, vt immediate post primum instans incipiat esse aliqua pars, postquam reliquę successiue fluant, &, in vltimo instanti omnes partes fluxerint, ita vt nulla deinceps fluxura sit. De permanentibus vero est maior difficultas, an incipiant, & desinant in tempore, vel in instanti? cuius enodatio ad libros de Generat. pertinet vide ibi disput. 5. de continuatione alterationis sect. 3. & 4. & disput. 6. de Gener. section. 4. vbi aperte meo iudicio conuincam, res permanentes posse, & in instanti, & in tempore incipere atque desinere.

LIBER

SEPTIMVS PHYSICORVM.

DISPVTATIO XXVII.

De propinquitate, agentis, & passi.

MVlta hîc plerique discutiunt, quæ ad primum lib. de Gener. rejicio, quia ibi propriã sedem habent. Vide quæ dico ibi disput. 3. de actiuitate qualitatum sect. 2. & sequentibus. Hic solum agam: an necessaria sit ex naturâ rei approximatio inter agens, & passum? Et an possit depotentia Dei absoluta suppleri? actutus ibi de conditionibus, & qualitate talis approximationis.

SECTIO I.

An naturaliter possit agens agere in distans, quin agat in propinquum?

1 CErtum est, quod, si inter hunc ignem, & lignũ distans interponeretur alius secũdus ignis, qui simul cum illo priori concurreret ad agendum calorem in ligno, posset ille prior ignis agere in ligno, quin aliquid ageret in igne interposito, quia, cum in eo casu primus ignis per modũ vnius agentis concurreret cum secundo ad operandum in ligno, omnes partes vtriusque ignis essent approximatæ ratione illius partis, quæ immediate esset applicata passo quod sufficit, vt omnes partes agentis dicantur non agere in distans, vt dicemus in lib. de Gener. disput. 3. difficultas ergo est; an agens, & passum ita debeant esse immediata saltem secundum aliquas partes, vt si aliquid intercedat, quod neque agat, neque patiatur dari non possit actio ex naturâ rei inter illa.

2 In qua re, vt certum habeo; agens naturale non posse naturaliter agere in passum secundum se totũ distans ab illo, quin agat aliquid in medium. Est sententia Aristotel. in hoc lib cap. 2. quem sequũtur P. Molina 1. part. quæst 8. art. 1. disp. 2. P. Suar. 1. Metaph. disput. 18. sect 8. P. Hurtad. in Physic. disput. 9. sect. 6. P. Arriaga disput. 7 sect 6. subsect. 1. & alij quam plures. Probatur primò: quia experientiâ constat, quod si inter agens, & passum, corpus aliquod interponatur incapax actionis agentis, nihil agens producit in passo: ergo ex eo est,

est, quod agere non potest in distans, quin agat in propinquum. Antecedens probat experientia; quia videmus Solem non illuminare cubiculum, si corpore aliquo opaco (quod incapax est recipiendæ lucis) occludatur fenestra. Experimur etiam, colorem, pariete interposito, non videri, non aliâ de causâ, nisi quia non potest in illo producere species intentionales, quas mittit ad potentiam visivam, vt eam determinent ad visionem. Plura alia sunt exempla: ergo non potest naturaliter agens in passum distãs agere quin in propinquum agat.

3 Dices, ob id non illuminari cubiculum, occlusâ fenestrâ, quia corpus opacum interpositum inter ipsum cubiculum, & solem resistit illuminationi. Verum est, quod resistit, sed non aliâ ratione, nisi negatiue, quatenus est incapax illuminationis recipiendæ: ergo, vt sol illuminet passum distans, debet prius illuminare propinquum.

4 Secundò probatur conclusio, quia, si agens posset naturaliter agere in distans, quin in propinquum, non esset, cur naturâ tantopere conaretur vitare vacuũ, licèt enim medium hoc esset vacuum, posset terra cælestes participare influxus, quandoquidem posset cælum in ipsam influere, quin suos influxus per medium transfunderet: non ergo impedimẽto esset vacuũ ergo neq, natura tam sedulo vitaret illud, cum nulla alia ratio assignari possit tantæ curæ in natura vacuo, nisi quia per id non possent corpora cælestia suos influxus transmittere ad hæc inferiora. Hæc ratio probat, concedendam esse virtutem naturalem in corporibus sublunaribus ad impediendum vacuum, semel tamen data hæc virtus impedit vacuum, non solum versus vnam partem, sed etiam versus omnes, quia licèt ad conseruationem corporis sufficeret, quod per vnam partem participaret influxus caloris, tamen quia talis virtus vtpote naturalis operatur necessario, semper impedit vacuum versus omnem partem, vide quæ diximus disput 23. sect. 2. Ex hac doctrina occurritur cuidam obiectioni Patris Arriaga contra hanc rationem.

5 Obiic. primò pro Scoto in 1. distinct. 37. Ocham Gabr. & alijs existimantibus posse agens agere in distans, quin in propinquum. Basiliscus occidit aspectu homines distantes, quin aeri intermedio noceat: magnes attrahit ferrum distans, quin aerem aut alia corpora intermedia attrahat. Piscis dictus *Torpedo* ligat brachium piscatoris distantis; & tamen arundinem in medio existentem non lædit; & denique, quando aqua in lebete contenta supponitur igni, calefit aqua, manente frigido fundo lebetis, quod est intermedium inter ignem, & aquam: ergo agentia naturalia possunt agere in distans, quin agant in propinquum.

Respon-

6 Respondeo, in tribus prioribus exemplis qualitatem, quæ producitur in distans diffundi per totum medium, in quo non causat eos effectus, quia non habent temperamentum proportionatum ad patiendos tales effectus. Quod autem ea qualitas diffundatur per medium, est certum, quia si interponatur in medio corpus incapax recipiendi talem qualitatem, paries, v. g. neque basiliscus occidet hominem, neq; magnes ferrum trahet, neque torpedo brachium piscatoris lædet. Si autem possent agere in distans, quin agerent in propinquum, quid obesset paries interiectus? Idem dicito de oculis fascinantium. Ad illud de fundo lebetis respondet P. Arria. supra num. 53. se expertum esse fundum lebetis valde calidum in casu argumenti. Deinde, admissa ea experientia respondeo cum P. Suar. suprà num. 28. ideo fundum nō esse adeo calidum, ac partes superiores aquæ, quia statim ac calefit pars aquæ proxima fundo, leuior effecta ascendit sursum, & descendunt partes, quæ superiùs erant, quæ cum sint frigidiores aliquid frigiditatis in fundo lebetis producunt, quousque ipsæ calefactæ sursum ascendant, & descēdant aliæ frigidiores.

7 Obijcies secundò: imaginatio, & appetitus commouent, artes distantes corporis, quin proximas commouant. Appetitus enim iræ, cum sit in capite, facit fluere sanguinem circa cor; & imaginatio alios similes effectus causat in partibus distantibus: ergo, &c. Respondeo imaginationem, & appetitum non producere aliquid in partibus distantibus; sed positis illis actibus concitari humores, & spiritus per naturâlem sympatiam, quam cum actibus illarum potentiarum habent.

SECTIO II.

An de potentiâ Dei absolutâ possit agens naturale creatum agere in passum distans quin agat in propinquum.

8 SVppono primò: approximationem non requiri ex parte agentis tanquā causam, ex qua simul cum agente oriatur effectus, sed solum tanquam cōditionem, sine qua non potest operari ex natura rei. Suppono secundò, conditiones non aliter requiri ad effectum producendum, nisi quatenùs sine illis non debetur cōcursus agenti ad operandum, qui quidem concursus, illis positis, debetur agenti. Vnde fit, quod licèt agens non sit approximatum, non ideo deficit illi virtus intrinseca ad effectum producendum, sed solùm deficit conditio, ratione cuius defectus non debetur illi concursus ad operandum.

9 Dico primò. de potentia Dei potest agens quodvis creatū agere in passum distans, quin agat in propinquum ita P. Suar. 3. part. disp.

disp. 31. Card. Bellarm. 2. lib. de Sacram. in genere PP. Conimb. 7. Physic. cap. 2. q. 2. & alij: probatur: quia ideò agens naturaliter nõ agit in distans, quia non est debitus illi concursus. Sed Deus potest illi tribuere talem concursum, etsi indebitum: (quis hoc neget?) ergo potest operari in distans de potentiâ Dei. Confirmatur: quia, etiamsi ad hoc, vt anima rationalis sit vnita materiæ, sit conditio necessaria, quod materia sit extensa, potest Deus illa non extensâ vnionem animæ seruare, vt constat in Eucharistiâ, vbi anima Christi Domini est vnita materiæ inextensæ, ergo de potentiâ Dei poterit fieri, quod agens naturale agat in passum distans. Patet consequẽtia quia, si Deus in primo casu dat concursum indebitum ad vnionẽ, deficiente conditione ex naturâ rei requisitâ; cur in secundo non poterit concursum præstare agenti indebitum propter defectũ conditionis requisitæ?

10 Dico secundò: per eundem numero concursum, quo Deus concurrit naturaliter cum agenti naturali, quando est applicatum, potest miraculosè concurrere, quando non est applicatum. Ratio est: quia miraculum in eo consistit, quod detur concursus indebitus: sed idem numero concursus, qui est debitus, existente approximatione, est indebitus eâdem deficiente: ergo per eundem numero concursum, quo Deus naturaliter cõcurreret ante approximationem, poterit concurrere miraculosè, deficiente ipsâ approximatione. Ex quo fit, illum concursum in eo casu non fore supernaturalẽ quoad substantiam; sed solùm quoad modum, quatenus videlicet, datur, quando non debetur causæ naturali, ac per consequens necessariũ non erit, quod virtus intrinseca agentis augeatur; sed solùm quod detur illi, id, quod hic & nunc non est ipsi debitum.

11 Obijcies: actio est motus agentis ergo non potest separari ab illo adhuc supernaturaliter, ed eo ipso quod ageret in passum distans, separaretur actio ab illo ergò, &c. Distinguo primum consequens: actio non potest ab agenti separari entitatiue, concedo: aliter, nego consequentiam. Explico. Cum actio sit modus agentis, debet esse per suã entitatẽ actuale exercitium ipsius agentis non autẽ potest dari in rerum naturâ actuale exercitium alicuius entitatis, quin actu sit ipsa entitas, quia implicat, rem actu non existentẽ exercẽri actu; præcipuè si exercitium sit physicum. At verò localiter nõ coniungitur agenti actio per suam entitatem, sed per præsentiam superadditam, quam quidem potest Deus illi auferre, cum libere illã producat. Imò de facto contingit naturaliter; quod actio indiuisibiliter orta ab omnibus partibus agentis (vt dicemus in lib. de Gen.) sit localiter separata à pluribus ex illis: neque enim actio est immediatè coniuncta, nisi cum vltimâ parte agentis.

12 Instabis : modus vnionis materiæ, & formæ non potest localiter separari ab eis, quia si materia esset Romæ ; forma Matriti; & vnio Compluti homo esset reuerà diuisus: ergo neque actio potest localiter separari ab agente. Resp. quod, si præsentia hominis sit totum quoddam resultans ex præsentijs materiæ, & formæ tanquã partibus, & præsentia vnionis, tanquã vnione earũ, nõ poterit vnio localiter separari a materia, & formâ : quia in tali casu præsentia vnionis se ipsâ erit vnio præsentiarum, quas habent materia, & forma in vno, & eodem loco, siquidem ex naturâ rei debent esse in eodem loco, quando sunt vnitæ. At verò, si præsentia vnionis non sit vnio præsentiarum materiæ, & formę, rectè poterit de potentia Dei poni vnio in diuerso loco, ac partes, & tunc esset homo diuisus localiter, non entitatiue. Præsentia verò actionis in nullius sententia est modus præsentię agentis, cum de facto detur actio localiter distans ab aliquibus partibus agentis : atque adeò non est ver localiter separari non possit actio ab agente.

LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

DISPVTATIO. XXVIII.

De Inceptione mundi.

1 DVBITAVIT Arist. mundum necessario fuisse cõditũ à Deo ab æterno. Rationes, quibus adductus fuit in hanc sententiam nullius sunt momenti; & videri possunt apud P. Hurt. in Phys. disp. 17. sect. 1. Iam verò fide catholicâ certum est, mundum incepisse in tempore. Constat ex 1. Genes. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*. Circa quem locũ nullus est, qui neget per *Tò in principio*, in sensu literali significari temporis initium, licèt nonnulli Patres in alio sensu explicẽt illam particulã de Verbo Diuino. Deinde Psal. 101 ver. 26. dicitur: *Initio tu Domine terram fundasti, &c.* In his locis non fit mentio de Angelis. Ex alio tamen loco clarè deducitur, eos fuisse in tẽpore productos, etenim Prouer. 8. dicitur;

And

Antequam quidquã faceret à principio cum eo erant cuncta cõponens. Ex quo deducitur, fuisse aliquã durationẽ, in qua Deus nondùm aliquid produxerat. ergo tam Angeli, quam reliqua producta sunt in tempore. Idem definitũ est in capite *Firmiter* de summâ Trinit. & Fide catholicâ, vbi docetur, esse vnum Deum, qui ab initio vtramque de nihilo condidit creaturam, Angelicam videlicet, & humanam. Est tamen non levis difficultas: an mundus potuerit ab æterno produci? Cum autẽ duplex in eo creaturarum genus contineatur: vnum permanentium, successiuarum aliud, de vtroque est nobis suo ordine differendum.

SECTIO. I.

An creatura aliqua permanens potuerit esse ab æterno?

2 CErtum est primò, causam non debere esse priorẽ tempore, quàm effectum, sed sufficere, quod in eodem instanti temporis sit, dummodo naturæ prioritate præcedat. Ratio est: quia ad hoc, vt causa operetur modo, nõ magis requiritur quod antea extiterit, quã quod extitura sit posteà: sed ad hoc, vt operetur modo, non est necessariũ, quod sit posteà extitura: ergo neque quod tẽpore antecedenti exiterit. Minor est certa. Maior probatur quia, sicut modo in hâc entitate est denominatio mere extrinseca, quod posteà extitura sit, ita etiã est modo denominatio merè extrinseca, quod anteà extiterit. ergo, sicut denominatio futuræ rõ iuuat ad agendũ modò, ita neque denominatio præteritæ. Deinde, causa cõcurrit ad effectũ prout habens virtutẽ ad illum: sed in hoc instanti habet totã suam virtutem: ergo in hoc instanti aget, etiamsi non præextiterit tempore antecedenti. Et quidẽ id testatur experientia: quia in eodẽ instanti, in quo lux producitur, illuminat, & videtur: deinde essentia producit suas passiones simul ac producitur. & Christus Dominus in instanti conceptionis habuit gratiã habitualem in se receptam, & elicuit actus liberos, vt docẽt Theologi.

3 Certũ est 2. ad hoc, vt operatio sit libera, necessarium non esse quod agens liberũ præcedat tẽpore sine tali operatione. Idest sanctũ Fide, qua constat, Deũ ab æterno libere decreuisse ea omnia, quæ in tẽpore produxit. Et Christus Dominus ex cõmuni Theologorũ cõsensu in primo instanti suæ productionis libere se obtulit pro redimendo genere humano. Ratio à priori est: quia libertas nõ perpẽditur ex præcedẽtiâ in tẽpore, sed ex eo, quod agens indifferẽter operetur, ita vt pro suo libito possit operari, vel nõ operari, seu vnã vel alterã operationẽ elicere. si autem in eo instanti, in quo operatur, præcedat natura priorítate cũ cognitionibus illud inuitantibus ad vnã, & alterã operationẽ, erit indifferens, vt vnã, vel alterã eligat pro suo libito & illa, quam elicit in eo instãti, erit libera, quia ita eam elicit, vt potuerit in eodẽ instãti cõtrariã elicere, absolute loquendo.

4 Dico *absolute loquendo*, quia ex suppositione quod hanc eliciat in hoc instanti, non potest iam esse non elicere in eodem instanti, quia *omne quod est, quando est, necesse est esse* & ideo, si operatio supponatur esse in hoc instanti, non poterit non esse in illo. At verò, quia ea quæ ex parte agentis requiruntur, absolute loquendo, sunt talia, quæ ex se non magis habeant connexionem cum hâc operatione, quam cum oppositâ, sed æquam virtutem ad hanc habeant, ac ad oppositam, ideo dicitur ita hanc elicere, vt absolute, & simpliciter loquendo aliam potuerit elicere, quatenus est ex se, hoc est, si considerentur ea, quæ ex parte actus primi requiruntur ad operationẽ. His positis.

5 Dicendum est, Deum potuisse producere ab æterno creaturam aliquam permanentem. Ita S. Thom. 1. par. quæst. 46. art. 2. P. Suar. 1. Metaphys. disput. 20. sect. 6. num. 11. P. Vazq. tom. 2. in 1. par. disp. 177. cap. 5. P. Molina, 1. p. quæst. 46. art. 2 P. Valent. tom. 1. disput. 3. quæst. 3. punct. 2. §. 2. *Assertio*, P. Hurtad. in Phys. disp. 16. sect. 2. P. Arriaga disp 17. sect. 2. subsect. 2. & plures alij. Ratio est: quia non implicat, aut ex parte Dei, aut ex parte creaturæ ergo poterit produci? Ex parte Dei non implicat propter rationem causæ, quia, vt probauimus, num 2. de ratione causæ non est quod duratione præcedat effectum: neque implicat propter rationem agentis liberi, quia ab æterno vult Deus libere omnia, quæ in tempore producit: ergo ex parte Dei non repugnat. Sed neque ex parte creaturæ, quia nullum prædicatum datur in eâ oppositum cum æternâ duratione, vt constabit tum ex solutione argumentorum, tum etiam ex eo, quod prædicata aliquarum creaturarũ, vt est Angelus, anima rationalis, &c. non opponuntur cum æternitate à parte post, petũt enim quod semel in rerum naturâ productæ non iterum corrumpantur: ergo neque opponuntur cum æternitate à parte antea.

6 Objcies primò: creatura ab æterno producta esset æterna: sed æternitas est proprium Dei attributum ergo creatura haberet attributum Dei: hoc autem repugnat: ergo & illud. Distinguo maiorem: esset æterna essentialiter, ita vt repugnaret non esse ab æterno, nego: accidentaliter, concedo maiorem. Deinde distinguo minorem: æternitas est attributum proprium Dei, si sit talis, cui repugnet non esse in rerum naturâ, concedo: si vero illi non repugnet non esse, nego minorem. Cum autem creatura ita fuisset ab æterno, vt potuerit non esse, hinc est, quod non conueniret illi æternitas, quæ est proprium attributum Dei. Hìc animaduerte, nonnullos Thomistas, qui supra disput. 22. section 6. docebant, vnum corpus non posse esse supernaturaliter in pluribus locis circunscriptiue, ne cogerentur concedere illi immensitatem, hìc inge-

ingenuè fateri, potuisse creaturam ab æterno produci. Nescio tamen, an sibi cõstent: quia, si immensitas repugnat creaturæ, cur non repugnabit etiam æternitas?

7 Objicies 2. si Deus produceret creaturam ab æterno, necessarium esset, quod eam libere produceret, & conseruaret. atqui non posset eam libere conseruare ergo &c. Minor probatur: quia, si eam libere conseruaret, cessare posset ab eius cõseruatione, quotiescunque vellet. Demus ergo, quod immediatè postquã illã crearet, cessaret ab eius conseruatione. En nõ duraret iam creatura illa per æternitatem: & cùm ex aliâ parte supponamus, fuisse ab æterno, durasset, & nõ durasset ab æterno, quod implicat. Distinguo maiorem. eam libere produceret, & conseruaret simpliciter, & absolute loquendo, cõcedo: ex suppositione, nego maiorem. Est dicere: eam Deus libere produceret, & cõseruaret, quia absolute loquendo potuit eam non ponere in rerum naturâ: at vero ex suppositione, quod semel sit posita, non potest non illã conseruare per totã æternitatẽ à parte antè: quia, eo ipso quod decernit producere illam ab æterno, non potest facere, quod non sit in æternitate, alioqui eam non produxisset ab æterno; sed in aliquo instanti determinato. Confirmatur hæc doctrina: quia ex suppositione, quod Deus decernat producere Petrũ in hoc instanti, non potest illũ destruere in hoc instãti, quia iam simul verificaretur, quod esset & nõ esset in eodem instãti: ergo ex suppositione, quod Deus decernat rem producere ab æterno, non potest illam destruere in æternitate, quia iam simul esset, & non esset in æternitate.

8 Dices: Deus posset eam creaturam corrumpere in tempore taliter, vt nullum fuerit determinatum tempus (loquor de imaginario ante mundi creationem) ante quod in infinitũ non potuisset eam corrũpere: ergo à parte antè sunt infinita tempora priora, & priora, in quibus Deus posset eam creaturam corrumpere. ergo ab æterno potuit eam destruere. Admitto, Deum potuisse eam creaturam destruere in priori, & priori tempore in infinitum, taliter tamen, vt necessarium esset, quod de facto illam destrueret in aliquâ parte determinatâ temporis, quam præcessisset æternitas: quia, si aliqua pars determinata temporis assignari posset, quam non præcessisset æternitas, neque Deus fuisset ab æterno, neq, infinite durasset ante mundi creationem, seu ante tempus illud determinatum, vt ex se constat. Id magis declaratur sect. sequenti.

9 Objicies 3. producat Deus ab æterno ingentẽ ignem, & stupã illi applicatam, hanc non poterit ignis comburere ab æterno iuxta dicta, quia, cum stupa producta sit ab æterno, vt supponimus, non poterit non perseuerare per totam æternitatẽ, transactâ tamen æternitate comburet illam ignis in tẽpore. Vel ergo, transacta æterni-

rate, ita illam comburit, vt antea non potuerit comburere: vel ita, vt potuerit illã cõburere in priori, & priori tempore in infinitũ. Si primum: ergo datur aliqua prima pars tẽporis immediatè post æternitatem, in qua finiatur æternitas, & ante quam nulla potuerit antecedere pars temporis, quod quidẽ admittit nullus, quia non est ratio, propter quam Deus ante illã partem temporis non potuerit producere motum aliquẽ successiuum, qui quidem constitueret tempus antecedens illam partem. Si autem dicas, ignem potuisse comburere stupam in priori, & priori tempore in infinitũ: ergo, cum sit agens naturale necessario operãs, fatendum est, quod, eam de facto combusserit in priori, & priori tempore in infinitũ, ac percõsequens, quod eam combusserit ab æterno, quia infinitæ durationes priores, & priores in infinitum non possunt dari nisi in æternitate. En duo contradictoria: *stupa non est combusta ab eterno*, vt supponitur in fronte argumenti; *& stupa est combusta ab eterno*, vt vi argumenti illatum est.

10 Grauis quidem difficultas, & insuperabilis humano ingenio, quod, cum æternitatem naturâ suâ valde dissidentem à tempore non possit aliter, quam ad modum tẽporis successiui concipere, ita de illa cogitat, ac si successiua esset. At lõgissime abest à tali successione. Vnde vel loquendũ est de æternitate, vt est in se; vel vt à nobis concipitur. Si loquamur de æternitate, vt à nobis concipitur, cum eam concipiamus constantem ex partibus prioribus, & prioribus in infinitum à parte ante, respondeo ad argumentum, nullum posse de facto assignari tempus, ante quod nõ potuerit ignis stupam comburere; sed, cum æternitas sit talis naturæ, vt nulla variatio possit de facto dari, quam infinitæ non præcesserint partes temporis (de imaginario loquor, nam de reali probabitur sect. sequenti nõ posse esse ab æterno) necessarium est, quod ignis non possit de facto cõburere stupam, nisi in aliquâ determinatâ parte, cuius assignatio ad Deum pertinebit. Idem dicito de lapide, qui pendulus in aere produceretur ab æterno, qui quidem non moueretur, nisi in parte determinata tẽporis assignata à Deo, & idem esto de alijs similibus.

11 Si verò loquamur de æternitate, vt est in se, respondeo, æternitatẽ secundùm se posse sumi dupliciter. Primô pro æternitate intrinseca Dei, & de hâc certum est, esse in se formaliter indiuisibilem, totam simul, ac virtualiter diuisibilem, cum possit respõdere tempori diuisibili. Secundo, sumi potest pro extrinseca illâ mẽsurâ imaginariâ, cui concipimus respondere intrinsecã Dei æternitatem. De hâc procedit obiectio facta, & docent plures, eam esse indiuisibilem, & totam simul: nullus tamen apprehendere potest, qua ratione sit hæc indiuisibilitas; sed omnes eam ad modũ rei successiuæ concipiunt cum partibus prioribus, &

prio-

prioribus in infinitum, atque adeo semper loquimur de illâ, ac si talẽ haberet successionẽ. Quapropter obiectioni factæ respondendũ est (adhuc iuxta hanc acceptionem) eo modo, quo num. præcedenti respondebamus, neque enim aliter loqui possumus de hâc æternitate, nisi vt concipitur à nobis.

12 Obijcies 4. duratio creaturæ permanẽtis est successiua: ergo non potuit ab æterno durare, quia vt dicemus sect. sequẽti, successiua esse nõ possunt in actu exercito ab æterno ergo neque potest ab æterno produci creatura permanens. Docui iã disp. 24. sect. 2. durationẽ non esse modũ superadditum rei duranti, sed rem quamlibet creatam fieri durantem partim per suam entitatem, partim per aliquid extrinsecum. Hoc autem extrinsecum diximus, esse tẽpus imaginarium, seu reale respectu eorum, quæ finitam habent durationem, seu infinitam à parte post. Ea vero, quæ ab æterno producta haberent infinitam durationem à parte ante, diximus durare per coexistentiam cum æternitate intrinsecâ Dei nullã habente præcedentiam in duratione cum autẽ neque existentia rei permanentis, neq; intrinseca æternitas Dei sint successiuæ, fit, durationẽ æternam rei permanẽtis productæ ab æterno nullâ ratione esse successiuã, quoad vsque tepus succedat, quo adueniente, fit durans per illud, sicut reliquæ res habentes finitam durationẽ, vt diximus loco citato.

13 Obijcies 5. Patres argumẽtabantur contra Arrium (qui existimabat, Verbũ Dei nõ esse creaturam) hac ratione. Verbũ est æternum: ergo non creatura. Licet autẽ inefficax hæc illatio, si creatura posset esse ab æterno. Resp. hoc argumentum fuisse ad hominẽ quia Arrius fatebatur, omnes creaturas esse productas in tempore, ex quo recte deducebant Patres, quod, si Verbum fuit ab æterno, esse non posset creatura. Si autem aliqui ex Sanctis Patribus innuunt, æternitatem repugnare creaturis, intelligendi sunt de æternitate secũdùm essentiam, quæ est propria Dei, nõ de æternitate participata. Deinde S. Amb. lib. 1. Exaem. lib. 1. c. 30. & Magnus Basil. in Exaem homil. 1. ex eo, quod mundus habebit finem, probant habuisse initiũ, quidem in bono sensu intelligendi sunt. Etenim ibi argumentantur contra eos, qui dicebãt mundum fuisse ab æterno, eo quod, putabant Deum ex necessitate naturæ operari. Ambrosius vero, & Basilius probant Deum non produxisse mundum ab æterno ex necessitate naturæ, quia si Deus fuerit cessabit à conseruatione mundi, quid illum posset cogere, vt mundum necessario faceret?

14 Rogas. an sicut sunt aliquæ creaturæ, quæ petunt durare per æternitatem à parte post, sint etiam aliæ, quæ petant produci ab æterno? Resp. negatiue. Ratio est: quia nulla potest dari creatura, quæ nõ sit finitæ & limitatæ perfectionis intrinsecæ: sed hoc, quod est produci ab æterno non potest

ctiæ iuxta naturã rei limitatæ perfectionis: ergo nulla potest dari creatura, iuxta cuius naturam sit produci ab æterno. Minorem probo: quia ea, quæ sunt iuxta naturam perfectionis limitatæ, debent esse limitata in suo genere. sed duratio ab æterno non est limitata in genere durationis, quia, eo ipso quod est ab æterno, debet esse infinita duratio. ergo hoc, quod est produci ab æterno, non potest esse iuxta naturam rei limitatæ perfectionis.

15 Dices: non minus infinita est ea duratio, quæ est æterna à parte post, quam quæ est æterna a parte antè: sed duratio æterna à parte post potest esse iuxta exigentiam entitatis creatæ, qualis est Angelus, & anima rationalis, vt fatentur omnes: ergo & duratio æterna à parte antè potest esse iuxta exigentiã entitatis creatæ. Admissâ maiori, & minori, nego consequentiam. Ratio discriminis est: quia duratio æterna à parte antè ita est infinita, vt verificari debeat secũdùm se totam de creaturâ productâ ab æterno; neq; enim fieri potest, quod fuerit ab æterno, & quod nõ habuerit infinitã durationem à parte antè, vt ex se cõstat: & ideo, si creatura exigeret esse ab æterno, exigeret durationem infinitã, quæ prout infinita verificari deberet de illâ, quod quidem videtur excedere perfectionem entitatis finitæ, & limitatæ. At verò duratio æterna à parte post ita est infinita, vt nunquã verificari possit tota simul de creaturâ duraturâ per totã æternitatẽ, quia nunquã deveniet ad aliquã durationẽ, in qua verum sit, quod transacta fuerit infinita duratio à tempore, in quo producta fuit ea creatura. Hinc est, quod nunquam verificari possit vt infinita de eâ creaturâ, & ideo nõ excedit perfectionem creaturæ exigentia talis æternitatis.

SECTIO. II.

An motus localis, seu qualibet alia res successiua potuerit esse ab æterno?

16 NOnnulli affirmant, res successiuas potuisse ab æterno produci. Ita P. Vaz. 1. p. disp. 177. cap. 6. & PP. Conimb. hìc cap. 2. q. 7. art. 2. idem docent quoad motus circulares cœlorum. Pro hac sententia adducitur D. Thom. 1. p. q. 46. art. 2. verum ibi tantum intendit Doctor Angelicus probare, rationes, quæ afferuntur ad demonstrandum mundũ non fuisse de facto ab æterno, non esse cõuincentes. Ratio huius sententiæ est: quia nulla datur implicatio.

17 Pro contraria sententia sto cum Durand. P. Suar. P. Valen. & Card. Tolet. relatis à P. Hurt. in Physic. disput. 18. sect. 3. quibus ipse subscribit. Ommissis horum rationibus, sic eam probo in motu locali (& idem esto de aliis successiuis) quia per motum localem successiuum transit mobile de vno loco in alium, ita vt quando ad hunc transit, reliquat illum, vel ergo mobile, quod ab æterno moueretur, transiret de

de loco, in quo creatum fuit; ad alium in eodem instanti, seu duratione, in qua creatū fuit; vel immediate post. Si primum: ergo in il â duratione esset in eo loco, cū creatum sit in illo, &, non esset, cum relinquat illum implicat autem inobile aliquod simul esse; & non esse in eodem loco. Si dicatur secundum: ergo in eo instanti, seu in eâ duratione, in qua creatum est, fuit verum dicere, *Nunc non est motus, & immediate post erit*: ergo motus habuit initium, & primum esse ab æterno: atqui hoc implicat, quia iam daretur principium in motu æterno à parte antè: ergo non est admittendus motus successiuus ab æterno. Dicamus ergo, mobile per totam æternitatem permansisse in eo loco, in quo productum fuit, & posteâ tempore adueniente inde transijsse ad alium locum in ea parte temporis, in qua Deus decreuit, illud primo moueri, vt in simili diximus sectione præcedenti ad tertiam obiectionem.

18 Dices: sicut corpus illud non esset primò productum in aliquâ duratione determinatâ; sed in qualibet supponeretur productum ante illam in infinitum, sic etiam non esset in loco per præsentiam, ante quàm non habuisset aliam, & antè illam aliam, & sic in infinitum: & ideo, licèt nullum locum posset relinquere in eo instanti, seu in ea duratione, in qua illum acquirit; sed in sequēti, nullum tamen acquirit, ante quem non reliquerit alium, & ante illū alium, & sic in infinitum, ergo non est, cur moueri non possit ab æterno.

19 Sed contrà: eo ipso quod corpus illud creatū fuisset ab æterno, debuit conseruari per totam æternitatem, ita vt nō posset substitui aliud loco illius, quousque transacta esset æternitas à parte antè. In hoc omnes conueniunt: ergo, eo ipso quod creatum est ab æterno cum aliquâ præsentiâ, debuit conseruari ea præsentia per totam æternitatem, ita vt nō posset subsitui alia loco illius, quousque transacta esset tota æternitas à parte antè. Probo consequentiam: nam ex eo pro corpore producto ab æterno non posset substitui aliud, quousque transacta esset tota æternitas, quia aliàs corpus illud esset ab æterno, vt supponimus, & non esset ab æterno, quia non duraſſet per totam æternitatem: sed idem inconueniens sequeretur, si præsentia, cū qua creatum est ab æterno, non conseruaretur per totam æternitatem, quia ex vnâ parte esset ab æterno, vt supponimus; & ex aliâ non esset ab æterno, quia non duraſſet per totam æternitatem, vt tu asseris: ergo &c.

20 Confirmatur: quia in eo signo, in quo ante productionem corporis ab æterno supponitur Deus prioritate naturæ indifferens ad producendum, vel nō producendum hoc corpus determinatum, supponitur etiam indifferens ad producendum, vel nō producendum illud cum hâc præsentiâ

tiâ determinata: ergo, sicut, si esset determinatus Deus ad producendum hoc corpus determinatũ, non posset cessare ab eius productione per totam æternitatem à parte ante, sic etiam semel determinatus ad illud producẽdum cũ hâc præsentiâ determinatâ non posset cessare per totam æternitatẽ à productione talis præsentiæ: at, eo ipso quod non cesset à conseruatione talis præsentiæ, nõ mouebitur corpus ab æterno: ergo non potest moueri ab æterno.

21 Secundò probatur nostra conclusio: quia quodcunque mobile, vt pote quod est causa sui motus, debet prioritate naturæ antè omnẽ suum motum supponi cum omnibus conditionibus per se requisitis ad ipsum motũ: sed vna ex conditionibus per se requisitis ad motum localẽ est locus relinquẽdus per ipsum motum, vt fatentur omnes: ergo corpus ab æterno productũ supponi deberet prioritate naturæ ante omnẽ motum localem cũ loco aliquo relinquẽdo per ipsum motum: atqui istum locũ non posset relinquere in eâ duratione reali, in qua supponitur prioritate naturæ ante ipsum motũ: alioqui iam in eâdem duratione reali esset in eo loco, & illum relinqueret, quod quidem implicat: ergo deberet illum relinquere transactâ illâ duratione reali: ergo iã fuisset aliqua duratio realis, in quâ illud corpus quiesceret in loco, in quo creatum esset, ac per consequens non potuisset moueri ab æterno.

22 Respõdent aliqui, corpus supponi in loco ante omnem partem motus distributiue sumptam; nõ verò ante omnem partem motus collectiuè sumptam. Est dicere: nulla est pars determinata in illo motu, quam non præcessit corpus in loco aliquo relinquendo per ipsam partem motus; cæterum ante omnem collectionem partium motus non supponitur corpus in loco aliquo relinquẽdo per ipsum motum, quia, cũ in illa collectione nulla detur pars, quæ sit prima, nõ potest dari locus, qui omnibus antecedat. Sed contra: non minus essentialiter prærequiritur ad motum localem locus relinquendus per ipsum motum, quã corpus mouendum per motum: sed corpus mouendum supponitur prioritate naturę ante omnem collectionem partium motus, vt fatentur omnes: ergo, & locus relinquendus per motũ supponi debet ante omnem collectionẽ partiũ motus: ergo necessarium est, quod corpus ab æterno productũ nõ moueatur ab æterno; sed quod habeat aliquã primã partem motus, per quam incipiat moueri.

23 Obijcies: dantur possibiles partes motus priores, & priores in infinitum, ita vt nulla possit assignari possibilis, ante quam nõ possit esse alia: ergo nõ repugnat, quod de facto dẽtur partes actuales motus priores, & priores in infinitum, ita vt nulla detur actu, quam alia etiam actu non præcesserit: ergo poterit dari motus successiuus ab æterno. Antecedens

sæpe

sæpe admittitur à nobis. Consequentia est legitima, quia disp. 21 de infinito ex eo, quod in statu possibilitatis dentur infinitæ entitates, inferebamus, nõ repugnare infinitum in actu rerum existẽtiũ: ergo ex eo, quod in statu possibilitatis dẽtur partes motus possibiles priores, & priores in infinitũ, bene infertur non repugnare, quod defacto tales partes fiant existentes.

24 Concedo primum antecedens, & nego consequentiam. Ad probationẽ dico, ideõ in eâ disp. de infinito esse illam bonam consequẽtiã, quia implicationes, quæ inferuntur ex hoc, quod sint simul existẽtes infinitæ entitates, deducuntur ex simultate infinitarũ entitatũ; si autẽ in statu possibilitatis nõ repugnat hæc simultas recte infertur, quod neq; repugnabũt ex hoc capite infinitæ entitates existẽtes. In præsenti vero nõ deducimus repugnantiã motus ab æterno, præcise ex repugnantia partiũ priorum, & priorum in infinitum; sed solùm ex eo, quod corpus productũ ab æterno debebat perseuerare per totam æternitatem in loco, in quo productum est, ne cogamur concedere initium motus in æternitate: id autem non sequitur in partibus possibilibus prioribus, & prioribus in infitum, quia, etiãsi corpus perseueraret per totam æternitatem in spatio, in quo productum est, nullum posset assignari instans in ipsa æternitate, ante quod non potuisset corpus illud mutare suam præsentiam. Vndè infertur, non repugnare partes possibiles priores, & priores in infinitum, repugnare tamen quod ad actum reducatur motus, quin in illo detur defacto pars aliqua prima.

25 Dices: in eo instãti, seu duratione, in quâ corpus esset creatũ ab æterno, non posset dimoueri ab eo loco, in quo creatũ esset, vt cõcedimus: ergo datur in æternitate aliqua duratio, in qua non possit esse motus: ergo partes possibiles motus non sunt priores, & priores in infinitum; sed aliqua datur, quã nõ potest præcedere alia. Distinguo antecedens: corpus creatũ ab æterno non posset dimoueri à loco, in quo creatũ est in eâ duratione sumptã secundum se totam, cõcedo: sumpta secundũ aliquid sui, nego antecedens. Est dicere: si corpus crearetur ab æterno, non posset dimoueri à loco taliter, vt per totam æternitatẽ esset separatum à loco, in quo creatũ est; attamen, cum in hac æternitate concipiamus esse partes temporis imaginarij priores, & priores, ita vt nunquam perueniatur ad primam, nullam possumus assignare partem temporis determinatam, quam non præcesserit alia prior, atq; adeo sunt priores, & priores in infinitum. Hinc est in æternitate nullam durationem assignabilem, quæ sit pars ipsius æternitatis, dari, in qua non possit esse motus, etiamsi esse non possit in totâ ipsâ æternitate simul sumptâ.

26 Ex dictis colliges 1. non po-

potuisse ab æterno dari generationes substantiales hominum, leonũ &c. si per coniunctionem maris, & fœminæ, vt modò fiunt, essent peragendę. Ratio est facilis: quia in totâ hâc collectione hominum deberet dari aliquis, qui à solo Deo esset productus, vt probatum est in simili disp. 14. sect. 1. Vel ergo inter huius productionem, & generationem alterius ab isto factam intercessit infinitum tempus, vel finitum. Si infinitum: ergo generatio illa non fuit ab æterno, quandoquidem infinitum tẽpus antecessit illi. Si finitum: ergo neq; generatio hominis à Deo facta; neque generatio secundà ab illo homine facta, fuerunt ab æterno. Non hæc, quia præcessit aliquo tempus ante ipsam. Non illa, quia præcessit secundam solum per tempus finitum, &, finitũ additum finito non potest cõstituere infinitum. Colliges 2. generationes accidẽtales successiue peragendas nõ potuisse dari ab æterno propter eandem rationem.

DISPVTATIO. VLT.

De Principijs proximis motus localis.

1 FIgimus hucusque de principio radicali motus; de ipsius notã natu â; & de proprietatibus. Restat agere de principijs proximis, & immediatis eiusdem: & quia inter motus is, qui præcipue hoc sibi nomen arrogauit, est *latio* (quæ nomine *motus localis* appellatur) agemus in calce horũ librorum de proximis eius principijs, acturi in libr. de Gen. de alteratione, & augmentatione, & generatione. Porro inter principia immediata motus localis, quę dã sunt intrinseca mobili, vt sunt grauitas, & leuitas; quædam illi proueniunt ab extrinseco, vt, impulsus. De omnibus agendum nobis est in hâc disputatione.

SECTIO. I.

De grauitate, & leuitate.

2 STatuo 1. grauia, & leuia moueri in suum centrum per virtutem intrinsecam. Id constat experientiâ: quia, si ingens saxum in medio aere ponatur, & obstaculà auferantur, deuoluitur in centrum magno impetu: atqui in tali casu nullum est agens extrinsecum, à quo talis motus prouenìat, ergo necessarium est, quod proueniat ab intrinseco. Minor est certa: quia non prouenit immediatè à generante, tum quia sæpe distat generans, tũ quia sæpe destructum est: neque prouenit ab aere ambiente, hic enim ex se inclinatur in motum sursum potiùs, quam in motum deorsum: neque prouenit ab ipso centro per virtutem attractiuam, quia centrum nihil est, nisi punctum quoddam imaginarium, in quod tendunt grauia, vt in ipso fiant præsentia; hoc autem, cum non sit aliquid existens, vt dixi disput. 22. sect. 2. non

non porèst realiter attrahere corpora grauia: neque est aliud, a quo talis motus causari possit: ergo causatur immediate ab intrinsecâ virtute corporis grauis. Cõfirmatur: quia nõ minus inclinatur corpus graue in centrum, quam ignis ad calefaciendum: sed in igne datur virtus intrinseca ad calefaciẽdum. ergo, & in graui ad acquirendum centrum. Idem dicito de leui.

3 Statuo secundò, grauitatẽ, & leuitatem esse formas accidentales realiter distinctas à substantiâ corporum grauium, & leuium. Ratio est quia in hostia consecrata remanet grauitas, nihilo remanente substantiæ panis: ergo realiter distinguitur grauitas à substantiâ tanquam accidens illius. Secundò quia aqua, dum calefit, transit de graui in leuem, perseuerante totâ substantiâ aquæ, vt videri poterit in vaporibus aqueis, qui prę nimio calore rarefacti sursum ascendunt. Etenim, dum isti in cooperimento olle detinentur, formam aquæ cernũtur retinere, neque aliam acquisijsse: ergo aqua separatur realiter a natiuâ suâ grauitate, ac perconsequens distinguitur realiter ab illâ. An vero istæ qualitates, grauitas, videlicet, & leuitas distinguãtur à tẽperamento primarum qualitatũ, quod datur in grauibus, & leuibus? incertum est: neque enim prò vtrâ, vel alterâ parte sunt rationes alicuius momenti. Ex hoc infero, motum sursum, & deorsum immediate causari à grauitate, & leuitate quia, licet substantia aquæ non sit productiua motus sursum, siquidem ex naturâ suâ petit grauitatem, nihilominus adueniente illi leuitate, vt in casu prædicto, mouetur sursum ergo talis motus prouenit a leuitate. Et idem à simili dicendum est de grauitate.

4 Rogas an sola grauitas (& idem est de leuitate respectu motus sursum) causet motum deorsum, vel simul cum illâ concurrat forma substantialis corporis grauis? Respondeo, solam grauitatem tum, quia ipsa est sufficiens, & non sunt multiplicandæ causæ sine necessitate tum etiam quia, si forma corporis grauis posset immediate concurrere ad motum deorsum, cum vapores aquæ præ nimio calore leues sunt, non possent sursum ferri, quia, cum forma aquæ sit prope summè grauis, & in illis vaporibus non introducatur prope summa leuitas nondum enim transierunt in aerem, cuius est propria prope summa leuitas, potior quidem esset forma aquæ ad detinendos illos vapores, quã leuitas ipsis denuo aduenies ad ferendos illos sursum: ergo non mouerentur sursum.

A quo moueantur grauia, & leuia?

5 Est tamen difficultas: an motus tribuendus sit grauitati, & leuitati tanquam causis principalibus, vel solum tanquam instrumentis? Thomistæ communiter affirmant, grauia, & leuia prin-

principaliter, & *vt quod* moueri à generante. Eos refert P. Suar. in Met. disp. 18. sect. 7. n. 71. & subscribit ipse nu. 26. sequuntur PP. Conimb. 8. Physic. cap. 4. q. 1. art. 2. Præcipuum fundamentum est Arist. cuius mentē dabo infra.

6 Vera sententia est grauia, & leuia moueri principaliter à, suâ grauitate, & leuitate. Ita Scotus in 2. dist. 2. q. 10. Greg. dist. 6. q. 1 art. 3. & alij plures. Probatur primò: quia grauitas est causa adæquata motus deorsum, vt probatum est nu. 5. ergo respondent illi omnes formalitates effectus: ergo est causa principalis illius. Patet consequentia ex disp. 13. sect. 5. vbi egimus de causâ principali, & instrumentali. Secundò: quia in generante nihil est, ratione cuius debeat obtinere rationem causæ principalis motus deorsum potiùs, quā corpus graue, quod mouetur: ergo, &c. Antecedens probatur quia, si aliquid maximè grauitas, vel substantia ipsius generātis: sed hæ non: quia substantia, & grauitas corporis grauis, quod mouetur, sunt eiusdem rationis cū substantiâ, & grauitate generātis: ergo, si ratione harum habet generans virtutē principalē productiuam motus deorsum, eandē habebit corpus graue, quod mouetur. Deinde ipsi tribuetur effectus tanquam causæ principali potius, quam generanti: tum quia semper est applicatum; generans verò rarò: tum etiam, quia est principiū magis intrinsecū, & effectus cæteris paribus tribuendi sunt principio intrinseco potiùs, quā extrinseco, præcipuè si hoc actu non cōcurrat ad effectū. Aliqui Thomistæ recentiores dicunt hos motus resultare vi generationis, qua primò producta sunt grauia, & leuia. Sed hi iam impugnati sunt in simili supra disp. 13. â n. 14.

7 Obijciunt primò: moueri ab intrinseco tanquā à causâ principali est proprium viuētiū: atqui grauia, & leuia non sunt viuentia, vt omnibus est notum: ergo non mouentur ab intrinseco tanquam à causâ principali. Maior propositio admittitur ab omnibus, & tradita est ab Arist. in hoc lib. tex. 29 & 1. de Anim tex. 19 & 2. de Ani tex. 13. Quod ad id attinet, fateor, propriū esse viuentiū moueri ab intrinseco; non tamen est proprium illorū solum, quia hæc non est differentia, per quā viuētia separantur à non viuentibus, vt videbimus in lib. de Ani. vnde non mirū, quod hæc ratio conueniat nonnullis non viuentibus. Quod attinet ad Arist. locus adductus ex hoc lib explicabitur infrâ. In libro vero 1. de Ani. text. 19. solū dicit, animatum distingui ab inanimato duobus præcipuè: motu videlicet, & sensu. Quis autē sit iste motus, vel quâ ratione peragatur? non explicat ibi, explicuit tamen in alio loco adducto ex 2. de Ani. tex. 13. vbi non distinguit viuentia à non viuentibus ex eo, quod illa moueantur ab intrinseco, secus hæc, sed ex eo, quod viuentia sint causa augmentationis, & decretionis secundum quamlibet

bet differentiam loci: non vtentia vero moueãtur secundùm vnĩ tantum differentiam loci, vt, sursù n, vel de sùm tantùm ergo ex his locis nihil deduci potest contra nostram sententiam.

8 Obijciunt secundo Arist. qui hoc libr. text. 29. rogans, à quonam moueantur grauia, & leuia? Subiũgit. *Etenim ipsa à seipsis dicere impossibile est. Vitale enim hoc, & animatorum est proprium* Deinde tex. 33. ait. *Eorum autẽ, quæ natura* (mouentur), *rursus, & quæ à seipsis mouentur ab aliquo moueantur; & quæ non à seipsis vt grauia, & leuia (aut enim ab eo, quod generauit, & fecit leue, aut graue, aut ab eo quod impedientia, & probibentia soluit) omnia vtique, quæ mouẽtur ab aliquo mouentur*, ex quibus clare videtur colligi, quod ex mente Arist vel grauia, & leuia nõ sunt causæ suorum motuum, vel, si causæ sunt, non tamen principales, sed instrumentales solùm; generans vero esse causam principalem.

9 Cæterũ longe alia est mens Arist. in istis locis, vt acute vidit P. Vson hîc. Et quidem ex vltimo loco clare cõstat, Arist. cõcedere grauibus, & leuibus principium intrinsecũ sui motus: ait enim, grauia, & leuia esse aliqua ex his, quæ naturâ mouentur: apud ipsum vero idem est moueri naturâ, ac habere intrinsecũ principiũ sui motus, quia 2. lib. Phys. definiuit naturam: *Principiũ, & causa motus & quietis, eius in quo* est ipsa natura, vt ibi explicuimus. Deinde lib. 4. de cœlo tex. 24. assignans discrimen inter sanabile ex vnâ parte & graue, & leue ex alia, ait: *Nisi quod hæc quidẽ in seipsis videntur habere principium mutationis (dico quippe graue, & leue), illa autem non, sed extrinsecus vt sanabile* ergo non negat Arist. grauibus, & leuibus principium intrinsecum sui motus.

10 Dum autem docet, grauia, & leuia non moueri à se; sed a generante, vel à remouente prohibẽs, nõ loquitur de principio causatiuo motus, sed de principio determinante ad hunc motũ potiùs, quàm ad alium. Quod quidem in grauibus dixit esse generans, quia illis indidit formam ex qua determinatam ad motum tantùm deorsum, vel remouens prohibens, quia, dum hoc remouet id, quod motum corporis grauis impediebat, determinat illud, vt, hîc, & nunc deuoluatur deorsùm.

11 In animalibus vero aliter se habent res: quia ipsa se determinãt ad hunc motum potiùs, quã ad illum, cum spontaneè per cognitionem, & appetitum imperent motum versus hanc, vel illam partẽ, prout ipsis proponitur expedire. Id expressit Arist. eo tex. 29. vbi postquàm ea verba posuit, *ipsa enim* (grauia, & leuia) *à seipsis dicere* (moueri) *impossibile est: vitale enim hoc, & animatorum est proprium*, addidit: *Et sistere possunt se ipsa. Dico autem, vt, si ambulandi causa sit sibi; & non ambulandi: quare si in ipso igne est sursum ferri, manifestum*

fertum est, quod in ipsa, & deorsùm. Irrationabile autem est illud vno motu moueri solum à se ipsis, si ipsa se ipsa mouent. Ex quibus verbis clare constat, sorùm negare Arist grauibus, & leuibus principium se determinandi ad hunc vel illum motum, sicut datur in animatibus ipsis, & sicut datur in plãtis, in quibus inest virtus attractiua alimenti versus omnem partẽ, vt versus omnẽ differentiam loci habeant incrementum.

12 Id magis confirmatur ex verbis adductis ex text 33. Etenim, cum dixisset ibi, grauia, & leuia non moueri a seipsis, addidit: *Antenima e, quod generauit, & fecit leue, aut graue, aut ab eo quod impedientia & prohibentia soluit.* Certum autem est, grauia, & leuia nõ moueri ab eo, quod soluit impedientia tanquam à causâ principali: quis hoc dicat? cum remouens prohibens inter causas per accidens cõmuniter numeretur, sed tanquam à determinãte, vt dicebamus numero præcedente: ergo hãc solum ratione tribuit Arist. generanti motus grauium, & leuium. Eãdem rationẽ est intelligẽdus text. 32. in fine, dum dicit: *Quod igitur nihil horum ipsum mouet se ipsum* (loquutus fuerat de grauibus, & leuibus inter alia, *manifestum est, sed motus habet principium, non mouendi, neque faciendi, sed patiendi*: loquitur enim de principio determinãtẽ. In eundẽ sensũ explica D Th supra hũc locũ Arist. & alijs in locis, qui citari solent pro sentẽtiâ Thomistarũ.

13 Obijciunt tertiò, ipsum Arist. qui 2. de Gen tex. 8. docuit, grauitatem, & leuitatem non esse principia agendi: ergo sentit non moueri ab intrinseco grauia, & leuia. Sed vt bene aduertit P. Suar. suprà nu. 14. ibidem negat Arist. esse principia patiendi, quare non magis nobis contradicit, quam aduersarijs. Loquitur ergo ibi de principio agendi, & patiẽdi actione, & passione, quæ ad generationem, & corruptionem substantialem tendat, de qua ibi loquebatur: quæ quidem actio, & passio non conuenit grauibus, & leuibus ratione grauitatis, & leuitatis (quas putauit Arist. esse secundas qualitates) quia hæ neq, sunt qualitates productiuæ formæ substantialis, neque dispositionis ad illam requisitæ.

Quid sint, & à quo immediate fiant grauitas, & leuitas?

14 EX dictis infertur 1. quid sint *grauitas*, & *leuitas*: *grauitas* enim est *qualitas ex natura rei debita corporibus ad motum deorsum determinate eliciendum*. *Leuitas* vero est *qualitas ex natura rei debita corporibus ad motum sursum determinate eliciendũ*. Vbi aduerte cauitatem contentam inter centrum vniuersi, & cœlum posse à centro vsque ad cœlum diuidi in duas medietates, quarum illa, quæ se habet ex parte centri absolutè dicitur spatium deorsum medietas vero, quæ se habet ex parte cœli, absolutè dicitur spa-

ſpatium ſurſum Dum autem dicimus, grauitatem eſſe determinatam ad motum deorſum, loquimur de motu tendente in medietatem ſpatij ſe habentē ex parte centri, & è contrà de leuitate.

15 In hunc ſenſum intelige definitiones leuitatis, & grauitatis traditas ab Ariſt. 4. lib de cœlo cap. 1. tex. 4. & 6. (his verbis: leue eſt, *quod à medio* (hoc eſt ab eâ medietate ſpatij ſe habente ex parte centri, quod eſt medium vniuerſi) *tendit in ſuperum* Graue eſt, *quod tendit in medium*. Vnde, ſi aer moueretur a centro ignis vſque ad ſuum centrum, non dicendus eſſet moueri deorſum abſolute, ſed tantum reſpectiue ad centrum ignis, & ſi aqua moueretur a centro terræ ad proprium, non dicenda eſſet moueri ſurſum abſolute, ſed tantùm reſpectiue ad centrum terræ. Et ideo aer non dicetur eſſe in eo caſu habere grauitatem, ſed aut minorem leuitatem, aut leuitatem diuerſe rationis, quam ignis: neque aqua dicenda eſt habere leuitatem, ſed grauitatē minorem, aut diuerſe rationis, quam terra. Vide lib. de Gen. diſp. 10. ſect. 1. vbi ago de diſcrimine grauitatis, & leuitatis horum elementorum.

16 Secundo obſeruatur, grauitatem, & leuitatem immediatè cauſari à temperamento primarum qualitatum (ſi enim qualitates ſecundæ) Ratio eſt, quia magnâ celeritate, præcedente leuitate, vt ſupra diximus, & ſuppoſita, aqua producatur, nihil à temperamento primarum qualitatum primarum, quæ tunc in ipſa aqua, calore v. g. & frigore conſiſtit, & aliarum. Neque enim calor ſolus ſufficiet, quia, etiam ſi ſit calefactiuus, non calefaciet, ergo, &c. Minor eſt certa, quia leuitas non poteſt in eo calore eſſe à forma aquæ, cum ſecundum grauitatē inclinetur ex natura ſuâ, neq, ab ambiente quia, quādo aqua in lebete cōtenta applicatur igni, ea partes, quæ ſunt contiguæ fundo lebetis citius rarefactæ inducunt leuitatē, qua ſurſum feruntur, vt notum eſt: nequit autem ea leuitas produci à fundo lebetis, à quo proxime ambiuntur ha partes aquæ, quia lebes eſt grauis dixerim ergo, producī a calore, & alijs primis qualitatibus exiſtentibus in aqua.

Grauia non grauitant in centro.

17 ROgas, an corpora grauia grauitent, & leuia leuitent in centro? Reſpegarus, quando tunc corpus grauitare dicitur (& idem eſto de leuitatis modo) quando ratione grauitatis mouetur, vt propriam locū, ſeu partem acquirat: at quādo eſt in proprio centro, nō poteſt impelli, vt inde ad aliū locum tranſeat, & potius ibi eam in virtute quietis ergo neq, grauitare poteſt. Cōmuniter ex philoſophis, quia tales partes aquæ à profundum ignis demerguntur, & primum ſui ponderis aquæ leuitent, eam tamen ſuperficiem aquæ habeant, quam extra mare non poſſent habere, quod quidem aliunde prouenit ratione ſitus ex eo, quod aqua non grauitet in proprio centro.

18 Neque ad hoc est necessariũ, quod omnes partes immediate attingant centrũ: quia, cum hoc sit indiuisibile, non potest immediatè ab omnibus partibus attingi, sed sufficit, quod vel attingant immediatè centrum, vel sint coniunctæ cum alijs attingẽtibus centrum: alioquì necessariũ esset, quod fere omnes partes corporis grauis essent semper violentæ, cum paucæ ex illis centrum immediatè attingere possint. Confirmatur: quia, si partes aquę aliæ in alias sibi continuas grauitarent, multo magis grauitarent in corpus ipsis immersum: atquì non grauitant in corpus hominis immersum illis, vt dicebamus paulo ante: ergo neque aliæ in alias sibi continuas. Si verò homo succumbat aquis existentibus extra suum centrũ, sentiet pondus illarum, vt constat in homine substinente amphoram aquâ plenam, quia iam ibi grauitat aqua. Ex his facile est rationem reddere aliquorum, quæ experimur. Vide P. Arriag. disp. 4. de Gen. sect. 5. vbi erudite plura circa grauitatem, & leuitatem disquirit.

19 Ratio à priori, cur aliæ partes non grauitent in alias sibi continuas, est: quia grauitas datur corpori graui, vt proprium consequatur centrum: ergo ex actiones debentur grauitati ex naturâ rei, quæ necessariæ sunt ad hunc finem. Ad hoc autẽ, vt corpus graue, seu quæuis pars illius propriũ consequatur centrum, duo sunt necessaria, & quod se ipsam impellat in centrum, & quod impellat illa, quæ ipsam remouent à consequutione centri: sed partes inferiores corporis grauis non remouent superiores eiusdem corporis à consequutione cẽtri ergo non est, cur grauitas in his existens illas impellat: ergo superiores non grauitant in inferiores, neq; enim aliter vnũ grauitat in aliud, nisi imprimendo impulsum deorsum in illud. Minor est certa ex proxime dictis: quia partes corporis non petunt omnes determinate esse immediatas centro vniuersi; sed vel illi immediatas, vel coniunctas cum alijs, quæ sint immediatæ centro: ergo ex, quæ sunt inferiores, non remouent superiores à consequutione centri: ergo non est, cur hæ grauitent in illas.

SECTIO. II.

Statuitur impulsus, à quo projecta corpora moueantur immediatè.

20 CErtum est, dari aliquã causam motus projectorum, à quâ immediate oriatur ipse motus. Hanc dicimus in præsenti esse qualitatẽ quandã à projiciẽte impressam corpori projecto, quæ *impulsus* appellatur, quia mediâ illâ impelluntur aliò ipsa corpora. Probatur ergo, concedendã esse istam qualitatẽ: quia motus projectorũ debet habere aliquã causam, à quâ immediate oriatur: sed non potest dari alia, nisi qualitas impressa in ipsis projectis: ergo adstruenda est talis qualitas. Minor pro-

probatur· quia, si aliqua alia daretur causa, maxime proiciens, vel aer circunstans; neq, enim alia assignari potest · sed non potest esse proiciens, tum quia sæpe perseuerat motus corporis proiecti extincto proiciente, tũ quia, etiãsi perseueret proiciens, nõ potest motũ causare, nisi sit applicatũ mobili. atqui statim ac proiectũ corpus incipit moueri, separatur à proiciẽte: ergo partes motus postea succedentes nõ possunt immediate oriri a proiciẽte. Neq; potest motus proiectorũ prouenire ab aere circunstante· quis enim credat aerem circunstantẽ tanto impetu agitare pilã à tormento æneo contortã, vt mœnia labefactet, & fortissima quęq, munimina prosternat, præcipue cum sæpe contra impetũ actis è contrario flantis agitetur?

21 Dicamus ergo, aliquã virtutẽ in proiecto imprimi, quæ sit causa immediata motus ipsius proiecti Hanc vocamus impulsũ, eritq; magis, vel minus efficax pro maiori, vel minori virtute, seu conatu proiicientis. Neque solũ corpora medio impulsu proiciuntur, sed etiã medio eodẽ vehuntur, & trahuntur, ferro & lilatantur, ac cõprimuntur. Omnes enim isti, & alij similes motus immediate oriuntur ab impulsu, quæ, si homo, v.g. dum corpus proiicit, impulsum in illo imprimit, cur nõ imprimet etiam impulsum, etsi minus intensum in corporibus, quæ ad se trahere conatur, vel secũ vehit? Addę impulsum non solũ esse causam immediatam motus, sed etiã habere virtutẽ ad causandũ alium impulsum sibi similem. Ratio est quia, quando lapis proiectus impingit in alium, illũ loco mouet, & alio impellit, adhuc contra vim natiuam illius: atqui hic impulsus non causatur a forma lapidis proiecti, quia hæc est causatiua tantùm motus deorsum, neq, à quãtitate ratione impenetrabilitatis, quia, vt diximus disp 22. sect. 8. quantitas non impedit penetrationẽ cũ alia, imprimendo impulsum in illa· ergo talis motus prouenit ab impulsu lapidis proiecti. Aliam omitto rationem vulgo plausibilẽ, quia non est efficax iuxta doctrinã a nobis traditam in lib. de Gen.

22 Obijcies Arist. hic tex. 82. vbi ait· *Necesse est enim hoc quidem dicere id, quod primũ mouit, efficere vt aer, aut aqua, aut aliquod huiusmodi, quod monere, mouerique aptũ est, possit mouere.* Et idem videtur docere libr. de Insomnijs cap. 2. sub initium, & in quæstionibus mechanicis tex. 26. ergo sentit Arist. motus proiectorũ immediate prouenire ab aere, seu aquâ circunstante. Respondeo, Arist. in his locis tantùm intendere, corpus existens in medio, per quod proiecta impelluntur, aliquando simul cum impulsu impresso iuuare ad motum illorum. Id constat ex illo tex. 82. Vbi post verba supra citata ait· *cessat autem* (proiectum à motu) *cum vis mouendi in id, quod haret, minor imprimitur.* Quibus verbis docet, cessare motum proiecti cum minor virtus motiua imprimitur in cor-

pore illi cedente, seu contiguo: ergo iam cõcedit aliquã vim in corporibus impressam, ex cuius defectu cessent moueri corpora proiecta hæc non potest esse alia, nisi impulsus ergo, &c.

23 Obijcies 2. si motus, quo lapis sursum proijcitur, oriretur immediatè à qualitate impressa in ipso lapide, non esset violentus: hoc autem sustineri nequit. ergo neque illud. Maior probatur: quia violentum debet efficienter procedere à principio extrinseco, vt dictum est disp. 9. sect. 3. atqui in eo casu procederet motus lapidis à principio intrinseco, quia impulsus esset intrinsece in lapide: ergo motus non esset violentus. Nego maiorem. Ad probationem distinguo maiorem violentum est efficienter à principio extrinseco, si *extrinsecum* sumatur, prout dicit esse extra mobile, nego: si sumatur prout dicit esse extra natiuam inclinationem ipsius mobilis; concedo maiorem. Impulsus autem, licèt non sit extra mobile, nihilominùs taliter est in mobili, vt non sit virtus illud per se consequens ex naturâ rei, sed proueniens ab extrinseco; vel, si ab intrinseco, determinari debet ab extrinseco ad hoc, vt causet motum surium in lapide, vt dicemus infrà: quod quidem sufficit ad hoc, vt motus lapidis sursum, qui ex alia parte est contra natiuam inclinationem ipsius lapidis, sit violentus.

24 Obijcies tertiò: dum proijciens imprimit impulsum in proiecto intensiorem impulsum recipiunt partes proximiores ipsius proiecti, quam remotiores, quia agens naturale fortiùs agit in propinquũ, quàm in distans: ergo velocius mouebuntur partes proximiores proiecti, quã remotiores: hoc autẽ est contra experientiam, qua constat, omnes partes proiecti moueri simul: ergo non mouentur proiecta per impulsum in ipsis impressum. Concesso primo antecedenti, nego consequentiam: quia, cũ ex vnâ parte omnes partes proiecti debeant simul moueri (si impulsus nõ sit sufficiens ad illas disconuinuandas) & ex aliâ impulsus minus intensus non habeat virtutẽ ad producendũ effectum intensiorem, necessarium est, quod iste ita attemperetur cum illo, vt, in parte quam efficit, non producat velociorem motum quã remissus producit in parte sibi respõdente. Adde quod præsens obiectio etiã militat contra oppositam sententiã, vt perpendenti constabit.

25 Denique obijcies quartò: D Thom. qui lib. 3. de cœlo negat imprimi proiectis virtutem aliquam a proijciente. Respondeo, D Thomam tantùm negare virtutem in proiecto impressam ea ratione, qua imprimuntur grauitas, & leuitas in primâ generatione, quia hæ imprimuntur vt virtutes innatæ ex natura rei comitantes grauia, & leuia vbicumque sint: impulsus verò imprimitur vt qualitas saltem præternaturalis ipsis corporibus, neque per multũ tempus duratura in illis. Moueor ad hanc explicationẽ, quia Angelicus Do-

Doctor pluribus in locis adstruit impulsum. Etenim quæst 3. de Potentiâ Dei art. 11. in solut ad 3. ait: ***Instrumentum intelligitur mouere à principali agente, quandiu retinet virtutem à principali agente impressam. Vnde sagitta tandiu mouetur à proiciente, quandiu manet vis impulsus proiicientis.*** Idem repetit q. vni. de Ani. art. 11.

Impulsus sæpè producitur in mobili à vi natiua ipsius mobilis.

26 Hìc animaduerte, impulsum sæpe prouenire à vi natiuâ corporis, quod mouetur, vt, quando lapis deorsum fertur à sua grauitate, nõ solùm imprimit impulsum in corporibus circũstantibus; sed etiam in seipso (idẽ est de ieiu, quando vi propriâ sursum ascendit.) Id constat ex eo, quod lapis, quo ex altiori loco decidit, velocius mouetur, dum appropinquat terræ: ergo debet habere tunc aliquam causam, à quâ ista maior velocitas producatur: hæc non potest esse nouua grauitas, quia semper manet in eodem statu, in quo producta est in prima generatione lapidis: ergo erit impulsus aliquis productus ab ipsâ grauitate in ipso lapide. Hunc quidem impulsum non producit grauitas in lapide, nisi deorsum moueat ipsum lapidem, quandoquidem talem impulsum non producebat ante motum deorsum, vt constat experientiâ, qua noti mus, non augeri continuo impulsum lapidis, dum quiescit. Deinde grauitas, dum per longiorem tramitem mouet lapidem deorsum, intensiorem impulsum in eo producit cuius signum euidens est, quod, quando lapis decidit ex altiori loco, velocius mouetur, dum appropinquat terræ, quam si ex inferiori loco decidisset: id autem aliunde prouenire nequit, nisi ex eo, quod, cum grauitas per longius spatium causauerit motum deorsum in lapide intensiorem impulsum paulatim in eo produxit.

27 Dices: maior velocitas motus lapidis iuxta terram potest tribui minori resistentiæ ex parte medij: etenim, cum lapis multum distat à terrâ, plures partes aeris interponuntur, quæ motum eius impedire possint; dum verò appropinquat terræ pauciores partes aeris resistunt: ergo hæc minor resistentia potest esse in causâ, vt motus lapidis sit velocior iuxta terram, quam dum multum distat a terrâ. Sed contrà est, quod, si maior illa velocitas tribuenda esset minori resistentiæ medij, æqua velocitate moueretur lapis iuxta terram, quando decidit ex altissimo loco, ac quando ex distantiâ vnius vlnæ decidit, quia, quando distat per vnum tantùm palmum a terrâ, parua est resistẽtia aeris intersecti, siue è sublimi, siue ex infimo loco deciderit: atqui experiẽtâ constat, quod, cùm è sublimiori loco decidit lapis, maiori velocitate mouetur, appropinquans terræ, quam cùm ex inferiori loco descendit, cuius signũ est, quod in primo casu maiorem impetum

imprimit in subiectâ manu, quam in secundo casu: ergo non potest esse in causa huius velocitatis minor resistẽtia medij, sed aliqua causa, quæ denuo accrescens lapidi ratione motus deorsum, eo magis augetur, quo magis durat ipse motus, ac per consequens, & maiorẽ velocitatẽ causat in ipso lapide; & facit, quod maiorem impulsum imprimat in subiectâ manu: hæc autẽ causa nõ potest esse alia nisi impulsus à corpore graui impressus in se ipso: ergo concedendus est talis impulsus.

28 Rogas: an quo maior est lapis deorsum descendens, intensiorem impulsum in se ipso producat? Resp. negatiue: quia experientia constat (vt fatetur *P.* Arriaga, & ego expertus sum) quod, si duo lapides prægrandis vnus, & exiguus alter simul decidant ex eminenti turri, non prius impingit in terrã vnus, quam alter. Si autem prægrandis lapis intẽsiorem in se impulsum imprimeret, quã exiguus, citiùs perueniret ad terrã, vt per se constat ergo non producit in se impulsum intensiorem.

29 Hinc colligitur id, quod non semel docuimus, nempè partes superiores corporis grauis (& idem esto de leui suo modo) non grauitare, seu imprimere impulsum in alias inferiores sibi continuas, nam si impulsum imprimerent in partes inferiores sibi continuas, cũ plures partes sint in prægrandi lapide, quã in exiguo, intensior impulsus produceretur in partibus inferioribꝰ prægrandis lapidis, quàm in partibus inferioribus exigui. Deinde intẽsior ille impulsus intenderet impulsum existentem in partibus superioribus, quo fieret, vt lapis grandis velocius moueretur, quàm exiguus: atqui experientia constat, rem non sic euenire, quandoquidem magnus lapis non citius, quam exiguus impingit in terram: ergo partes non imprimunt impulsum in alias sibi continuas; sed singulæ se ipsas solùm impellunt. Loquor de grauibus, & leuibus respectu sui ipsorũ; non verò respectu subiecti alieni, de quo infrà.

30 Deinde, cum omnes æquales impulsum in se producant non potest impulsus impressus in vnã intendere impulsum impressum in aliâ, quia simile non potest intendere sibi simile iuxta dicẽda in lib. de Gen. si verò vna haberet intensiorem impulsum, quam alia, impulsus illius intenderet impulsum existentem in hac, quia impulsus potest producere impulsum sibi similem in quouis passo approximato; nõ verò grauitas, nisi vel in suo subiecto, vel in alio, quod remoueat illud à consequutione centri, iuxta dicta suprà num. 19.

31 Dices: maiorem grauitatẽ habet lapis magnus, quam paruus: ergo intensiorem impulsum in se producet. Distinguo antecedens: maiorẽ grauitatẽ habet quoad extensionẽ, concedo: quoad intensionem, nego antecedens. quia, si prægrandis lapis diuidatur in partes æquales cum lapillo nulla ex illis grauitabit plus, quã lapillus: ergo

nulla

nulla ex partib⁹ lapidis maioris habet intensiorē grauitatē, quā exiguus lapis, nam, vt dicemus in lib. de Gen. intensio fit per additionē graduum in eadem parte subiecti: si autem quęuis pars lapidis maioris haberet ante diuisionē plures gradus grauitatis, eosdē haberet post diuisiorē quandoquidem grauitas non corrumpitur per diuisionem partium corporis grauis.

32 Ex hoc fit, impulsum nō esse intensiorem in maiori lapide, quā in minori: quia, cum quæuis lapidis pars non producat impulsum mediâ suâ grauitate, nisi in se ipsâ; & in quâlibet parte lapidis maioris non sit grauitas intēsior, quam in lapide minori, nulla pars in se producet intensiorem impulsum, quam exiguus lapis in se producit, ac perconsequens nulla pars lapidis pergrandis mouebitur velocius, quàm lapis exiguus.

33 Instabis si vterq, lapis supra manū cadat maiorē, impulsum imprimit in illa eximius, quā exiguus: ergo & in se ipso producet ille maiorē impulsum, quàm iste. Concedo antecedens, & nego cōsequentiam. Ratio disparitatis est clara quia ad imprimendū impulsum in manu cōcurrunt omnes partes lapidis: cum autē in lapide pergrandi plures sint partes, quam in exiguo, plus aget ille, quā iste, quia multitudo agentiū iuuat ad agendum at vero, cùm quilibet lapis in se producit impulsum, non iuuantur mutuo partes ad agendum, sed quæuis habet suam grauitatē deorsū, qua deorsum fertur, vt constat ex dictis supra num. 19. Cum autē quæuis pars lapidis maioris non habeat intensiorē grauitatem, quā lapillus, non producet ille in se intensiorem impulsum, seu velociorem motum, quam hic.

SECTIO III.

De Natura impulsus.

34 CErtum est 1 impulsum esse qualitatē pertinentem ad primam speciē qualitatis, quæ dicitur *Habitus, & Dispositio*, &, ad secundam, quæ *Potentia, & Impotentia* nuncupantur. Quod pertineat ad prædicamentū qualitatis, nullus est, qui dubitet: neque enim ad aliud prædicamentū pertinere potest. Quod vero pertineat ad primam, & secundā speciē qualitatis, probatur: quia in aliquibus corporibus, qualia sunt violenta, & proiecta existit, vt primū principium intrinsecū motus illorū, cum non detur in illis aliud principiū, a quo vel motus, vel ipse impulsus procedat, & ideo pertinebit ad *Potentiam, & Impotentiam*, quæ est secunda species qualitatis. In alijs verò, qualia sunt grauia natiuâ vi deorsum descendentia, existit impulsus tanquā quid proueniens ab eorū grauitate, vt hæc ab illo adiuuetur ad causandā maiorē velocitatem motus, & ideo pertinebit ad *Habitus, & Dispositionem*, quæ est prima species qualitatis. Hæc facile intelligitur ex ijs, quæ diximus in Logicâ circa distinctionem specierum qualitatis.

35 Certū est secundō, impulsum admittere intensionem, & re-

missionem P. Primò quia, vt docuimus in Log. disp. 18. a num. 9 de essentia qualitatis est admittere intensionem, & remissionem. Secundo quandoquidem corpus, quod modo velocissimè mouetur, paulo post mouetur tardè. Cuius causa non est alia, nisi quòd modo datur intensus impulsus in illo, & postea paulatim remittitur, donec omnino cesset. Deinde certum est, non esse de essentiâ impulsus actu causare motum, sed aptum esse illum causare. Id constat ex eo, quòd sæpe imprimitur impulsus in aliquo corpore, quin ipsum præ nimiâ resistentiâ moueatur.

36 Est ergo difficultas circa specialem naturam impulsus, in quo videlicet distinguatur à grauitate, & leuitate? & an sit talis, vt pro singulis motib⁹, qui per diuersas differentias, & lineas loci peraguntur assignãdus sit impulsus specie distinctus? vel potius quilibet impulsus ex naturâ suâ possit mouere corpora per quemlibet tramitem, & per quamuis lineam loci? Docti recent. docent, quẽlibet impulsum ex naturâ suâ esse determinatũ, vt corpus moueat per certum, & determinatum tramitẽ, ac lineam. Vnde inferunt primò, impulsus, qui per diuersas lineas mouent, esse specie distinctos, & incompossibiles in eodem subiecto. Inferunt secundò, eos, qui mouent per contrarias lineas, esse contrarios. Et addunt, nunquam corrumpi vnum impulsum, nisi per aduentum alterius cõtrarij, seu incompossibilis

37 Secundò docent, quẽlibet impulsum distingui specie a grauitate, & leuitate. Et de reliquis facile constat. De his vero, qui mouent sursum, vel deorsum, probãt: quia grauitas ex naturâ suâ potest mouere lapidem per quamlibet lineam deorsum: quilibet vero impulsus ex iis, qui mouent deorsum, non potest mouere, nisi per vnam tantum lineam: ergo quilibet impulsus ex istis est specie distinctus à grauitate. Idem dicendum de impulsibus mouentibus sursum respectu leuitatis. Hæc sententia refutabitur ex his, quæ pro nostrâ dicemus.

38 Dico primò: omnes impulsus sunt eiusdem speciei infimæ ex naturâ suâ indifferentes ad causandum motum per quemcumque tramitem, vel viam. Ita plures recentiores, quibus subscribit. P. Arriaga disp. 4. de Gen. sect. 5. subiect. 5. Probatur vna si aliqui essent specie distincti maximè ij; qui motus causant per oppositas lineas, vt sunt linea sursum & deorsum, directa, & reflexa: at hi sunt eiusdem rationis. ergo & omnes. Minor probatur quia, quando pila proijcitur in parietẽ per lineã directã, & ex pariete resilit per reflexam, vterq; motus causatur ab eodem impulsu impresso à proijciente in ipsa pila: ergo motus causati per lineas oppositas non procedunt ex impulsibus diuersæ rationis. Antecedens probatur. quia experiẽtia constat, pilam, quo fortius proijcitur directè in parietẽ fortiùs resilire reflexe ex ipso pariete: atqui nõ ita res se haberet, si resiliret per

per impulsum oppositum cum illo, quia proijciente processit: ergo, &c. Minor probatur: quia passum applicatum agenti determinatæ virtutis minùs aptum est ad recipiendam qualitatem ab ipso introducendam, quo magis habet oppositæ. ergo, si pila resilire deberet ex pariete per impulsum oppositum illi, qui fuit à proijciente impressus, eò ad minorem distantiam resiliret, quo vehementiori impulsu proiecta est à proijciente; atqui contrariũ euenit, vt experientiâ constat: ergo pila non resilit per impulsum oppositum, sed per eundem, quem proijciens impressit & id est in causa, vt quo maiori impetu iacta tur in parietem, eò ad maiorem distantiam resiliat. Idem dico de pilâ deorsum descendente natiuâ grauitate in terram, & ex terra resiliente sursum, motus enim sursum in hoc casu producitur ab impulsa, quem in se imprimit pila, dum descendit deorsum.

39 Obijcies: motus pilæ sursum est violẽtus ipsi pilæ: ergo nõ potest causari ab impulsu producto per natiuam grauitatem ipsius pilæ alioquì iam motus violẽtus pilæ mediate saltem proueniret ab intrinsecâ, & natiuâ virtute ipsius. Distinguo consequens: non potest causari ab impulsu producto per grauitatem pilæ, dum impulsus producitur, seu conseruatur ab ipsa grauitate, concedo: postquam grauitas cessauit à conseruatione impulsus, nego consequẽtiam. Rem explico; grauitas pilæ non potest producere impulsum in ipsâ pilâ, nisi quando illam mouet deorsum, vt dicebamus sect. præcedenti. Dum autem pila impingit in terrã, cessat motus deorsum, ac perconsequens grauitas pilæ à conseruatione impulsus, quem anteà produxerat in ipsâ pilâ. Hinc est, quod, dum impulsus ille determinatus à terrâ eo modo, quo dicemus sect. sequẽti, pilam iterum rapit, nullatenus tribuendus sit talis motus natiuæ grauitati pilæ, tum quia iam grauitas pilæ non conseruat impulsum, tum quia iam determinatur impulsus ad causandum motum, quem non potest producere grauitas pilæ, imo est illi repugnans.

40 *Dico secundo: ad hoc*, vt impulsus causet motum hàc potiùs, quam illàc, determinatur tũ ab agente, à quo producitur, tum ab obsistente. Explicatur, & probatur prima pars conclusionis. Et quidem si ageas sit intrinsecum mobili, vt est lapidi grauitas respectu impulsus producti in ipso lapide, quãdo illum mouet deorsum, facile est intellectu, qua ratione determinet impulsum illum ad motum deorsum: quia, cũ grauitas non in alium inclinetur, nisi in hunc motum, necessarium est, quod impulsus ab illa productus ad hunc, & non ad alium concurrat, dum ab eâ producitur.

41 Si verò agens producens impulsum sit extrinsecum mobili, vt solet esse proijciens respectu proiecti, tunc proijciens determinat impulsum ipsum ad motũ per hanc

hanc v.ã proijciendo corpus versus hanc partem; &, ad motum per illam viam proijciendo corpus per illam partem. Id constat ex prima conclusione: nam ex vnâ parte impulsus quilibet ex se est indifferens ad causandum motum quâcumque vt probatum est concluſ. 1. ex aliâ verò parte in prædicto casu non est aliud à quo determinetur impulsus nisi à proijciente modo dicto: ergo, &c.

42 Confirmatur, quia, vt impulsus in hoc instanti producat præsentiam in hoc spatio, & non in alio, sufficit, quòd immediate anteà corpus, in quo datur impulsus, fuerit applicatum huic spatio, & non alteri, vt concedunt aduersarij: ergo ad hoc, vt impulsus moueat per hanc lineam, & non per illam sufficit, quòd in principio fuerit corpus proiectum versus hanc partem, & non versus illam? Patet consequentia: quia in hoc corpore acquirente hoc spatium in hoc instanti non minus est denominatio extrinseca, quod immediate anteâ fuerit illi applicatum, quam in corpore proiecto, quod in principio fuerit hâc proiectum, & non illâc: ergo, sicut illud sufficit ad determinandam acquisitionem præsentiæ in hoc spatio, ita etiam sufficiet hoc ad determinandum motum per hanc lineam.

43 Explicatur deinde secunda pars conclusionis, nempe quod aliquando determinetur impulsus ab obsistente ad causandum motum per talem viam. Tunc verò id contingit, quando corpus aliquod magno impetu impingens in aliud, à quo vltra progredi prohibetur, resistere cogitur. In hoc igitur casu dicimus, impulsum, quo mobile ferebatur versus obsistens, determinari ad causandum motum resilientiæ ab ipso obsistente tanquam à conditione. Neque id est creditu difficile, quandoquidē quotidie experimur, quod species intentionales ex naturâ suâ determinatæ ad producendas alias sibi similes versus eam partem, versus quam ipsæ sunt ab obiecto productæ, & non versus aliã; si fortè speculum opponatur, determinātur, vt viâ reflexâ producant eas species, quas viâ directâ producerent, si ab speculo nō impedirentur: cur ergo non credemus idem contingere, quando corpus proiectum impingit in obsistens.

44 Requiruntur tamē nonnullæ conditiones, vt detur talis determinatio. Prima est, quod tã corpus obsistens quam impingens in illud sint dura: Si enim mollia sint non dabitur resilientia; præcipuè si obsistens durum non sit. Secunda, quod vtrunque corpus sit leue: quia, si asperũ sit aliquod ex illis, ió bene applicãtur partes vtriusque, vt proiectũ determinari possit ab obsistente ad resilientiam. Hæc tamen conditio non est necessaria simpliciter, vt detur resilientia; sed, vt melius fiat. Tertia conditio est, quod obsistens loco non cedat, dum in illum impingit proiectum.

45 Ro-

45 Rogas: cu motus proiectorũ sit velocior in medio cursus quàm in principio, & fine? Respõdeo, motum esse in medio cursus velociorem, quã in principio quia quando projicies primo imprimit impulsum in proiecto intensiorẽ impulsum imprimit in partibus proximioribus illius, quàm in remotioribus: Dum autem in eodem corpore nõ omnes partes habent æqualem intensionem impulsus, necessarium est, quod habentes intensiorem impulsum attemperari debeant in motu cum partibus eiusdem corporis habẽtibus impulsum minùs intensum, vt diximus sect. præcedẽti; & ideo totũ corpus mouebitur iuxta efficacitatem impulsus remotioris. Postea vero decursu temporis intensior impulsus existens in prioribus partibus proiecti auget impulsum existentem in posterioribus, quo fit, vt iam possint omnes partes velociùs moueri, donec paulatim decrescat impulsus eo modo, quo dicemus sect. sequent. & sic paulatim langueſcet etiã motus vsque ad finem cursus.

46 Quod autẽ impulsus existens in partibus proximioribus projcienti possit decursu tẽporis augere impulsum existentem in partibus remotioribus, facile probari potest: quia motus ipsius proiecti est conditio per se conducẽs ad hoc, vt impulsus ille intensior augeat remissiorem. Quod deducitur ex experientiâ, quâ nouimus tum quod projciens à se corpus aliquod, brachium mouet, vt maiori vi illud projciat: tum etiã, quod lapis natiua grauitate descẽdens, imo illum in se ipso ita producit, vt quo magis durat motus, intensiorem impulsum in se ipso producat, vt vidimus sect. præcedente. Id autem aliunde prouenire nequit, nisi ex eo quod, & motus causæ impellentis, & duratio illius motus sint conditiones per se cõducentes, ad hoc, vt intensiorem impulsum producat ipsa causa in corpore moto: ergo motus proiecti corporis per se conducit vt intensior impulsus (qui quidem monetur ad motum corporis, in quo est) existens in partibus prioribus illius impulsum remissiorem existentem in partibus posterioribus augeat vsque ad eam intensionẽ, quam potest producere in passo non penetrato. Postea vero decursu temporis langueſcit totus impulsus eo modo, quo dicemus sect. sequente, & ideo motus etiã proiecti corporis langueſcit. Ex dictis in hac sect. explicata manet natura impulsus, & magis explanabitur sect. sequente.

SECTIO. IIII

A quo nã corrumpatur impulsus?

47 P. Vazq. 1. 2. disp. 81. cap. 3 existimat, impulsum semper corrumpi ab alio contrario, seu incompossibili. Subscribunt recent. quos adduximus sect. præcedenti contra nostram sententiam, qui putant, quod si impulsus non corrumperetur ab alio incõpossibili, semper perseueraret, cum

cum à Deo conseruetur, remota causa secunda, & non esset aliud, quod eius destructionem exigeret. Hæc sententia ex dictis sect. præcedente satis refutata manet.

48 Dicendum est cũ P. Rub. hîc, q. 3. & nonnullis recent. impulsum desinere ex defectu cõseruantis quia, licèt reuera cõseruetur a Deo, quando distat agens, à q.ó primò productus est; nihilominus ipse est talis naturæ, quę nõ petat conseruari, nisi per aliquod tempus longius, aut breuius pro maiori, vel minori intensione, in qua fuit productus à suo agẽte: ita tamen, vt nõ debeat cessare totus simul, sed paulatim per partes. Et impulsus ex naturâ suâ perit, quod si producatur intẽsus vt sex, & remoueatur causa secũda, à quâ fuit primo productus conseruetur à Prima per tantum tempus cũ omnibus sex gradibus, deinde post illud tempus conseruetur similiter per tantùm tempus cum quinque, & sic de reliquis donec paulatim elanguescens pereat omnino. Vbi aduerte, non esse dicendum impulsum petere, quod post tale tempus corrũpatur vnus gradus illius, &c. Neque enim vlla potest esse res, quæ directe petat suã destructionem, sed dicẽdum est, impulsum petere suam conseruationem pro tanto tempore, quo tãdem facto, cum iam illum non exigat, cessat Deus ab ipsius conseruatione & ideo dicitur desinere ex defectu conseruantis.

49 Probatur hæc sententia: quia, sicut dantur aliquæ entitates talis naturæ, quæ remotâ causâ secundâ primò producente, nõ petunt conseruari, sed pereunt illico, vt sunt lux, & species intentionales sensuum externorum; & deinde alię dantur entitates, quę, destructâ causâ secundâ, petunt conseruari, donec adueniat alia entitas exigens eorum destructionem, vt sunt calor, frigus, &c. sic etiam dari poterunt aliæ entitates talis naturæ, quæ, semotâ causâ secundâ illas producente, petant conseruari à Primâ per aliquod tempus determinatum, ita vt, eo transacto, non petant conseruari. Talem diximus, debere esse impulsum. Et in primis hæc natura maximè congruit fini, ad quem datur impulsus: nam præcipuus finis illius est, vt corpora aliò à nobis proijciamus: vt autem finẽ hunc cõsequamur, oportet, quod per aliquod tempus durare possit sine causâ secundâ cõseruãte, vt patet, deinde expedit, quod non in perpetuum duret, tũ quia nõ possemus corpora ad certum locum, & distantiam proijcere, tum etiam quia magna esset rerũ perturbatio, si corpus semel proiectum deberet semper mouere, nisi iterum à proijciente, vel ab alio detineretur. Secũdó ex sect. præcedenti constat, impulsum nõ habere contrarium, à quo corrumpatur: hoc autem supposito, non potest congrue aliter explicari destructio impulsus, nisi modo prædicto: ergo admittendus est talis modus.

50 Addo, aliquas posse dari con-

conditiones perse conducentes, vt citiùs corrumpatur impulsus: quia, si motus corporis proiecti impediatur, citiùs destruitur impulsus in illo impressus. Hinc est, quod corpus impingens in obsistens non tantùm resiliat, quantùm per viam rectam moueretur, si non impediretur ab obsistente, quia, videlicèt, dum motus eius impeditur, remittitur impulsus. Si autem omnino impediatur motus corporis proiecti, ita vt nulla tenus moueri permittatur, citissime corrrumpitur impulsus, quia, cùm omnino impediatur motum causare, cessat conditio quædam requisita, vt conseruari debeat.

51 Neque hæc doctrina gratis conficta videatur. Primo, quia præfatæ experientiæ eam comprobant. Secundo, quia motus est conditio necessaria, vt impulsus producatur a proiciente, vt quotidie experimur, neque enim lapidem ad longam distantiam possumus manu proiicere, nisi priùs manum hùc, illùc agitemus vel saltem motus est conditio, vt intensior producatur impulsus, vt constat in lapide deorsum descendente natiuâ grauitate, qui, quò magis mouetur, eò intentiorem impulsum in se producit. Si ergo impulsus ad sui productionem requirit in agente motum tanquam conditionem requisitam ad se ipsum producendum, quid mirum, quod ad sui conseruationē requirat quod non impediatur causare motum in corpore, in quo est, saltem, quando abest causa secunda, à quâ continuò conseruet?

52 Obijcies 1. omnes gradus impulsus producuntur simul ab obijciente: ergo omnes simul debent corrumpuntur: neq; enim potest esse ratio, propter quam alij debeant plus alijs durare. Admitto antecedens, & nego consequentiam. quia, vt ex dictis constat, de naturâ impulsus est, quod si in tantâ intensione producatur, & non adsit causa secunda conseruans, debeatur illi conseruatio per certum tempus, & si in minori intensione producatur, debeatur conseruatio per breuius tēpus, & sic in posterum, donec totus impulsus euanescat. In quo casu si gradus intēsionis sint æqualis perfectionis (de quo in lib. de Gen.) non erit maior ratio in illis, cur vnus priùs corrumpatur, quam alius, & ideo recurrendum erit ad Deum, qui determinet, quis sit prius corrūpēdus. Si vero gradus sint inæqualis perfectionis, ij, qui sunt perfectiores corrūpentur priùs, quia, si imperfectiores priùs corrumperentur, cum perfectiores præexquirant illos ad sui conseruationē iuxta dicenda in lib. de Gen. omnes simul corrumperentur. Neq; ex eo, quod perfectiores sint gradus vltimi, colligi debet, quod illis debeatur diuturnior cōseruatio, quia lux est perfectio, quàm calor, & nihilominùs, remotâ causâ secundâ vtriusque, illi debetur conseruatio; secùs illi, vt constat experientia.

53 Ex dictis in hâc, & præcedenti sect. constat, impulsum esse

qua-

qualitatem rebus prouenientem ab extrinseco, vel, si ab intrinseco, non semper, sed pro nata occasione; cito transeuntem, & ex natura sua aptam ad subiectum, in quo est, mouendum versus quanlibet differentiam loci, prout applicata fuerit. Ex hoc facile colligitur, in quo impulsus differat à grauitate, & leuitate. Impulsus nãque est qualitas cito transiens; grauitas, & leuitas diu permanentes: hæ consequuntur corpora, in quibus sunt, ex naturâ rei tanquam proprietates eorũ; secus ille: hic potest causare motum versus quanlibet differentiam loci; grauitas vero, & leuitas per vnam tantùm.

SECTIO. V.

Qua ratione quiescat mobile in pũcto reflexionis?

54 MVlti ex his, qui Arist. sequuntur in continuo cõponẽdo ex partibus, & indiuisibilibus, duplicem solẽt distinguere quietẽ priuatiuam vnam; negatiuam alteram. *Priuatiuam* vocant, quando mobile per tempus quiescit à motu; *negatiuã*, cũ per solũ instans. Illa dicitur *priuatiua*, quia est carentia motus in duratione, in qua potest esse motus successiuus; hæc vero dicitur *negatiua*, quia est carentia motus in instãti, in quo nõ potest esse motus successiuus. Inepta quidem quietis vsurpatio: quia, licet in instanti non possit esse motus successiuus, potest tamen in illo mobile transire ad occupandum saltem indiuisibile spatij: ergo potest aliquã subire mutationem in instanti, atque adeo quies, quæ datur in instanti, *priuatiua*; non *negatiua* erit absolute nuncupanda.

55 In sententia verò, quam sequuti sumus disp. 25. sect. 7. & 10. circa compositionẽ continui successiui, proprie loquendo datur quies *priuatiua* tam in instanti, quàm in tempore, quia in instanti potest acquiri spatium diuisibile, ac perconsequens in instanti potest esse motus localis, quo mobile transeat de vno loco in aliũ diuisibilem. Inquirimus ergo in præsenti, an mobile immediate post instans, in quo punctum attingit reflexionis, incipiat moueri reflexe; vel potius antequam incipiat moueri reflexe, debeat ibi quiescere per aliquod tempus, seu per aliqua instãtia? Hoc vltimũ vocãt quietem temporaneã; illud vero primum instantaneam.

56 Est tamen aduertendum, trifariam posse fieri reflexionem motus. Primò ita, vt motus tam directus, quàm reflexus sit naturalis mobili, vt contingit in motu dilatationis, & cõtractionis cordis. Secundo ita, vt motus directus sit violẽtus, reflexus verò naturalis, vt, cùm sursum projcitur lapis, & postea natiuâ grauitate deuoluitur deorsum. Tertiò ita, vt motus directus naturalis sit, vel violentus; reflexus verò sit violẽtus, vt, cùm pila iactatur in parietem, vel in terram, & postea resilit per reflexionẽ. Iuxta hos omnes modos est quæstio præsens decidenda.

57 Dico

57 Dico 1. quum motus directus, & reflexus sunt naturales, potest esse, quod quies reflexionis sit in tempore, & potest esse, quod sit in instanti. Prima pars probatur: quia in motu dilatationis, & contractionis cordis, qui est motus directus, & reflexus naturalis, datur quies temporanea in reflexione, cùm enim motus iste sit datus in leuamen, non in grauamen naturæ, oportet intercipi per aliquod tempus, alioqui valde laboriosum esset, irrequieto motu semper agitari. Secunda pars probatur: quia auis, quæ sursum aduolat, nulla interpositâ morâ, potest deorsum prouolui; neq, enim est, cur non possit appetitus eius immediate post instans, in quo terminatus est motus sursum, imperare potentiæ loco motiuæ, vt motum peragat deorsum. In eo autem casu non haberet quietem temporaneam ante motum reflexum.

58 Dico 2. quando lapillus sursum proiectus impeditus a saxo magni ponderis in præcipitiú acto ad ima deuoluitur, nulla datur temporanea quies inter motum directum, & reflexum lapilli. Ratio est quia immediate post instans, in quo illa duo corpora se tãgunt, cogitur lapillus ab immani saxo deorsum descendere: ergo nulla datur temporanea quies inter motum directum, & reflexum lapilli. Antecedens probatur: quia immediate post illud instans non potest motus deorsum prægrandis saxi impediri à lapillo, nã impulsus exiguus, quo sursum vehitur lapillus, non potest prævalere contra eximium pondus, quo saxum volutur deorsum. Si autem motus saxi nõ impeditur, necessarium erit, quod simul cũ illo deorsum moueatur lapillus, cum illum secum deuoluat saxum illud prægrande. Hoc autem præstare debet saxum vel augendo impulsum anteà existentem in lapillo, vel illum determinãdo ad motũ deorsum, vel, si impulsus essent contrarij, introducendo impulsum deorsum, qui corrumperet præexistentem in lapillo. Quod quidem fieri posset in instanti, vt dicemus in lib. de Gen.

59 Obijcies: ex hoc sequitur, continuari motum sursum lapilli cum motu deorsum ipsius: quia nulla interruptio datur inter vtrũque motum. In primis nullum esset inconueniens in eo, quod continuarentur isti motus, quia in meâ sententia partes successiuorũ non aliter cõtinuantur, nisi per immediatã successionẽ vnius post aliã: & ex alio capite motus sursum, & deorsum non sunt essentialiter oppositi, vt dixi disp. 19. nu. 22 ergo non est, cur nõ continuẽtur tales motus. Secundo in sententia asserente motus illos esse essentialiter oppositos, facile responderi posset, illos non continuari quia, licet immediate succedat vnus post alium, hoc tamen non sufficit ad continuationem; sed vltra hoc requiritur, quod non opponantur inter se. Id colligo ex eo, quod, licèt nonnulli asse-

asserant gradus eiusdem qualitatis permanentis, caloris v.g. non continuari per indiuisibilia vnitiua eorũdem graduum interse; sed solùm per simultaneam coexistẽtiã in eodem subiecto; nihilominùs nullus est, qui, admissâ hâc sententiá, dicat, octo gradus frigoris continuandos cum octo caloris, si in eodem subiecto omnes simul ponerentur. Certe non aliâ de causâ, nisi quia sunt oppositi interse: ergo idem dicendum esset de motu sursum, & deorsum, si essent essentialiter oppositi.

60 Dico 3. quando lapis violenter ascendit sursum, & postea natiuâ grauitate descendit, potest contingere, quod in puncto reflexionis quiescat per aliquod tẽpus, & potest contingere, quod non quiescat. Ratio est: quia potest cõtingere, quod immediate post quã terminatus est motus sursum; remaneat impulsus cũ eâ intẽsione, quam grauitas lapidis nõ possit vincere in eo instanti; & potest contingere, quod impulsus deueniat in gradum remissionem, quam grauitas possit vincere in eo instãti, in neutro enim ex his aliqua apparet repugnantia iuxta ea, quæ diximus circa corruptionem impulsus: ergo potest contingere, quod talis lapis habeat quietẽ tẽporis cũ in pũcto reflexionibus, & quod non habeat talẽ quietem.

61 Dico vltimo: quando corpus impingens in obsistens reflectitur, non resilit secundũ se totũ immediate post contactũ; sed ibi quiescit per aliquod tempus (loquor, vt res frequẽter euenit.) Ratio est: quia, quãdo corpus diuisibiletã git aliud diuisibile, se cõtingũt secũdũ aliquas partes, dũ autẽ corpus resiliens auellitur ab obsistẽte, non auellũtur simul omnes partes, quæ tangebant obsistens, quia aer debet succedere in illud spatiũ, ne detur vacuũ: aer vero, vt res solent euenire, nõ transit in instanti ad totũ illud spatiũ occupãdũ, sed successiue: ergo necessariũ, est quod partes resiliẽtes resiliant etiam successiue: alioquî, si simul omnes resilirẽt, vel daretur vacuũ per aliquod tempus, quod repugnat, vel aer deberet moueri in instanti ad totũ illud spatiũ occupandũ, quod non solet contingere frequenter. In duplici tamẽ casu posset fieri resilientia hæc in instãti. Primò, si corpus impingẽs esset perfectè sphæricũ, & obsistens perfectè planũ, quia in tali casu, cũ se tãgerent in puncto, posset esse resilientia immediate post contactũ. Secũdo, si aer, adhuc quãdo vtrũque corpus est planũ, in pellere tur tanta vi, vt cogeretur transire ad illud spatiũ in instanti eâ ratione, qua disp. 25. sect. 8. dixi, posse spatiũ diuisibile percurri in instãti.

Hæc dixisse sufficiat pro octo libris Physicorum Vtinam cedant in gloriam Summi Numinis, & laude n sanctissimæ Deiparæ Mariæ.

FINIS.

~~Dixo~~

Dixo, vn Padre Cabuchuro
dela nacion Antuques,
que loquettiene alos bies,
Semanton, e vn Cochuo.